


R. P. MATTHIÆ

BORRVLL,

VALENTINI

E SOCIETATE IESV,

Sacræ Theologiæ Primarij Professoris,

DIVINA SCIENTIA

FVTVRORVM CONTINGENTIVM,

PRÆCIPVE

MEDIA,

CONTRA NOVISSIMOS IMPVGNATORES DEFENSA.

Nunc primum in lucem prodit.



LVGDVNI,

Sumptibus PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, & CLAVDII RIGAVD.

M. DC. LVI.

CVM APPROBATIONE ET PERMISSV.





AD LECTOREM ADMONITIO.



ISTIT se scientia Media, Lector amice, conspirantium inimicorum diuturna tempestate iactata; in quam,

Vnà Eurusque, Notusque ruunt, creberque procellis Affricus.

Melior Neptunus huic sedandæ tempestati desiderabatur. Sistit se scientia Media potentissimis bellatorum phalangibus imperterrita; non enim inermis pugnatura descendit, gestat enim non modo clypeum ad contorta tela retundenda, sed è balteo pendentem ensem; gestat & pharetram, argumentorum spiculis fœcundam. Sistit se scientia Media iurgiis & opprobriis impauida; terriculamenta vtique puerorum alioqui senescentium. Ius suum vnicuique tribuens abellas Æsopo donat, legat inuidis dicteria, histrionibus & scurris dat ridicula. Seria, vt par est, Minerua campum ingreditur, cum seriis, & ingenio grauibus aduersariis tentatura manus. In quo laudandi quidem sunt Aduersarij mei; qui, fabulosis nugis repu-

ã 2 diatis

diatis,(Prouinciâ à Nostratibus funditùs expugnatâ) proras vertunt ad tranquillum Scripturarum & Conciliorum pelagus currendum; ad genuinas huius nauigationis Arctos, Augustinum & Thomam semper intuendas, vt fixis rationum anchoris portum teneant: cum hisce Aduersariis vel conserere manus, gloria est.

Ne tamen incautus pes tantillùm fixos à Romanis Pontificibus disputationi terminos transcendat; scias, mi Lector, Post ventilatam Romæ magnam illam Auxiliorum controuersiam, coram Clemente VIII. & Paulo V. inter Patres Dominicanos & Iesuitas; vtrique parti interdictum esse, ne publica scripta in materia Auxiliorum, prelo mandarentur. Quod Pontificium decretum de non edendis Tractatibus de Auxiliis, vel ex professo, vel etiam incidenter, & de censura in alterutram partem non ferenda, instauratum est ab Vrbano VIII. anno 1625. districtè, & sub grauibus pœnis præcipiente: Vt in posterum nemo audeat imprimere, vel quoquo modo in lucem edere libros, tractatus, vel compositiones ex professo vel incidenter, aut prætextu commentandi Diuum Thomam, vel quemlibet alium Doctorem, aut alia quauis occasione, prætextu, vel modo, de materia Auxiliorum diuinorum tractantes, &c. *Et inferiùs iterùm.* Nec in posterum audeant imprimere, nec quoquo modo in lucem edere libros, tractatus, compositiones ex professo vel incidenter, etiam

ſub prætextu commentandi D. Thomam, ſeu in Philoſophicis agendi de concurſu cauſæ Primæ cum ſecunda, aut alia quauis occaſione, vel modo de materia Auxiliorum diuinorum, ſeu de gratia, & libero arbitrio tractantes, &c.

His tamen nulla facta eſt prohibitio vulgandi & imprimendi Tractatus de ſcientia Media & diuinorum decretorum efficacia, vt tuentur Patres Excalceati, Ioannes à ſancto Thoma, & nouiſſimè Hieronymus Viues disp. 1. num. 2. Nec refert facilem eſſe illationem ex affirmatione aut negatione earum quæſtionum, ad alteram partem affirmandam, vel negandam in cauſa Auxiliorum; quia prohibita non ſunt principia illa, ſed ſolus ad concluſiones Auxiliorum progreſſus. Huic ergo nos precepto religiosè obſequentes nihil de Auxiliorum efficacia diſputamus. Quodſi aliquando ſcriptis noſtris nomen prædeterminationis inſonuerit, ſermo perpetuò erit de prædeterminatione, non intrinſeca auxilij, ſed extrinſeca decreti. Scio tamen, poſt promulgatum prohibitionis decretum à Paulo V. ſcripſiſſe multos in puncto Auxiliorum, quorum ſyllabus extat apud Paulum Leonardum in reſponſionibus ad expoſtulationes contra ſcientiam Mediam part. III. ſect. 12. cui titulus : Scrupulorum quorumdam Medicina : *num. 58. Quid tamen cauſæ viros doctos ad ſcribendum ea tempeſtate compulerit, non curo.*

Quis verò ad ſcribendum me cogat vel inuitum,

ſincerè

ſincerè tibi, Lector aperiam. Prodiit Valentiæ anno 1654 *ex illuſtri Prædicatorum familia liber inſcriptus.* De Primatu diuinæ libertatis ad ſciendum & decernendum de contingentibus, contra ſcientiam Mediam; Authore Hieronymo Viues Valentino. *Incidi eodem tempore in librum Caramuelis ex florentiſſimo Benedictinorum Monachatu, negantis ſcientiam Mediam Ieſuitarum, & ſimul decreta prædeterminentia Thomiſtarum. Parabam pro munere meo in futurum annum 1655. Tractatum de ſcientia Dei in Collegio noſtro valentino; inde nata eſt mihi occaſio pro ſcientia Media reſpondendi: tenues meas elucubrationes diſcipulis expoſui, & Superiorum impulſu iuſſus eſt Tractatus è cathedra in prelum ire, me nec tale vnquam aut ambiente, aut, expetente, imò ſæpius reluctante. Hæc, mi Lector, occaſio ſcribendi. Diſputationis campum ingredi lubeat, defectuſque meos ſine dubio frequentes tua benignitas excuſet.* VALE.

FACVL

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS Prouinciæ Aragoniæ.



EGO Hyacinthus Piquer Societatis Iesu in Prouincia Aragoniæ Prouincialis, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum P. N. Generali Gosuvino Nikel facultatem concedo, vt liber, cui titulus, *Diuina scientia futurorum contingentium, præcipuè Media. Contra Nouissimos Impugnatores defensa*, à P. Matthia Borrull. Theologiæ Professore in Collegio Valentino nostræ Societatis, compositus, & grauium, doctorumque virorum nostræ Societatis iudicio approbatus, typis mandetur. In cuius rei fidem has litteras manu nostra subscriptas, Sigilloque nostro munitas dedimus. Valentiæ die V I I. Martij 1656.

HYACINTHVS PIQVER.



APPROBATIO.



IVINA Scientia futurorum, etiam eorum quæ forent ſub conditione, Deus ipſe eſt, cuius oculi lucidiores ſuper Solem, quicquid verè cognoſci poteſt, (cuiuſmodi etiam eſt, quod eſt ſub conditione futurum;) penitiſſimè introſpiciunt. Deus autem, neque mutationi, neque viciſſitudinis obumbrationi, eſt obnoxius. Itaque mirum non eſt, quod diuina ſcientia Media, quantouis niſu ab annis aliquot appetita, firmior ſemper ac ſtabilior appareat, ita vt qui aliàs ne eius quidem nomen ferebant, nunc longè aliter de ea ſtatuant; ipſâque ventilata plus rutilet, & ſecuribus aduerſariis impetita, ab ipſo ducat opes animúmque ferro. Inſtaurauit aduerſùs eam prælium, recentior quiſpiam. Sed R.P. Matthias Borrullus, *illā aduerſus caſſas impugnationes, adeò ſolidè ſtabilit, & citra iuſtam vllius offenſionem propugnat, vt merito eius Opus digniſſimum luce ſit habendum, quippe ſana vndecumque doctrina refertum, egregiáque illuſtratione, & ſubtili diſcuſſione renidens. Ita viſum, viſo eo Opere Lugduni* 10. *Auguſti* 1656.

THEOPHILVS RAYNAVDVS S. I.

IOSEPH. GIBALINVS Soc. Ieſu.

VISA APPROBATIONE DOCTORVM
suprà Scriptorum.

EGo Procurator Regius permitto, vt Liber inſcriptus (*Matthiæ Borrulli è Societate Ieſu Diuina ſcientia futurorum contingentium, præcipuè Media, contra nouiſſimos impugnatores defenſa*) Typis mandetur, & in lucem prodeat, Sumptibus Philippi Bordes & Laurentij Arnaud, & Claudij Rigaud, cum prohibitionibus, ne ab aliis quibuſcumque imprimatur, in tali caſu requiſitis & ſolitis. Datum Lugduni, die 14. Auguſti. Anno 1656.

VINCENTIVS DE PANETTES.

CONSENSVS.

FIat iuxta concluſiones Procuratoris Regij, die 14. Auguſti. Anno 1656.

SEVE.

ã INDEX

INDEX DISPVTATIONVM, & Sectionum.

DISPVTATIO I.

De futuritione absoluta contingentium.


ECTIO I. Expenditur vestibulum operis contra scientiam Mediam. p. 2
II. In quo consistat formalitér futurum absolutum contingens. pag. 4
III. Idem assumptum aliis rationibus stabilitum. p. 7
IV. Exarmantur obiectiones, & reflectuntur. p. 10
V. Reliquæ obiectiones infirmatæ. p. 14
VI. Vlterior præcedentium declaratio. pag. 17
VII. An futurum absolutum contingens tale sit ante decretum Dei absolutum ex parte actus actu & formaliter existens in Deo. pag. 19
Vltima. An futuro absoluto contingenti sufficeret decretum futurum, si tale esse posset. pag. 22

DISPVTATIO II.

De scientia diuina absolutè futurorum.

SECTIO I. An Deus nouerit futura absoluta contingentia in eorum præsentia in æternitate. p. 27
II. Infringitur vlteriùs præsentia futurorum in æternitate. pag. 30
III. Soluūtur obiectiones. p. 33
IV. An posita coëxistentia futurorum in æternitate, possit Deus in illa cognoscere futura? p. 35
V. An Deus cognoscat futura absoluta libera in proximis eorum causis? p. 37
VI. An Deus cognoscat futura absoluta contingentia in Ideis, vel in suæ scientiæ efficacitate? p. 39

Vlt.

Vlt. An Deus cognoſcat futura abſoluta libera in decreto ſuæ voluntatis, an in ſe ipſis, ſeu in propria eorum veritate? p.40

DISPVTATIO III.

De futuritione conditionata contingentium.

SECTIO I. Quotuplex ſit futurum conditionatum, & quodnam ſit materia præſentis Diſputationis? pag.44
II. In quo conſiſtat formaliter futurum conditionatum contingens? p.47
III. Infringuntur obiecta. p.51
IV. An futurum conditionatum tale ſit ante decretum Dei conditionatum? pag. 55.
Vlt. De futuro diſparato, & an conditionatum propriè ſit, & propoſitiones de illo veræ, vel falſæ? p.58

DISPVTATIO IV.

An Deus certò & infallibiliter ſciat futura conditionata contingentia.

SECTIO I. Sententia negans Thomiſtarum proponitur. p.62
II. Sententia affirmans Societatis exponitur. p.65
III. Statuitur ex Scriptura Deum certò, & infallibiliter ſcire futura conditionata contingentia. p.66
IV. Idem aſſumptum oſtenditur ex Patribus. p.70
V. Idem aſſumptum rationibus ſtabilitur. p.73
VI. Soluuntur obiectiones aliquot. p.76
Vlt. Reliquæ obiectiones ſolutæ. p.80

DISPVTATIO V.

Status quæſtionis circa ſcientiam Mediam, & ſententiæ proponuntur.

SECTIO I. Punctum controuerſiæ. p.87
II. Authoritas ſententiæ Patrum Dominicanorum. pag.90
III. Veritas Catalogi, à Magiſtro Viues pro ſua ſententia compoſiti, libratur. pag.91
IV. Authoritas domeſtica ſententiæ Societatis IESV. pag.96.
Vlt. Authoritas externa eiuſdem. p.99

DISPVTATIO VI.

Scientia conditionatorum in decreto, infringitur ex Scriptura.

SECTIO I. Deum non cognoscere futura contingentia in decreto prædeterminante, ostenditur ex veteri Testamento. p.103
II. Idem stabilitur ex nouo Testamento. p.106
III. Soluuntur obiectiones ex vtroq; Testamento. p.112
Vltim. Achilles Thomistarum exarmatus. p.113

DISPVTATIO VII.

Mens Augustini pro scientia Media.

SECTIO I. An Augustinus agnouerit scientiam Mediam? p.119
II. Augustin. approbauit scientiam Mediam, & constanter defendit. p.123
III. In eadem sententia constans Augustinus. p.127
IV. Scientia Media obiectionum solutione firmior in Augustino. p.130
Vlt. Reliquæ obiectiones dissipatæ. p.135

DISPVTATIO VIII.

Mens Sancti Thomæ pro scientia Media.

SECTIO I. Thomas perpetuus scientiæ Mediæ fautor & defensor. p.140
II. & Vlt. Solutis obiectionibus clarior Thomas pro scientia Media. p.143

DISPVTATIO IX.

Ex fundamentis Thomistarum infringitur scientia conditionatorum in decreto, & Media stabilitur.

SECTIO I. Fundamenta Thomistarum præmittuntur. p.147
II. Statuitur scientia conditionatorum ante omne decretum in Deo existens. p.149
III. Ostenditur, in sententia Thomistarum Deum non posse certò scire futura conditionata in decreto, absoluto ex parte actus, & conditionato ex parte obiecti. p.151
Vlt. Ostenditur, in sententia Thomistarum Deum certò & infallibiliter cognoscere

scere in se ipsis præterita & præsentia conditionata, & etiam futura. p.153

DISPVTATIO X.

Scientia conditionatorum in decreto, infringitur ex læsione creatæ libertatis.

SECTIO I. Assumptum ratione probatur. p.156
II. Distinctio sensus compositi & diuisi non satisfacit argumentis nostris. p.159
III. Indifferentia iudicij, stante diuina prædeterminatione ad consensum, non sufficit potestati dissentiendi. p.161
IV. Effugium potentiæ remotæ dissentiendi, vnà cum diuina prædeterminatione ad consensum, præcluditur. p.164
V. Aliud effugium necessitatis consequentis concluditur. p.165
VI. Soluitur obiectio è diuina prædefinitione petita. pag. 168
VII. Soluitur alia obiectio desumpta à concursu gratiæ sanctificantis ad actus condignè meritorios præceptos. p.171
Vlt. Soluitur vltima obiectio, desumpta ex libera adimpletione præcepti moriendi, impositi Christo Domino. p.173

DISPVTATIO XI.

Cum decreto prædeterminante ostenditur neque stare auxilium sufficiens, neque vota, iuramenta, aut contractus, neque graues, aut leues tentationes.

SECTIO I. Cum decreto prædeterminante non stat auxilium sufficiens. p.176
II. Responsiones Aduersariorum præcluduntur. p.178
III. Soluuntur obiectiones. p.182
IV. Cum scientia conditionatorum in decreto prædeterminante, ostenditur non stare vota, neque contractus, aut iuramenta. p.183
Vlt. Neque stare graues, aut leues tentationes. p.185

DISPVTATIO XII.

Stante decreto prædeterminante, Deus esset causa peccati, posset illud præcipere, & transgressores legum excusandi essent à peccato.

SECTIO I. Stante decreto prædeterminante, ostenditur Deum esse causam peccati. p.188
II. Stante decreto prædeterminante, Deus posset præcipere peccatum. p.191
Vlt. Stante decreto prædeterminante, transgressores legum excusandi essent à peccato. p.193

DISPVTATIO XIII.

Scientia Media rationibus stabilitur, & obiecta soluuntur.

SECTIO I. Prior ratio scientiam Mediam positiuè probans. p.195
II. Aliæ rationes pro scientia Media. p.198
III. Soluuntur obiectiones aliquot. p.201
Vlt. Reliquæ obiectiones eneruantur. p.204

DISPVTATIO XIV.

De obiecto scientiæ Mediæ tam directæ, quàm reflexæ.

SECTIO I. Quale sit decretum præparandi omnipotentiam ad actus liberos. p.209
II. Soluuntur obiectiones. p.214
III. Quale sit decretum dispensandi auxilia? p.217
IV. An cum consortio decreti indifferentis, possit Deus conferre auxilia decreto connexo cum consensu. p.222
Vltim. Explicatur obiectum scientiæ Mediæ tam directæ, quàm reflexæ. p.226

DISPVTATIO XV.

De directione & necessitate scientiæ Mediæ.

SECTIO I. An Deus ex præscientia futuri consensus, moueri possit ad exequendam conditionem; & ex præscientia futuri dissensus, ad eam remouendam. p.229

II. Directio scientiæ Mediæ rationibus stabilitur. p.232

III. Directio scientiæ Mediæ componitur cum libertate. p.234

IV. Obiectionum solutio. pag. 236

V. An directio scientiæ Mediæ non solùm sit Deo possibilis, sed etiam necessaria. p.242

VI. An aliqua scientia Media necessaria Deo sit ad distributionem auxiliorum? p.248

DISPVTATIO XVI.

Quomodo decretum conferendi auxilium efficax, est specialis beneficentia.

SECTIO I. An Deus de facto in elargitione auxiliorum, attendat ad eorum efficaciam & inefficaciam. pag. 253

II. An Deus ex industria seligat prædestinato auxilia efficacia, & reprobo inefficacia. p.255

III. An Deus conferat auxilia purè sufficientia, ex serio desiderio fructus, & salutis æternæ. p.257

IV. An decretum conferendi auxilium tam efficax, quàm inefficax, sit actus diuinæ beneficentiæ. p.262

VI. Vnde decretum conferendi auxilium efficax, sit specialis, & maior beneficientia. p.263

DISPVTATIO VIt.


Singularis sententia Caramuelis expenditur, & expungitur.

SECTIO I. Sententia Caramuelis circa conditionatorum præscientiam. p. 266

SECTIO II. Expungitur sententia Caramuelis. pag. 268



R.P.



A. R. P. MATTHIÆ BORRVLL, E SOCIETATE IESV,

DIVINA SCIENTIA FVTVRORVM contingentium, præcipuè MEDIA,

CONTRA NOVISSIMOS impugnatores defensa.



DISPVTATIO I.

De futuritione absoluta contingentium.

1. RECENTIORES Dominicani ne vllis sæculis à clara Maiorum suorum prosapia viderentur degeneres, ingenij partus generosis titulis inscripserunt. Inter quos is discipulorum plausui omnium aptissimus visus est, si frons operis contra scientiam Mediam oblatraret. Gaudeo & gratulor, quod tanta sit scientia Media, vt adeo gloriosum æstimetur vel illam attentare. prodiit ergo Valentiæ anno 1654. liber primus dePrimatu diuinæ libertatis,ad sciendum discernendū de contingentibus contra scientiam Mediam authore Hieronymo Viues Valentino ordinis Prædicatorum.Quem in castris Theologię eadem tempestate militantem habui, & patria conciuem. Factum tituli meditatus superiorum facultates consului, & exorbitantem titulum deprehendi: addita enim est ab authore pars illa; *Contra scientiam mediam*; ne priuatus hac gloriola conceptus liber nasceretur. Quis inuideat, vnde maior ipsi accrescit gloria? Nostri nec magni laboris erit eam scientiam ab imposturis vendicatam, non solum inconcussam hactenus ostendere, sed Maiorum nostrorum argumenta insoluta persistere.

SECTIO I.

Expendit vestibulum operis contra scientiam Mediam?

2 PRior & domestica præfari operi censura inter alia, quibus aduersantem nobis librum commendat, cum appellat turritam Dauidis arcem, ex qua mille clypei pendent, omnis armatura fortium. Quia tamen bona domus vestibulo debet agnosci, antequam arcem ingrediamur, & pendentium clypeorum legitimum dominum reuelemus, vestibulum aduertamus.

3 Numero igitur totius operis primo ita scribit Viues. *Quamuis circa cõtingentiam absolutã, quæ à nulla pendent conditione, non sit vna mens Antithomistarum, vt infra distinctione 2. constabit: tamen quia scientia futurorum conditionatorum, de qua præcipuè disputaturi sumus omnino pendet à scientia futurorum absolutorum opera pretium erit de absolutis prius differere.* Hoc est arcis vestibulum, hoc turritæ domus limen. Antithomistarum nomine vtitur, vel ad plausum suorum qui Thomistarum nomine gloriantur, cum tamen eorum opiniones, Caietanum potius, quam Thomam suboleant, vel vt vno vocabulo Iesuitas simul, & eis patrocinantes complectatur. Si Anticajetanistas dixisset ipsum est nomen eorum.

4 Duas ergo propositiones inscriptas objecit vestibuli frons Prima est: *Non esse vnam nostrorum mentem in neganda futuritione absoluta ante absolutum Dei decretum.* Hoc enim est, quod disputat distinctione illa 2. in quam suæ imposturæ probationem refert. Secunda propositio est: *Scientiam conditionatorum omnino à scientia absolutè futurorum pendere.* Vnde sibi methodum agendi composuit futuro conditionato præmittens absolutum.

Prima propositio falsitatis conuincitur ex ipsomet obiiciente. Nam sdisp. 1. dict. illa 2. num. 21. plane fatetur, nostros omnes Doctores negasse futurum absolutum ante decretum Dei absolutum: vnde totus est in inquirenda causa, vnde à Thomistis creditum fuerit, eos oppositum docuisse, cum re vera non docuerint: igitur in hac parte Doctorum nostrorum vna est omnium mens; diuersa tantum in huius Recentioris scriptis. Nam numero illo 1. ait nostrorum non esse vnam omnium mentem in neganda futuritione absoluta ante decretum Dei absolutum; & distinct. 2. num. 21. ait nostrorum Doctorum vnam esse omnium mentem in neganda futuritione absoluta ante decretum Dei absolutum. Istæ autem propositiones contradictoriæ sunt: ergo altera falsa; quæcumque sit, tua est: ergo tua mens cõcors & vna non est, sed discors & contradictoria. 5

Secunda etiam propositio falsa est, scilicet: scientiam conditionatorum omnino pendere à scientia absolutè futurorum. Nam etiam si & Deus nihil absolutè decreuisset existere, optime nouisset futura conditionata; vel in propria eorum veritate iuxta Doctores Societatis: vel in decreto conditionato iuxta recentiores Thomistas minime pendente à decreto absoluto: ergo scientia futuri conditionati nec omnino nec tantillum pendet à scientia futuri absoluti. Imo si quæ dependentia inter eas scientias constituenda foret, potiori titulo scientia futuri absoluti penderet à scientia futuri conditionati, quàm 6

quàm è contra: falso ergo aduersarius fundamento methodum illam agendi sibi construxit.

7 Si autem propositio illa tantum contendat, vtramque difficultatem ita esse inter se connexam, vt vicissim vna ex alterius decisione definienda sit, quod non satis explicat; verum id est: inde tamen non eminet potior ratio ad agendum prius de futuro absoluto, potius quam conditionato, vt existimabat aduersarius. Nam sicut ex suppositione quod futurum absolutum cognoscatur à Deo in decreto absoluto, consequens tibi est, futurum conditionatum cognoscendum à Deo in decreto conditionato: ita ex suppositione, quod futurum conditionatum cognoscatur à Deo in decreto conditionato, consequens est futurum absolutum cognoscendum in decreto absoluto, ergo in ea mutua doctrinæ consequentia specialis titulus non est, ad præmittendam scientiam futuri absoluti, potius quam conditionati. Ordior igitur ego à futuro absoluto potius quam à conditionato, vt, ex antegressis ab ipso vestigiis, insequar aduersarium; quod præstabimus, quandiu apta methodus aliud non exegerit.

8 Notum ergo sit omnibus, vestibulum operis contra scientiam, Mediam constare titulo exorbitante à facultate superiorum, duplici propositione falsa, vnica impostura, & methodo sine fundamento. Hoc ne vestibulum turris Dauid, ex qua mille pendent clypei, omnis armatura fortium? Hæc ne propugnacula ad suspendendum ora, eorum nempe, qui per singulas horas alio spiritu, linguis loquuntur nouis, vt prosequitur domestica illius operis censura? Hæc ne est virtus ab Affricano magnete hausta? Hic ne liber, qui sedet quasi conflans & emundans argentum? suspicor contigisse aduersario, quod accidit argentariis, quorum manus, dum purgant argentum, rubiginem contrahunt. Affricanum magnetem appellant Augustinum. Sed quid Augustini ingenium cum ferro? Quando nihil in illo ferreum est, sed totum aureum. Quod si illum magnetem desiderant, vt cum ipso ferrum portent, excutiet humerum, onus enim est plebeium tanto heroï: vnde eorum Catonum, sola gemet sub pondera cimba.

9 Iam paululum ad pendentium clypeorum legitimum dominum diuertamus. Legi librum istum de primatu diuinæ libertatis contra scientiam Mediam, & congesta reperi argumenta omnia, quibus nostri recentiores etiam manuscripti circa muneta & directionem scientiæ Mediæ disputant inter se. Noui clypeos esse nostros, & quamuis intempestiuè obiectos ad præsentem controuersiam; in qua non agitur, an scientia Media dirigat, vel non; An ad hoc, vel illud munus requiratur; sed An sit in Deo, etiamsi ad nihil aliud inseruiret, quam ad cognoscendum futurum conditionatum; mox tamen, vt aduersarium simulata alieni cultus militaris pompa procedentem deprehendi; occurrit illud sancti Benedicti, cuius propheticum spiritum exploraturus Totila Gothorum rex, Spartarium suum regio ornatu, & comitatu præmisit, qui se regem simularet? quem vt vidit Benedictus; Depone, inquit, fili, depone quod geris, nam tuum non est.

SECTIO II.

In quo consistat formaliter futurum absolutum contingens.

10 QVamuis hæc difficultas ad Metaphysicos pertinere videatur; quia tamen eius notitia magni ponderis est, & forte doctrinæ consequentia ad ea, quæ in sequentibus pro scientia Media tradituri sumus, eam huc reuoco. Sermo est de futuro; non metaphorico, & intentionali, sed physico & entitatiuo; non de dubio & improprio, si tale aliquod sit; sed de certo & infallibili; quod scilicet nunc non existens infallibiliter erit postea. Nec differitur de radice seu causa futuri, sed de illius formali constitutiuo: aliud enim est inquirere causā seu radicē alicuius entis, aliud constitutiuū formale talis entis.

11 Prior sententia docet, futurum absolutum vltra carentiam existentiæ dicere formaliter determinationem præsentem, & cum existentia postea exercēda infallibiliter connexam. Itaque in hac sententia existentia postea exercenda nulla ratione intrat constitutiuum futuri, sed loco illius determinatio ad existendum postea; quæ determinatio tandiu præsens est & existens, quandiu verum est dicere, rem esse futuram. Ita recentiores Thomistæ, quos sequitur Viues *disp*. 1. 10. *&* 18. Si autem inquiras in quo consistat formaliter ea determinatio ad existendū postea? Respondent consistere in decreto diuino absoluto & efficaci tam ex parte actus, quàm ex parte obiecti actu & formaliter existente in Deo. Ita Viues *disp*. 1. *n*. 18. Quod si ab eo iterum inquiras, quodnam sit obiectum, aut quid velit decretum illud futuritionem constituens? Respondet *num*. 30. velle futuritionem creaturæ.

Posterior sententia ait, futurum absolutum consistere formaliter in sola 12 carentia existentię nunc, scilicet dū futurum est, & existentiâ postea, videlicet tempore sequenti; decreto diuino tanquam causa vel radice præeunte. Ita Doctores Societatis, constanter eam determinationem præsentem à constitutiuo futuri repellentes; & docentes, ex his, quæ futurum absolutum formaliter constituunt, solam esse præsentem, & existentem carentiam existentiæ, quandiu futura res est. Authores dabimus pro scientia Media, ne catalogos inutiliter repetamus. Interim videantur P. Herize 1. *part. disp*. 6. *cap*. 6. P. Fasolus 1. *part. quæst*. 14. *articul*. 13. *numer*. 66. P. Raynaudus in disciplina morali *distinct*. 2. *à numer*. 342. P. Hurtado *disp*. 9. de anima *Act*. 6. *subsect*. 1. P. Bartholomæus Amicus *tractat*. 21. Logicæ *disputat*. 4. *dubitat*. 4. Franciscus de Lugo *lib*. 1. de Deo Vno *disp*. 19. *cap*. 2. *num*. 14. P. Gaspard de Ribadeneyra *disp*. 10. de Scientia Dei *cap*. 1.

Assero, priorem sententiam Thomistarum falsam esse; posteriorem vero Societatis veram. Probatur conclusio. Primò, quia res eo præcise est formaliter futura in instanti *A* præsenti, quo formaliter est in rerum natura posterior in existendo respectiuè ad instans *A*: sic autem est posterior formaliter, inclusis præcise carentia existentiæ in instanti *A* & existentia in instanti *B* ergo & futura. Maior penetratis terminis videtur certa. Minor autem ostenditur, nam formaliter loquendo, nihil est aliud in rerum natura, Antichristum esse posteriorem in ordine siue respectiuè ad hoc tempus, quàm nunc non existere & existere post: ergo inclusis præcise carentia existentiæ in instanti *A* & existentia in instanti *B* formaliter est & intelligitur re posterior in existendo respectiuè ad instans *A*. Confirmo, 13

instans

instans *B*, esse posterius in existendo respectiuè ad instans *A* aliud non est formaliter, quàm instans *B*, non esse nunc quando est instans *A*,& esse pòst: ergo me esse posteriorem in existendo respectiuè ad instans *A*, aliud formaliter non erit quàm me non esse nunc, quando est instans *A*,& esse pòst:id autem est formaliter esse futurum:ergo.

14 Respondet Viues *disp.18. num.44.* euasiones & argumenta sæpius iam antea repetita *disp.1. & 10.* denuo instaurans,& vltimas vires exerens. Respondet inquam primò, negans maiorem de quocunque futuro contingenti. Quia futurum certò & infallibiliter tale,habere debet de præsenti, antequam existat, infallibilitatem ad esse postea, quam habere non potest futurum ab existentia sequēti;esset enim miscere futurum cum existenti,si pars futuri esset existentia. Vnde ea infallibilitas ad existendum postea necessariò habenda est à determinatione præsenti.

15 Contrà tamen,quia integra ratio inferendi futuro eam determinationem præsentem ad existendum postea, ea est,quia videlicet futuritio infallibilis & certa debet securam & infallibilem reddere existentiam de se contingentem: ad id autem superuacanea est & inutilis determinatio illa præsens ad existendum postea:ergo. Minor probatur, maior enim aduersarij est,Quia his solis stantibus,scilicet carentia existentiæ hodie, & existentia mane, omni alio præscisso,iam hodie est certa & infallibilis existentia matutina:ergo superflua & inutilis est determinatio præsens. Antecedens probatur,quia licet existentia matutina futuri absoluti contingentis sit absolutè & antecedenter contingens in causis;non tamen ex suppositione & in se ipsa,vt est per se notum; ex suppositione enim quòd res sit,necesse est esse,vt sæpius repetit hic Recentior: ergo si futurum hodie constituatur suppositione existentiæ matutinæ, hodie certa & infallibilis erit existentia matutina.

16 Declaratur amplius huius rationis efficacia. Nam ex suppositione quòd Petrus amet mane, nulla est hodie in eo potestas,nec in alio,etiam Deo,ad non amādū mane:ergo hodie est infallibilis existētia amoris matutina. Cōsequētia est legitima iuxta principia aduersarij; illa enim existentia est infallibilis hodie,quæ à nullo impediri potest, vt mane sit; si ergo in nullo sit potestas hodie,vt Petrus mane non amet,infallibilis erit hodie existentia matutina amoris. Antecedens igitur probatur, quia in nullo est potestas componēdi duplex cōtradictorium:ex suppositione autem,quod Petrus amet mane,contradictorium est quòd non amet: ergo ex suppositione,quòd Petrus amet mane,nulla est hodie nec fuit potestas ad non amandum mane:ergo hodie & tota æternitate, metaphysica infallibilitate secura est existentia amoris matutina: ergo si futuritio amoris absoluta constituatur ea suppositione, vt à nostris Doctoribus constanter constituta est, infallibiliter reddet hodie securam & certā existētiam amoris matutinam: ergo ad id inutilis & superflua erit determinatio præsens ad existendum postea. Quòd autem futurum constituatur suppositione, mirabitur, qui ignoret futurum esse suppositionem factam ab agente libero.

17 Confirmo. Quamuis existentia Petri, vel amoris hodie sit antecedēter & absolutè contingens in causis, ita illam ponentibus, vt potuerint non ponere, tamen ex suppositione est certa & infallibilis, & vt talis in se ipsa certò & infallibiliter à Deo cognita ab æterno: ergo quāris existentia Petri vel amoris matutina sit absolutè & antecedenter

contingens in causis, ex suppositione tamen, quod existet mane, erit hodie & tota æternitate infallibiliter extitura. Etenim sicut implicat rem non esse, dum est; ita implicat non esse exituram, dum extitura est: ergo sicut ex suppositione quod res sit, est existentia certa & infallibilis; ita ex suppositione quod erit, erit quoque futuritio infallibilis & certa.

18 Respondet secundo Viues num. 45 negans eandem minorem. Quia ex eo quod res sit natura posterior in existendo respectiue ad instans *A*, inferri potest eam fuisse futuram: at non inde habetur, quod posterioritas illa, qua existentia præsens in instanti *B*. succedit instanti *A*, sufficiat vt futuritio in instanti *A* compleatur tanquam sui parte existentia exercita in instanti *B*. Ad id enim sufficit non existentia in instanti *A* & determinatio præsens ad existendum postea in instanti *B*.

19. Contra. Tota ratio, cur posterioritas in existendo non constituet formaliter futurum certum & infallibile, ea est, quam passim reperit aduersarius; quia scilicet posterioritas in existendo est contingens: id tamen non obstare probatum est: ergo non solum inferet fuisse rem certo futuram, sed cõstituet. Confirmo. Futurum certum & infallibile illud est, quod nunc non existens infallibiliter erit postea: id cõtinet formaliter coniunctum ex carentia existẽtiæ nunc & existentia postea; vt ostensum est: ergo. Quod autẽ ait, sufficere ad futuritionem rei in instanti *A*, vltra carentiam existentiæ, determinationẽ præsentem ad existendum in instanti *B*; de hoc non agitur in argumento, solum contendente non esse eam determinationem necessariam ad intrinsecam futuri infallibilis constitutionem, quod si detur, victores erimus, dabitur enim futurum certum præcisa ab eius constitutiuo determinatione præsenti ad existendum postea. Si autem eam determinationẽ esse sufficientem pro constitutione futuri, idem valeat, ac esse necessariam, quod tenet hic author. En quæstionem pro solutione. Vide ergo quam eleganter ab hoc recentiore Iesuitarum argumenta diluantur. Quod autem prior responsio aiebat, scilicet constituere futurum existentia postea exercenda, esse miscere futurum cum existente, librabitur infra.

Probatur secundo conclusio. Ea determinatio præsens constituens intrinsecè futurum, nec potest esse aliquid creatum nec increatum: ergo nihil est. Non posse esse aliquid creatum, conceditur ab aduersario & facile probatur. Quia cum non possit esse sola carentia existentiæ, vt fatentur omnes, necesse est esse aliquid positiuum, siue qualitas, siue modus, maxime in sententia Thomistarum, apud quos determinatio ad existendum nunc positiua est: ergo etiam ad existendum postea. Vnde fiet aliquid positiuum creatum fuisse ab æterno præsens & existens in propria mensura; contra fidem, qua docemur creaturas omnes in tempore esse præsentes seu existentes in mensura propria. Sequela patet, quia determinatio præsens constituens infallibile futurum tandiu est existens in mensura propria fatentibus aduersarijs, quandiu verum est dicere rem esse futuram: id autem verum fuit ab æterno: ergo & determinationem existere: ergo si esset aliquid positiuum creatum, hoc extitisset ab æterno. 20

Neque esse aliquid increatum, scilicet decretum absolutum & efficax, tam ex parte actus, quam ex parte obiecti, probatur. Primo quia in sententia omnium Thomistarum teste Viues *disp.* 1. 21

num.

num. 10. futuritio absoluta infallibilis, de qua ibi agit, est objectum volitum per tale decretum: ergo determinatio constituens futuritionem infallibilem erit etiã obiectũ illius decreti: ergo sicut futuritio distincta est à decreto cuius est obiectum; ita & determinatio. Secundo. Quia in sententia Thomistarum determinatio, qua Deus determinat ad amorem nunc existentem, non est decretum, quo Deus vult existentiam amoris, sed quid medium inter existentiam amoris & decretum: ergo determinatio, qua Deus determinat ad amorem exiturum, non erit decretum, quo Deus vult amorem futurum sed quid medium inter futuritionem amoris & decretum. Tertio, quia determinatio formalis ad existendum infallibiliter non est decretum volens existere amorem (hoc enim nulla ratione est formalis existentia amoris, sed causa illius) ergo neque determinatio formalis ad futurum infallibiliter erit decretum volens futurum amorem, sed quid ab ipso & amoris futuritione distinctum & causatum. Etenim etiãsi permittamus futuritionẽ infallibilem amoris causati à decreto illo efficaci; adhuc negamus constitui tali decreto, sicut non constituentur decreto existens, præteritum & mere possibile, quamuis causentur ab illo.

SECTIO III.

Idem assumptum aliis rationibus stabilitum?

22 PRobatur tertio conclusio. Præteritũ solum consistit formaliter in carentia existentiæ nunc, & existentia antea, decreto diuino pure radicaliter se habente, sicut circa alios effectus: ergo futurum tantum consistet formaliter in carentia existentiæ nunc & existentia postea. Probatur consequentia, quia licet antecedens existentia non sit, quando res est præterita, tamen intrinsece & formaliter constituit infallibile præteritum: ergo quamuis existentia subsequens non sit, quando res est futura, tamen intrinsece & formaliter constituet infallibile futurum.

Respondet Viues *disp.* 18. *num.* 48. In præsenti non esse quæstionem de forma aut radice, à qua res est futura, præsens, aut præterita; sed de prædicatis harum denominationum, præscindendo à prædicta forma vel radice Vnde argumentum impugnans determinationẽ præsentem ad esse postea in futuro, ex eo quod præteritum non est formaliter sed radicaliter à decreto, non esse ad rem præsentem. Egregie in hac parte oblitus est sui author iste. Sicut enim in eius sententia forma futuri est decretum; ita in nostra est existentia pro tempore sequenti, saltem partialis. Vel ergo ad rem assumis formam futuri acturus contra nos, vel non? Si secundum: ergo extra rem est totus §. 4. *præsentis disp.* 18. distinctionis primæ, vbi totus incumbis ostensurus existentiam non posse constituere futurum? Extra rem similiter est magna pars *disp.* 1. *&* 10. vbi idem repetis. Si primum? dicas precor, cur à te assumi possit ad rem forma futuri contra nos; & à nobis non possit assumi contra te? 23

Deinde respondet argumento, concesso antecedente negans consequentiam. Cuius rei disparitatem dat duplicem: Prima est, quia præteritum est sola denominatio extrinseca ab existẽtia quæ fuit: futurũ vero est determinatio præsẽs ad esse postea, non vero denominatio ab existentia, quæ erit, verba sunt authoris fidelissime transumpta ex *num.* 48. *disputationis.* 18. 25

Hic

25 Hic sistat paululùm lector disparitatem meditabundus ingenio plenam. Nos arguimus: Futurum consistere tantùm, quo excludimus quamcunque determinationē præsentem ad esse postea, in carentia existentiæ nunc & existentiâ postea; quia præteritum consistit tantùm in carentia existentiæ nunc & existentiâ antea. Et hic Recentior concesso antecedenti, negat consequentiam, & disparitatem ait esse, quia præteritum est sola denominatio extrinseca ab existentia, quæ fuit; futurum verò non est denominatio extrinseca ab existentia, quæ erit, sed determinatio de præsenti ad existendum postea. Quis vel cæcus non videat, hanc nec vmbram esse disparitatis, sed ipsissimam quæstionem? vide triumphum, vide trophæum contra scientiam Mediam. Hæc sunt fulgentia arma. Isti obærati clypei ad Iesuitarum impetus infringendos.

26 Secunda disparitas est priori non absimilis. Quia scilicet existentia præterita rei contingentis denominans præteritum, & quando erat præsens, & quando præterita, nequit non esse, & fuisse, & est omnino determinata ad esse & fuisse: existentia verò futura rei contingentis, dum est futura, est indeterminata ad esse, & non esse secundùm se, & ideo res contingens est talis dum est futura; sed dum est præsens, vel præterita, iam est necessariò præsens vel præterita, & non est contingens ad non esse, vel non fuisse.

27 Contra Primò. Quia vt in superioribus ostendimus, futurum contingens dupliciter considerari potest; Primò absolutè & antecedenter in causis, ita posituris existentiam, vt potuerint non ponere; & hac ratione tam indifferens est præteritum & existens, quàm futurum: nam causa libera & indifferens ita posuit existentiam vt potuerit non ponere, & ita illam destruit vt potuerit non destruere; & ita nunc ponit existentiam vt potuerit non ponere: ergo si res contingens consideretur absolutè & antecedenter in causis, tam contingens est præteritum & existens, quàm futurum; vt nulli dubium esse potest. Secundò considerari potest futurum ex suppositione, quòd futurum est, siue exciturum; & hac ratione indifferens non est, sed summè determinatum, non à determinatione aliqua præsenti dum futurum est, sed ab existentia, quæ postea erit. Etenim sicut ex suppositione, quòd res est, necesse est esse, & ex suppositione quòd præterierit necesse est fuisse; ita ex suppositione, quòd futura sit, necesse est extituram fore: ergo sicut præteritum est certò, & infallibiliter, & determinatum ad esse tale ab existentia, quæ fuit, omni alio præsciffo, ita futurum erit certo, & infallibiliter, & determinatum ad esse tale ab existentia, quæ erit, omni alio præsciffo: ergo sicut præteritum infallibile solis constituitur carentiâ existentiæ nunc, & existentiâ antea; ita futurum carentia existentiæ nunc, & existentiâ postea. Argumento igitur responsum non est.

Contra Secundo. Vel constituere præteritum existentiâ, quæ fuit, est miscere præteritum cum existente, vel non? si secundum: ergo neque constituere futurum existentiâ quæ erit, est miscere futurum cum existente. Quid euidentius? Falsò ergo obiiciebas suprà *num.* 14. nos constituentes futurum existentiâ, quæ erit, miscere futurum cum existente. Si primum: rogo, an absurdum sit, miscere præteritum cum existente? dices sine dubio non esse, ne absurdum deglutias: ergo neque absurdum erit miscere futurum 28

rum

rum cum existente. Quorsum ergo id nobis fugiendum obiiciebas? Et vnde in nobis displicuit, quod tibi arrisit?

29 Probatur 4. conclusio. Nam peccata, quæ erunt, sunt nunc certo & infallibiliter futura, & talia fuerunt tota æternitate, non solum quoad entitatem materialem, sed etiam quoad formalem eorum malitiam: nullum autem stat decretum intrinsecè efficax in Deo ad malitiam formalem peccati determinans: ergo certa & infallibilis futuritio malitiæ formalis peccati stat absque vlla determinatione præsēti ad existendum postea. Maior indubitata est. Minor autem certissima, hactenus enim tantum ad materiale peccati admissa sunt à Thomistis, & non ab omnibus, decreta intrinsece efficacia & determinantia. Consequentia autem bona est. Nam in futura aliam determinationem præsentem non agnoscit aduersarius, præter eam quæ sumitur formaliter à decreto. Sicut ergo certa & infallibilis futuritio malitiæ formalis peccati explicatur & intelligitur constituta sola carentia existentiæ nunc & existentia postea; idem nos dicimus & intelligimus de quocunque futuro certo & infallibiliter tali. Hoc argumentum, euasionibus præclusis, magnum est nostræ sententiæ propugnaculum.

30 Responderi posset. Futuritionem malitiæ formalis peccati non esse certam & infallibilem ab existentia postea, sed à determinatione præsenti ad materiale peccati; quia cum entitas materialis peccati sit infallibiter connexa cum formali illius malitia; determinatio ad entitatem sufficiens est ad certam malitiæ futuritionem.

31 Contra. Vel decretum entitatis peccati est ab intrinseco & infallibiliter connexum cum malitia, vel non? si non est connexum; ergo neque potest reddere malitiam certò & infallibiter futuram; ad id enim opus est, vt decretum sit determinatio ad malitiam formalem postea excercendā, quæ non stat absque connexione infallibili cum illa, vt de omni futuro fatentur Thomistæ. Si est connexum: ergo decretum diuinum est determinatio ad malitiam formalem postea exercendam, quod hactenus inauditum est in scholis, Deum scilicet determinare ad malitiam formalem peccati. Probatur consequentia, quia decretum diuinum non alia ratione est determinatio ad existentiam postea exercendam, nisi quatenus est infallibilis connexio cum illa, vt de omni futuro planum est apud Thomistas: ergo si decretum diuinum esset infallibilis connexio cum malitia formali, esset quoque determinatio ad illam. Confirmo, non obstante connexione entitatis peccati cum malitia, Deus prædeterminans ad materiale peccati nulla ratione adhuc indirecte prædeterminat ad illius malitiam: ergo non obstante eadem connexione determinatio ad materiale peccati, nulla ratione adhuc indirecte erit determinatio ad malitiam formalem, aliter esset volitio indirecta illius: ergo absque vlla determinatione præsenti stat infallibilis & certa malitiæ futuritio. His igitur omissis.

Respondet Viues *disputat. illa* 18. *num.* 52. differens solutionem in tomum sequentem, iam, ibi ex professo traditurus. Gauderem vt cum argumento scripta foret solutio, ne aliquis existimaret eam promptam non esse. Non tamen omittam, quod obiter respondet, scilicet: nullum esse inconueniens in eo, quod sit in Deo decretum intrinsece efficax circa malitiam formalem. Quia decretum quod Deus habet circa peccatum, duo includit; 32

alterum prædeterminans materiale, alterum permittens malitiam; & nullum esse inconueniens in prædictis decretis, nec in eorum connexione cum malitia formali.

33 Contra, quia hæc responsio non soluit argumentum à nobis contra superiora obiectum. Nam decretum intrinsece efficax & connexum cum malitia formali esset determinatio ad malitiam formalem; cum ea efficacia non minus antecedens sit, & connexa cum malitia; quam efficacia ad materiale peccati cum eius entitate: Id autem admittere nec est de mente Augustini, nec Thomæ; imo nec Thomistarum solum ad materiale peccati determinationem Deo concedentium. Confirmo ad hominem, nam determinatio ad existentiam postea aliud non est per te *disputat.* 1. *num.* 63. & passim millies, quam securitas seu connexio cum existentia postea exercenda: decretum autem, quod tu vocas permissiuum, est securitas, & connexio infallibilis cum existentia malitiæ postea exercendæ: ergo est determinatio malitiæ; immo prædeterminatio cum antecedat illam. Vide in quas angustias tandem deuenerit hic Recentior, vt nostris argumentis circumactus, sub permissionis nomine, re ipsa cogatur, infinitam Dei bonitatem prædeterminatricem malorum constituere, quod non solum Iesuitæ, sed omnes etiam Dominicani constanter detestati sunt.

34 Si alius vero respondeat, malitiam formalem esse certo & infallibiliter futuram absque decreto vllo intrinsece efficaci circa illam, vt mihi publice disputanti pro futuro conditionato respondit in vniuersitate Valentina Recentior Dominicanus in oppositione cathedræ defuncti Viues. Instabam: ergo datur futurum certum & certo cognitum à Deo, & non in decreto. Concessa est consequentia male ferentibus Dominicanis. Vrgebam, in quo ergo cognoscitur hoc futurum à Deo? Responsum est, cognosci in determinatione creatæ voluntatis. Quo donata fuit nobis sententia nostra pro scientia futuri conditionati, siue Media; vel vt melius dicam extorta fuit præsentis argumenti pungente aculeo. Quod si idem sentiant alij, pacificè iungamus dextras, quod in votis est.

SECTIO IV.

Exarmantur obiectiones, & reflectuntur.

OBiicit primò Viues *disput.* 18. *à num.* 10. Vt hoc iudicium: *Petrus peccabit cras:* de præsenti sit verum, necesse est, vt existat de præsenti veritas illius: aliud enim non est, iudicium esse nunc verum, quam dari nunc veritatem illius: veritas autem illius iudicij importat infallibilem connexionem cum peccato vt existente cras, cum sit inconiungibilis cum eo quod Petrus non peccet cras: ergo vt illud iudicium sit de præsenti verum, necesse est, vt existat de præsenti connexio infallibilis cum peccato vt existente cras. Nunc sic, vt iudicium de crastino peccato Petri sit de præsenti verum, necesse est, vt de præsenti existat connexio infallibilis cum peccato postea: ergo vt futurum sit nunc certo & infallibiliter tale necesse est, vt de præsenti sit certitudo, & infallibilitas ad existendum postea. Probatur consequentia, quia sicut iudicium illud est verum à veritate, & connexione cum peccato postea; ita futurum est certo, & infallibiliter futurum à certitudine, & infallibilitate 35

seu

seu connexione ad existendum postea: iudicium autem de crastino peccato Petri non potest esse hodie verum, nisi hodie de præsenti existat veritas, & connexio cum existentia crastina peccati: ergo neque futurum hodie poterit esse, & infallibiliter futurum, nisi hodie de præsenti existat certitudo, & infallibilitas, seu determinatio ad existendum postea.

36 Confirmatur, sicut de iudicio illo verificatur hodie, esse verum; ita de te mane extitura verificatur hodie, esse certo, & infallibiliter extituram; insuper sicut veritas illius iudicij importat connexionem cum crastina existentia peccati, estque inconiungibilis cum eo, quod Petrus non peccet cras; ita futuritio certa & infallibilis hodie, importat connexionem cum existentia postea, estque inconiungibilis cum eo, quod res postea non existat: ergo sicut de iudicio illo non potest verificari hodie, esse verum; nisi hodie existat de præsenti veritas illius; ita nec de futuro poterit verificari hodie, esse certo & infallibiliter exiturum, nisi hodie existat de præsenti certitudo, & infallibilitas ad existendum postea, seu determinatio, quod idem est. Consequentia videtur legitima, æqualis enim est vtriusque ratio. Instat Viues à num. 16. Quando dicimus, Antichristum esse nunc cognitum, dictio *Nunc* significat cognitionem præsentem: ergo quãdo dicimus Antichristum esse nunc certo futurum; dictio *Nunc* denotat præsentem certitudinem, infallibilitatem, & determinationem ad existendum postea.

37 Hoc argumentum, quod multis contra P. Ribadeneyram prosequitur citatus Viues, adeo efficax sibi visum est, vt inconsequentiæ notet P. Ribadeneyram admittentem antecedens, & negantem consequentiam. Cæterum videamus; an vitium, quod exprobrat, incurrerit aduersarius. Ita disputo, primò, vt hoc iudicium: *Petrus peccabit cras*: sit de præsenti verum, necesse est, vt de præsenti existat veritas illius: ergo vt malitia formalis eiusdem peccati sit hodie certo & infallibiliter futura, necesse est, vt existat hodie certitudo & infallibilitas seu determinatio ad existendum postea. Vel ergo antecedens verum est, vel non? si verum non est, euanuit argumentum tuum, immo conuersum est contra te; nam si actus ille possit esse verus, quin veritas sit existens de præsenti: ergo & futurum poterit esse certo tale, quin existat de præsenti certitudo. Si verum est: ergo inconsequenter negatur ab omnibus Thomistis consequenta, cum à nullo hactenus admissa fuerit determinatio diuina ad malitiam formalem peccati. Secundò, vt hoc iudicium: *si ignis disposito passo applicaretur, combureret*: sit de præsenti verum, necesse est, vt de præsenti existat veritas illius: ergo vt hoc idem futurum conditionatum necessarium sit de præsenti certo & infallibiliter necessariò futurum, necesse est, vt existat de præsenti certitudo & infallibilitas seu determinatio necessaria ad existentiam combustionis si conditio poneretur. Antecedens verum est. Consequentia autem negatur ab omnibus Thomistis, eam determinationem præsentem soli futuro contingenti concedentibus. Vbi est ergo doctrinæ sequela obiecta Patri Ribadeneyræ. Tertio, vt hoc iudicium: Adamus est præteritus: sit de præsenti verum, necesse est, existat de præsenti veritas illius: ergo vt præteritio Adami sit nunc certò & infalli

fallibiliter talis, necesse est existat de præsenti certitudo & infallibilitas seu determinatio ad existentiam antea. Antecedens, ne contra te sit, verum esse debet. Qua igitur doctrinæ sequela negas consequentiam, vt section. præcedente vidimus, si consequens tibi est concesso antecedenti non respuere consequentiam in futuro. Cur non ita in præterito? Quartò, etiam si in hoc actu: Antichristus est nunc cognitus: dictio *nunc* denotet cognitionem siue formam præsentem; tamen in hoc alio: Adamus est nunc præteritus: dictio *nunc* non denotat per te formam siue existentiam præsentem: ergo neque in hoc alio: Antichristus est nunc futurus: dictio *nunc* denotabit formam siue existentiam præsentem. Patet consequentia, quia præteritum & futurum, quoad sui formam, maiorem similitudinem habent inter se, & doctrinæ consequentiam, quam cum denominatione cogniti: ergo attendenda sunt potius inter se, quàm respectiuè ad cognitum.

38 Respondeo primò, consequentiam argumenti bonam esse ex suppositione, quod ante existentiam actu sit nunc certa & infallibilis futuritio. Nam sicut actus est actu vetus à veritate; ita res est actu certo futura à futuritione certa: ergo sicut actus non est actu vetus, nisi actu existat veritas illius; ita neque res actu erit certò futura, nisi actu existat certa illius futuritio. Cæterum negamus suppositionem illius consequentiæ cum Patre Ribadeneyra, cuius mentem non bene meditatus est Viues, videlicet; quod nunc, antequam res existat, actu sit certa & infallibilis futuritio: non enim est nunc, sed est partim nunc & partim postea, quia est essentialiter successiua, vt ex professo amplius declarabimus sectione 4.

Responderi posset secundo, concesso antecedenti negando consequentiam. Ratio disparitatis clarissima est, nam futurum est complexum inuoluens extrema contradictoria, scilicet esse, & non esse, sicut præteritum: Cum autem implicet simul esse, & non esse; inde forma denominans nunc futurum, nec opus est, nec possibile, quod nunc sit: sicut ex eodem capite fatetur aduersarius formam præteriti nec opus esse, nec possibile, quod actu sit, quando denominat nunc præteritum: At actu verum, vel actu cognitum non sunt complexa inuoluentia extrema contradictoria, sunt enim actus & obiectum, quæ contradictoria non sunt: Vnde cum simul esse possint, simul etiam esse debent vt actu denominent. Quod si aliquando simul esse non possent ex speciali repugnantia idem tunc dicendum existimo, quod de futuro, & præterito. 39

Obiicit secundo Viues n. 23. Futurum rigorose est illud, quod certò & infallibiliter existet: tale autem nequit esse, nisi habeat de præsenti determinationem actualem ad existendum postea: ergo. Minor probatur, quia de futuro, antequam sit, verificatur quod certo erit: id autem est verificari, quod habet determinationem de præsenti ad existendum postea. Maiorem probat, quia si quæ est difficultas, in ea sola stare potest. Sed deceptus est, & factus irritus aduersarij labor; nam Minorem, quam negamus, probare debuisset. 40

Respondeo, concessa maiore, negans minorem. Ad probationem conceditur maior, 41

maior, quam probandam sine re susceperat aduersarius; & negatur minor quam improbatam relinquit. Nam futurum esse nunc certò futurum tantum est denominatio extrinseca ab existentia postea; sicut præteritum esse nunc certò præteritum in tua & nostra sententia tantum est denominatio extrinseca ab existentia anteà. Sicut ergo certo præteritum stat absque vlla determinatione præsenti cum sola carentia existentiæ nunc & existentia anteà; ita & futurum certò stat absque vlla determinatione de præsenti cum sola carentia existentiæ nunc, & existentia posteà. Insuper sicut malitia formalis crastini peccati in sententia Thomistarum est hodie certo futura absque determinatione præsenti ad existendum mane. Cur non idem erit de cæteris. Præterea futurum conditionatum necessarium in sententia Thomistarum est certo futurum absque vlla determinatione de præsenti: Quomodo ergo ex futuro certo, inferri potest à Thomista determinatio illa præsens?

Obiicit tertio num. 25. Futurum di-
42 stinguitur à possibili saltem quoad statum: non autem distingui potest, nisi habeat de præsenti determinationem ad existendum posteà: ergo. Minor probatur, quia possibile dicit indifferentiam ad existendum & non existendum, quam futurum excludit: ergo includere debet determinationem de præsenti ad existendum postea. Hæc obiectio pressura est obiicientis potius quàm nostra. Primò, quia præteritum distinguitur à possibili saltem quoad statum: non autem distingui potest, nisi habeat de præsenti determinationem ad extitisse antea: ergo. Minor probatur, quia possibile dicit de se indifferentiam ad prætereundum & non prætereundum, quam præteritum excludit: ergo includere debet determinationem de præsenti ad extitisse anteà. Hæc consequentia falsa est per te; indica ergo mihi, vnde tua bona sit. Secundò, malitia formalis futura distinguitur à possibili saltem quoad statum: non autem distingui potest, nisi habeat de præsenti determinationem ad existendum postea: ergo. Minor probatur, quia malitia possibilis dicit indifferentiam ad existendum & non existendum, quam excludit futura: ergo includere debet determinationem de præsenti ad existendum postea. Hæc autem consequentia falsa est in sententia omnium Thomistarum; iudicet ergo Thomista, vnde ex eisdem præmissis contra nos inferri possit conclusio vera.

Respondeo concessa maiore negans 43
minorem Ad probationem concesso antecedente, nego consequentiam. Futurum enim sufficienter intelligitur distinctum à possibili per existentiam, quæ erit; sicut præteritum per existentiam quæ fuit, absque determinatione aliqua de præsenti. Possibile enim præscindit ab omni existentia, quæ sit, fuit, aut erit. Præsens dicit existentiam, quæ est præteritum existentiam, quæ fuit; futurum vero existentiam, quæ erit.

Instabis: Differentia, qua futurum 44
distinguitur à præterito, possibili, & existente, est nunc, quando futurum est: ergo non potest esse existentia, quæ non est. Retorque, differentia, qua præteritum distinguitur à futuro, possibili, & existente, est nunc, quando præteritum est: ergò non potest esse existentia, quæ non est. Respondeo distinguendo antecedens. Differentia adæquata, qua futurum distinguitur à præterito, possibili, & existente, est nunc, quando futurum est, nego: inadæquata, scilicet carentia existen-

tiæ, concedo. Et nego consequentiam, quia complexum ex duplici extremo contradictorio, qualia sunt futurum, & præteritum, sicut non potest habere de præsenti simul totum constitutiuum; ita neque de præsenti simul habere potest totam differentiam.

SECTIO V.

Reliquæ obiectiones infirmatæ.

45 OBiicit quartò, numer. 26. Futurum certò & infallibiliter tale differt à futuro à casu, dubio, & probabili, loquendo de illis secundum se præscindendo ab omni decreto, & cognitione diuina: non nisi per determinationem de præsenti ad certò, & infallibiliter existendum postea: ergo. Minor probatur, quia futurum à casu, dubium, aut probabile aliquando habet, non esse nunc, & esse posteà: ergo his præcisè non potest ab eo distingui futurum certo, & infallibiliter tale: ergo distingui debet per determinationem de præsenti ad certò, & infallibiliter existendum posteà.

46 Hoc argumentum ruina est oppositæ sententiæ, & irrefragabile auxilium nostræ. Primò, prodeat maior, scilicet, futurum certò & infallibiliter tale differt à futuro à casu, dubio, & probabili, loquendo de illis secundùm se, & præscindendo ab omni decreto, & cognitione diuina. Infero ex tua hac propositione: ergo determinatio, qua futurum infallibile differt à futuro à casu, dubio aut probabili, non est decretum, aut cognitio diuina; aliter futurum infallibile eam determinationem non haberet præciso omni decreto, & cognitione diuina: ergo ea determinatio est aliquid creatum: non carentia existentiæ sola, vt est perspicuũ: ergo ens aliquod positiuum. Hoc autem est contra fidem, qua docemur ab æterno nihil creatum positiuum extitisse; ea verò determinatio extitit: ergo fictitia omnino est. Secundò, quia præteritum certò, & infallibiliter tale differt à dubio, & probabili per te absque vlla determinatione de præsenti: ergo & futurum. Tertiò, quia si futurum certò, & infallibiliter tale aliud non habet, quò distinguatur à dubio, & probabili, nisi determinationem de præsenti: ergo admittenda est determinatio præsens ad malitiam peccati certò, & infallibiliter futuram contra omnes Thomistas.

Respondeo, in rerum natura non dari futura à casu, dubia, aut probabilia in se: talia enim sunt tantum quoad nos. In re enim vel existit aliquando res, vel nunquam. Si secundum, non est re ipsa futura, sed merè possibilis. Si primum, toto tempore antecedente existentiam est certo & infallibiliter futura; non quidem à determinatione aliqua præsenti, sed ab existentia suo tempore exercenda. Ex suppositione tamen, quod daretur futurum à casu, dubium, & probabile; hoc distingueretur ab illo futurum certum & infallibile: quod istud tale esset ab existentia à casu, dubia, aut probabili. Ex suppositione enim, quod admittatur futurum certum & dubium, admittenda quoque est existentia certa & dubia. Vnumquodque ergo futurum existentia sibi congrua constitueretur, sicut præteritum. His tamen non negamus futura contingentia esse talia antecedenter & in causis; sed tantum consequenter, & in se ipsis; Quod non satis à pluribus aduersariorum meditatum est. 47

Obiicit

48 Obiicit quintò, num. 28. de possibili pro signo, quo est possibile, & antequam sit futurum vel existens, verificatur actu de præsenti, quod potest existere. Et de existenti pro instanti, quo actu existit, verificatur actu & de præsēti, quod actu existit: ergo de futuro certò & infallibiliter tali, debet iam verificari in instāti, in quo est sic futurū & antequam existat, quod est certò & infallibiliter futurum, siue exiturum.

49 Hoc argumentum nostrum etiam est. Primò, quia licet de possibili actu verificetur, quod potest existere; & de impossibili, quod non potest existere; id tamen contingit absque vlla determinatione de præsenti ex parte obiecti; aliter circa possibilia & impossibilia admittenda esset determinatio præsens, quod hactenus inauditum est: ergo ex eo, quod de futuro certo, verificetur, quod certò & infallibiliter exiturum est, inde nulla colligitur determinatio præsens ad existendum postea. Secundò, quia de futuro conditionato necessario verificatur, quod certò esset si conditio poneretur: de malitia peccati crastini verificatur, quod certò erit: Et de præterito, quod certò fuit absque vlla determinatione de præsenti in sententia Thomistarum: cur non idem erit de futuro?

50 Respondeo igitur concesso toto argumento, non probari intentum. Nam ex eo, quod de futuro actu verificetur, esse certò exiturum, nulla colligi potest determinatio aliqua de præsenti ad existendum posteà: sicut colligi non potest, nec colligitur à Thomistis, in instantiis à nobis adductis.

51 Obiicit sextò num. 29. Futuritio certa & infallibilis non est aliquid fictum, sed reale: ergo potens existere, potensque aliquando actu verificari de re certò & infallibiliter futura: atqui verificari nequit de re futura, quādo est pure possibilis; nec quando est existens: ergo actu verificatur de illa quando est futura. Hoc argumentum nihil distat à præcedenti, quare eisdem instantiis vrgendum est.

Respondeo concedens totum, quod obiicitur, quia nihil inde probatur contra nos. Qui libenter conuenimus in omnibus quæ proponit obiectio. Sicut enim futuritio certa non est aliquid fictum, sed reale, potens existere, potensque aliquando verificari actu de re illa, quæ futura est; Ita præteritio certa non est aliquid fictum, sed reale, potens existere, potensque aliquando verificari de re illa quæ præterita est: idemque est de futuritione absoluta malitiæ peccati, & de conditionata necessaria. Nec tamen inde colligitur aliqua determinatio præsens: ergo neque in futuro. Si autem contendat obiectio, quod non explicat, Futuritionem esse possibilem, & potentem existere adæquatè, siue quoad omnem partem sui constitutiuam simul. Sicut aduersarius id negat in præteritione; ita & nos in futuritione negamus: hoc tui discrimine quod semper illi restat disparitas reddenda. Confirmo, nam binarium ex duratione hodierna & crastina non est quid fictum, sed reale, potens existere, potensque actu verificari de illo quod est binarium durationū, siue esse duas durationes: nec tamen existere potest adæquate, siue quoad vtramque partē simul, siue hodie, siue cras, siue alio quouis tempore: ergo ex eo, quod futurum nō sit aliquid fictum, sed reale, potēs existere, potensque actu verificari, quod futurum sit, non inde sequitur posse futurum existere adæquate siue quoad vtramque partem simul. 52

53. Instat primò Viues num. ordine 32. & 33. probaturus existentiam, quæ posteà erit, non posse esse partem futuritionis totalis & adæquatæ. Nam futuritio certa adequate sumpta nihil aliud dicit; nisi quod res certo & infallibiliter erit postea; est enim futuritio quasi exstituritio rei: ergo vbi nihil deest ad hoc, vt vere dicatur, quod res certò & infallibiliter erit, siue ad adæquatam, certam, & infallibilem extituritionem; nihil quoque deest ad adæquatam, certam & infallibilem futuritionem rei: atqui hoc solo dato, quod Antichristus sit nunc de præsenti certò & infallibiliter extiturus, ac proinde determinatus ad infallibiliter existendum postea, nec coniungibilis cum non existentia exercenda, absque eo, quod expectetur eius existētia præsens in fine mundi, iam nihil illi deest, ad hoc vt vere dicatur quod certo infallibiliter erit posteà: ergo. Minor probatur. Primo, quia futuritio certa connectitur cum existentia: ergo non requirit existentiam tanquam sui partem. Secundò, quia nunc est verum, Antichristum certo extiturum in fine mundi: ergo nihil deest ad completam futuritionem: ergo non est, cur futuritio expectare debeat existentiam exercendam in fine mundi, qua completa sit. Tertio, quia existentia, quæ erit in fine mundi constituet præsens, & soluet futuritionem: ergo non potest constituere futurum: aliter futuritio solueretur & destrueretur accedente parte, qua in suo esse completur. Quartò, quia præteritum adæquatè sumptum non requirit vt sui partem existentiam præsentem: ergo neque futurum. Quintò, quia possibile, quod potest esse, & aliquando est futurum & existens, non includit vt sui partem ad completam possibilitatem, certitudinem ad existendum postea, aut ipsam existentiā: ergo idem dicendum de futuro respectu existentiæ. Hæc sunt argumenta ab recentiore sæpius in vno libro repetita. 54.

Respondeo concessa maiori, negans minorem, quoad illam partem, ac proinde determinatas ad infallibiliter existendum, &c. si sermo sit de determinatione præsenti, quam versamus. Ad primam illius probationem distinguo antecedens: Futuritio connectitur cum existentia connexione inferente siue respiciente illam tanquam purum terminum, nego: connexione includente illam; sicut totum connectitur parti, quam includit, concedo. Et nego consequentiam; quia connexio totius cum parte non excludit partem cui connectitur, sed eam includit. Nec doctrinam istam fugere potest aduersarius in præterito anteactam existentiam includente. Ita in illo, Præteritio connectitur cum existentia, quæ fuit; sicut futuritio cum existentia, quæ erit: hoc tamen non obstante per te præteritio non excludit, sed includit tamquam sui partem constitutiuam existentiam, quæ fuit, ergo & futuritio existentiam, quæ erit. Quid clarius?

Ad secundam eiusdem minoris probationem, concesso antecedente nego consequentiam. Quia defectus partis futuritionem constituentis non impedit quod nunc verificetur, Antichristum esse futurum: imò defectus ille necessarius est. Nam dicere, Antichristus est nunc futurus; aliud non est, quam dicere; Antichristus nunc non est, & erit postea, ad quod verificandum necesse est, quod Antichristus nunc non sit existens, sed postea. Sicut vt nūc verificetur, Adamum esse præteritum, non opus est, vt pars constitutiua præteriti scilicet anteacta existentia, sit nunc; sed sat est fuisse; imò necesse est; vt nunc quando vere 55.
dicitur

dicitur præteritum, non sit. Et ratio omnium est. Quia voces istæ, Futuritio, Futurus, præteritio, Præteritus, quando coniunguntur verbo de præsenti *est*, limitant illius significationem; ita vt subiectum non denotetur existens tunc, sed anteà vel posteà.

56 Ad tertiam probationem concesso antecedenti nego consequentiam. Nec inconueniens est, quod existentia partis futuritionem componentis, soluatur & pereat futuritio. Sicut inconueniens non est apud te quod existentia partis constituentis præteritionem, scilicet existentia rei præteritæ, soluatur & pereat præteritio.

57 Quarta probatio nostra est, non tua. Nam licet præteritũ pro nunc, quando præteritum est, nec requirat nec habere possit existentiam præsentẽ, constituitur tamen existentia anteacto tempori præsente, & quando ea existentia erat præsens, existebat tunc forma constituens nunc præteritum. Similiter dicimus, licet futurũ pro nunc, quando futurũ est, nec requirat nec habere possit existentiã præsentem, constitui tamen existentia sequenti tẽpore præsente, & & quando tunc existet, tunc quoque: erit forma constituens, nunc futurum.

58 Quinta probatio momenti nõ. Quia de ratione possibilis non est quod aliquando existat; bene vero de ratione futuri. Et si quid probat conuincit neque determinationem de præsenti constituere futurũ, cum similis determinatio non constituat possibile, vt ajebat probatio. Quod si instes: Neque esse de ratione futuri quod sit, sed quod exciturum sit. Respondeo, nos non dicere, esse de ratione futuri quod sit nũc quãdo futurũ est, sed quod existat postea, & hanc existentiã dicimus constituere exciturũ, siue futurũ nunc: sicut existẽtia quæ fuit cõstituit nunc præteritum.

59 Instat secundo viues *num.* 37. Quæ enim congerit numeris præcedentibus nihil succi habent præter quæstionem. Hæc propositio: Antichristus erit non tantum dicit de præsenti, quod Antichristus non sit, sed etiam quod existet postea, interrogo ergo, inquit, quid significet, quod existet postea? Nũ significatur determinatio præsẽs ad certo & infallibiliter existendum postea, aut sola existentia futura præscindẽdo à certa & infallibili futuritione? si Primum conceditur intentum: secundum dici non potest, nam futuritio Antichristi certa est & infallibilis, cum sit de fide eius existentia in fine mundi: ergo.

Mirabilis est author iste, in eo quod, post tot nostræ sentẽtiæ explicationes, & incursiones eius in illam, pro vltimo argumento interrogat, quid nos velimus significari verbis illis: *Existet posteà*. Sanè hæc interrogatio initio controuersiæ opportuna fuisset, ne in incertum dubia de titulo quæstionis argumenta huc atque illuc vagarentur. Quia tamen nunc pro re satis clara; scilicet quid sit postea existere, nos interrogat. Respondemus non esse determinationẽ præsentẽ ad existẽdum postea, quod desiderabat vt spõtaneè daremus: Neque esse existentiam futurã præscindentem à certa, & infallibili futuritione, vt ipse existimabat, sed existentiam futuram siue exciturani postea, & constituentem certam & infallibilẽ futuritionem, & ab ea minime præscindentẽ. Sicut extitisse antea in præterito, neque est determinatio aliqua de præsenti, neque existentia præterita præscindens à certo, & infallibili præterito; sed existentia, quæ fuit constituens certum, & infallibile præteritum. 60

SECTIO VI.

Vlterior præcedentium declaratio.

Adeò familiariter in præcedentibus cum aduersario colloquuti 61

C sumus

sumus,eius terminos & loquendi modos non semel assumentes, & in multis cum eo communicasse videamur, nūc supponētes esse futurum ante existentiam, nunc admittentes futuritionem æternam,nunc certitudinem& infallibilitatem dum futurum est, & antequam existat. Hæc tamen ita inexplicata permisimus,vt vno ore loquentes aduersarij incursus & latibula tentaremus. Nunc autem singillatim omnia declaranda sunt.

62 Assero primò, nullius entis futuritionē adęquatā exritisse ab æterno.Ratio est clara,quia futuritio adæquata est complexum ex carentia existentiæ, & ipsa existentia rei: existentia autem non fuit ab æterno: ergo neque complexum: ergo neque adæquata futuritio, sola enim carentia existentiæ, quæ ab æterno fuit, non est futuritio, sed pars illius, eaque indifferens de se tam ad futuritionem,quam ad meram passibilitatem entis. Vnde colligo hanc propositionem esse falsam: *Futuritio tota Antichristi fuit vel extitit ab æterno.* Similiter colligo neque existere futuritionem adæquatam nunc, quando res dicitur futura; quia tunc non est existentia. Denique colligo neque existere futuritionem, quando res existit,quia tunc non existit carentia existentiæ, & consequenter neque complexum futuritionis.

63 Dices: quando ergo est futuritio? Respondeo adæquatam futuritionem nunquam esse nec posse esse simul.Ratio est, quia cum constet extremis contradictoriis, si simul aliquando esset tota futuritio, simul aliquando essent duo contradictoria,scilicet esse & non esse,quod implicat.Inde colligo futuritionem esse conceptum essentialiter successiuum consistentem in carentia existentiæ antecedēti,& existentia cōsequenti: sicut ergo res successiua,neque est, nec potest esse tota simul; sed partim anteà, & partim pòst. Ita futuritio est partim antea scilicet ab æterno, & partim post,scilicet in tempore; nunquam tamen tota simul. Nec inde inferas Deum non cognouisse ab æterno futuritionem adęquatam:quia licet nō cognouerit futuritionē adæquatam adęquatè existentem ab æterno;cognouit tamen futuritionē adæquatā partim existentē ab æterno & partim in tēpore. Nam Deus ab æterno nouit existentias creaturarum,quæ in tempore sunt.

Assero secundò, certitudinem aut infallibilitatem adæquatam futuritionis non extitisse ab æterno. Hæc conclusio sequitur ex dictis. Nam infallibilitas & certitudo futuritionis nihil est distinctum ab ipsa futuritione:hæc autem adæquata non extitit ab æterno: ergo neque certitudo aut infallibilitas existendi posteà. Sicut ergo futuritio est essentialiter successiua, nec potens existere tota simul;sed partim anteà & partim pòst,idem dicimus de certitudine & infallibilitate existendi posteà: vnde modo quo nouit Deus ab æterno futuritionem, nouit etiam certitudinem & infallibilitatem illius. 64

Assero tertiò,propositiones veras de futuro contingēti necessario attingere plura tēpora.Probatur,nam hęc propositio: Antichristus est futurus:duplicē sensū reddere potest.Primus est,Antichristus nunc pro instanti præsenti est futurus,præscissis, vel exclusis aliis instātibus;& in hoc sensu propositio illa vera non est,quia nunc pro solo instāti præsenti nō est futuritio,sed sola illius pars.Secundus est,Antichristus est futurus partim nunc,& partim post:& in hoc sēsu vera est,quia ita est futuritio: hoc autē pacto necessario attingit plura tempora:ergo.Cōfirmo,futuritio est essētialiter successiua non minus quā duratio:at quia duratio successiua est,propositio asserens:Petrus est durās:attingit necessariò plura tēpora, quia vnico 65

solo

solo instanti res non durat:ergo cũ futuritio successiua sit, propositio asserẽs: *Antichristus est futurus*; necessario attinget plura tempora, si vera esse debeat.

66 Obiicies primò. Ab æterno non fuit certa & infallibilis Antichristi futuritio:ergo neque potuit Deus ab æterno cognoscere Antichristum certo & infallibiliter exiturum, siue futurũ. Iam dixi obiectionem istam momenti non esse. Cõcesso igitur antecedenti, distinguo consequens, non potuit Deus ab æterno cognoscere Antichristum certo & infallibiliter futurũ partim ab æterno, & partim in tẽpore, nego: totum ab æterno, concedo Nam Deus etiam ab æterno nouit, quæ in tempore sunt, & consequenter existentiam Antichristi constituentem futuritionem, etiam si ista ab æterno non fuerit.

67 Obiicies secundò; si tota futuritio nõ esset nunc, quando dicimus, *Antichristus est futurus*, neque actus esset nunc verus: sed falsum est:ergo. Maior probatur, quia veritas illius actus est complexum ex actu, & obiecto, scilicet futuritione Antichristi: hoc autem complexum non est nunc, cum non sit tota futuritio: ergo neque veritas actus. Cõfirmatur, ideo tota futuritio non est nũc quia deest pars futuritionis: atqui deest etiam pars veritatis, cum eadem quæ est pars futuritionis sit quoque veritatis pars: ergo tota veritas actus nõ est nũc.

68 Hæc obiectio non militat cõtra actus metaphysicè certos aut euidentes, quales sunt omnes supernaturales fidei & scientiæ, & actus etiam omnes diuini, & plures alij etiam naturales saltem possibiles; quorum omnium veritas nõ est complexum ex actu & obiecto; sed cõnexio soli actui intrinseca, & adæquatè cum solo illo identificata. Militat ergo contra actus contingenter veros, eos scilicet, qui ita veri sunt, vt potuerint esse falsi, quorum veritas, cum sit illis contingens, non potest esse sola entitas actus, & aliunde cum non sit relatio media inter actum & obiectum, necessario debet esse complexum ex actu simul & obiecto. Respõdeo ergo huiusmodi propositiones de futuro cõtingẽti ante existentiã obiecti ex vna parte esse veras, quatenus affirmant carentiã existentiæ, quæ tunc est, ex alia verò rigorosè loquendo, ex parte scilicet existentiæ, neque esse veras, neque falsas; quia veritas est complexum ex actu, & existentia rei, quæ futura enuntiatur ex vna parte: nullũ autem complexũ propriè existit dum omnes eius partes nõ existunt, cũ ab illis minime distinguatur: ergo neque veritas, aut falsitas ex parte existentiæ: ergo ex hac parte neq; erit actu verus, neque actu falsus: quia talis esse non potest nisi ab actuali veritate, aut falsitate. Idem quod de futuro, & actu vero diximus, iudico dicendum de quocunque alio complexo siue intrinseco siue extrinseco, antequam aliqua illius pars existat, quia eodem est pro omnibus ratio.

SECTIO VII.

An futurum absolutum contingens tale sit ante decretum Dei absolutum ex parte actus actu & formaliter existens in Deo.

PRo sententia affirmante citat Theologus Salmanticensis discalceatus disp. non 5. vt ait Viues, sed 7. de Scientia Dei n. 89. P. Soarium opusc. de sciẽtia futurorum contingentium l. 2. c. 2. n. 3. & seqq. Et c. 7. n. 15. & 16. P. Vasquium, disp. 66. de Scientia Dei, c. 2. P. Herize ibid. tract. 1. disp. 6. c. 7. Hæc tamen quàm clara impostura sit, nã malitiosam non crediderim, nouit Viues, & quisquis mediocris Theologus, qui eos euoluerit Doctores: tantùm enim negant præcedere respectu futuri absoluti contingentis & liberi decretũ intrinsecè efficax seu prædeterminans, in quo ea futura valeant à Deo cognosci; non autem negant præcedere decretũ 69

ab

absolutum ex parte actus de se indifferens. Quare Magister Viues disp. 1. n. 21. tãtũ disputat. Quid causæ fuerit ad imponendam eam sententiã Patribus Societatis, quam re vera non docuerũt? vt ipsemet numeris prçcedẽtib. demõstrat.

70 Triplicem rationem assignat. Prima est à num. 22. Quia prædicti Doctores agentes de futuritione absoluta contingentium, nullatenus insinuant dependentiam eorum à decreto absoluto Dei. Nam Pater Soarius opusculo 2. lib. 10. integro de scientia futurorum contingentium absolutorum, vbi ex professo aperit suam mentem, nec verbum habet significans eam dependentiam à diuino decreto absoluto; imò ferè omnia habet contraria. Nam in primo cap. proponit subiectum operis. In secundo decernit in propositionibus absolutis de futuro contingenti esse sufficientem veritatem determinatam, secundum quam à Deo præsciri possint. In tertio negat præsciri posse in proxima causa. In quarto idem ait de diuinis ideis. In quinto id ipsum dicit de diuinæ scientiæ efficacitate. In sexto idem tenet de diuino decreto, nisi prædefinitiuum sit. In septimo idem habet de præsentia in æternitate. In octauo concludit Deum cognoscere futura contingentia absoluta & libera in obiectiua eorum veritate. Certè si voluisset P. Soarius occultare ex primaria intentione sententiam illam de prioritate decreti absoluti respectu futuritionis absolutæ, aut omnino contrarium determinare, aliis verbis vti non potuisset. Idem sugillat Patri Vasquez, num. 24.

71 Eruditum se ostentat Viues circa titulos quæstionum: cæterum si non solos illos, sed contenta etiam sub illos percurrisset; in limine, quod forte non desiderabat, inuenisset. Nam opusculo 2. citato cap. 1. distinguit P. Suarius duplex futurum absolutum contingens: vnum à solo Deo procedens; aliud à Deo simul & creatura liberè operante. Circa primum ait nu. 5. *In priori modo effectus pendet quidem ex libero modo operandi solius diuinæ voluntatis, cum ad nullam aliam causam respectum habeat: tamen determinatio ipsa diuinæ voluntatis ipsimet Deo facile nota est in æterno & efficaci decreto eiusdem voluntatis suæ: nam, vt Deus in tempore faciat talem effectum, necesse est, vt ab æterno habeat tale decretum efficax: quia neque in tempore potest incipere illud habere; neque sine illo potest operari; cum voluntariè, & liberè operaturus sit.* Circa secundum verò futurum, scilicet, quod est à Deo simul & creatura liberè operante, ait num. 6. *In posteriori autem modo effectus pendet, non solum à Deo, sed etiam à causa secunda, cui Deus præbet, vel offert concursum suum. Et ideò, vt cognoscatur effectus futurus, necessarium est cognoscere, non solum concursum Dei, aut voluntatem concurrendi, quantum in ipso est; sed etiam influxum, seu determinationem futuram causæ secundæ. Præbet autem Deus hunc concursum media voluntate sua; & consequenter, si in tempore concursurus est; ab æterno habuit propositum concurrendi.* Insinuauit ergo P. Soarius, & expressit dependentiam absolutè futurorũ à decreto Dei absoluto: atque adeò Thomistæ excusationem non habent de impostura sua. In ea tamen mirabilis est Viues, quod dum alios excusat ipse offendit, citans librum 10. Soarij, cum tamen in opusculo illo 2. duo tantum libri contineantur.

Eandem dependentiam futuri ab-
soluti contingentis à decreto absoluto 72
expressit P. Vasquius disp. 65. de Scientia Dei, vbi num. 6. ita scribit. *Deinde nullam rem esse futuram sine peculiari aliqua voluntate & definitione Dei circa illam: id quod mihi adeo certum est,*

vt existimem nullo modo negari posse. Et num. 10. *Supponimus decretum hoc voluntatis Dei ordine quodam causæ prius esse, quam res sit futura: imo ex eo aliquid esse futurum, quia Deus voluit: nam res futura non potest intelligi adhuc futura, nisi ex suis causis: sed inter causas est decretum Dei, vt explicatum est, nihil enim sine voluntate Dei fit: ego antequam res futura sit, ordine quodam causæ, Deus voluit esse futuram: pracedit igitur decretum Dei rem futuram.* Quis hæc apud P. Vasquium 1. part. disp. 65. legat & audiat, qui non videt conuictum Viues asserentem num. 24. P. Vasquium 1. part. à disp. 64 ad 66. non insinuasse dependentiam absolutè futurorum à decreto absoluto Dei? Similia videas apud P. Herize de Scientia Dei disp. 6. toto cap. 3. vbi Theologus Salmanticensis inuenisset quale sit decretum absolutum à quo pendeant futura absoluta contingentia quod autem non inuenerit, diligenti & impigro authoris studio tribuendum est.

73 Secunda ratio est, quia argumenta, quibus nostri Doctores vtuntur ad suadendam futuritionem absolutam contingentium, aut nihil probant, aut suadent eam dari ante omne decretum absolutum. Talis est ratio illa de contradictoriis, qua communiter vtuntur P. Soarius & P. Vasquius. Et illa alia, quæ sumitur ex præsentialitate rei, ratione cuius, antea iam est verum dicere, quod aliquando erit. Cæterum ea argumenta nusquam à nostris Doctoribus obiecta sunt independenter à decreto Dei, sed supposita ab omnibus ea dependentia, vt nuper demonstratum est: inde ergo nulla est sufficiens excusatio. An autem valeant, vel non, videbitur suo loco.

74 Tertia ratio. Quia nostri Doctores probaturi determinatam veritatem futurorum sub conditione ex præsentialitate eorum, continuo docent, in hoc eandem esse rationem de conditionatis ac de absolutis, vt ait P. Soarius lib. 2. de Scientia conditionata cap. 7. & prolog. 2. de gratia cap. 7. num. 21. Cum ergo futuritio conditionatorum sit ante omne decretum absolutum ex parte actus in nostra sententia. Quid mirum inde Thomistas collegisse, idem nos dicere de futuro absoluto. Hæc tamen ratio potiùs increpat quam excusat Thomistas. Nam etiam si Doctores nostri admittant futurum conditionatum ante omne decretum absolutum ex parte actus; non tamen ante decretum conditionatum. Ex isto autem antecedenti non sequitur illatio Thomistarum, sed opposita. Qui enim non admittit futurum conditionatum ante decretum conditionatum ex parte actus, consequens est nec admittere futurum absolutum ante decretum absolutum ex parte actus: ergo excusatio illa Thomistarum increpat pessimam eorum illationem. Confirmo, si quis imponeret Thomistis, eos admittere futurum absolutum ante decretum absolutum ex parte actus & obiecti, & id inferret, quia admittitur ab illis futurum conditionatum ante tale decretum; is rationabiliter nec excusandus esset ab impostura, nec ab illatione pessima: ergo cum eadem sit impostura & illatio Thomistarum in Doctores Societatis, nec excusantur rationabiliter ab impostura, nec ab illatione pessima.

Addit verò Viues circa finem n. 27. 75
Recentes assertores scientiæ mediæ in manuscriptis, & publicis conclusionibus passim asserere, futura absoluta esse talia ante omne decretum absolutum; quia scilicet hoc sensu excepetunt maiorum suorum sententiam. Noua hæc est impostura; omnes enim

Valentiæ publicis disputationibus conueniebamus, nec vllus vnquam ex nostris tale vel defendendum suscepit, vel in manuscripris dictauit; & hæc causa est, cur nullus ab eo citetur.

76 Addit iterum num. 28. Credibile sibi esse, eam sententiam nostris Doctoribus placuisse: videntes vero postea, quam efficaciter à Thomistis redarguerentur, mutasse sententiam se recipientes dumtaxat ad futuritionem conditionatam. Cæterum cum hæc non sit fideles diuina, sed humana, eaque fragilis & sine fundamento, quo res probari possit; crediderit quod voluerit, quod contra nos? Illud mirabile est, quod tantæ dexteritatis venator factus sit hic Recentior, vt etiam internas Iesuitarum complacentias aucupari tentauerit. Credibile, inquit, sibi esse, eam sententiam nostris Doctoribus placuisse. Præda hæc, vtique pnre interna, soli Deo reseruata est: nec vlla miracula, aliave credibilitatis signa ab eo Recentiore patrata sunt; vnde illius dictis credere teneamur. Quod autem ait, nostros Doctores eam sententiam retractare, non concordat cum præcedentibus n. 21. vbi dixerat, eos talem sententiam minime docuisse. Quis autem sententiam, quam non docuit, retractauit? Ratio igitur legitima, cur ea sententia nostris Doctoribus superimposita sit à Thomistis, ea est, vel quia eos non legerunt, vel quia lectos non intellexerunt.

77 Communis ergo sententia negat esse futurum absolutum ante decretum absolutum ex parte actus. Ita omnes Doctores Societatis; vt ostensum est de his, qui in contrarium falsò & sine fundamento citantur à discalceato Salmanticensi. Nec est cur in re adeò clara magnificemus cum Viues authorum fimbrias, aut catalogorum phylacteria dilatemus & repetamus: satis enim nobis erit producere semel Doctores Societatis, multo plures sine dubio quam Dominicanos. Conclusionem istam probat Viues disp. 1. Quia futurum constituitur determinatione præsenti ad existendum postea: hæc non potest esse nisi à decreto absoluto ex parte actus: ergo. Falsitas tamen huius argumenti pluribus à nobis, præcedentibus sectionibus, conuicta est. Legitima ergo nostræ conclusionis ratio est. Quia nihil est, fuit, aut erit nisi Deo liberè volente, aliter ex necessitate operaretur Deus: ergo quidquid est, fuit, aut erit, id habet ex decreto libero absoluto ex parte actus. Confirmo: Futurum absolutum contingens, dum futurum est, pendet ab eisdem causis vel absolutè existentibus vel futuris; à quibus absolutè existentibus pendet dum erit: ergo si aliqua ex illis causis non possit esse absolutè futura, vna cum hac suppositione futurum absolutum necessariò pendebit ab ea causa vt absolutè existente: decretum autem diuinum non potest esse absolute futurum saltem realiter; imo nec virtualiter, vt ostendi tractat. de Scientia Dei: ergo stante de facto hac suppositione, futurum absolutum necessariò pendet à decreto absoluto ex parte actus, actu & formaliter existente in Deo.

SECTIO VI.

An futuro absoluto contingenti sufficeret decretum futurum, si tale esse posset.

Difficultas agitari posset. An futuro absoluto contingenti sufficeret 78

ret decretum diuinum realiter & absolutè futurum si tale esse posset decretum Dei. Dixi si tale esse posset, quia decreta diuina non posse esse realiter futura constans est inter Theologos, quidquid sit de futuritione virtuali. Controuersia ergo procedit ex suppositione impossibili, quod decreta diuina possent esse realiter futura. An scilicet ea sufficerent futuro absoluto contingenti certò & infallibiliter tali. Vnde constabit modus, quo futurum absolutum contingens pendet de facto à decreto diuino absoluto ex parte actus.

79 Vt clarius tamen procedamus duo decreta distingui possunt in Deo respectu futuri absoluti contingentis: vnum, quo Deus decernit negationem existentiæ Petri v. g. vsque mane; & de hoc non est difficultas: nam cum carentia existentiæ Petri vsque mane fuerit existens ab æterno, necessario supponit & exigit causam suam siue decretum actu & formaliter existens in Deo ab æterno. Aliud, quo Deus decernat existentiam Petri matutinam: & de isto est præsens controuersia, An scilicet sufficeret futuritioni Petri, si per impossibile decretum illud tantùm esset realiter futurum ab æterno. Esse autem ea duo decreta Deo possibilia; vnum quo decernat negationem existentiæ Petri vsque mane; præcisiuè se habens ad existentiam & non existentiam matutinam; & aliud, quo eiusdem Petri decernat existentiam matutinam, præcisiuè se habens ad existentiam, vel non existentiam anteà, vel pòst; Mihi dubium non est: ea enim genera decretorum satis communia sunt inter Doctores, maximè tractatu de Incarnatione

80 Censeo. Futuro absoluto contingenti certò & infallibiliter tali fore sufficiens decretum diuinum absolutum realiter ab æterno futurum, si per impossibile tale esset. Probatur. Quia futurum absolutum contingens non alio titulo exigit diuinum decretum absolutum ex parte actus, quàm titulo causæ: eo autem titulo non exigit decretum absolutum ex parte actus actu & formaliter existens ab æterno: ergo sufficeret futurum, si tale esset. Maior constat ex dictis sect. 1. Vbi ostensum est futurum absolutum contingens non exigere decretum actu existens, vt ab eo hauriat certitudinem & infallibilitatem ad existendum postea: solus ergo manet titulus causæ. Minor probatur. Quia futurum absolutum, vt tale, solas exigit causas futuras vel existentes, dum futurum est; & determinate existentes, dum existens est: ergo titulo causæ non exigit decretum absolutum determinate vt existens ab æterno; sed vel vt existens vel futurum: ergo si posset esse futurum ab æterno, sufficiens esset futuro absoluto contingenti creato. Quod autem non possit esse futurum, id contingit ex perfectione propria Dei non ex indigentia futuri vt sic.

Confirmo. Futurum absolutum contingens à Deo simul & creatura non indiget, neque exigit creaturam determinatè vt existentem dum futurum est, sed tantum dum fit præsens: ergo neque exiget decretum determinatè vt existens dum futurum est, sed tantum pro instanti in quo existit: ergo si decretum diuinum posset esse futurum, illud sufficeret futuro absoluto contingenti, dum futurum est. Nec dicas futurum absolutum contingens exigere decretum actuale ratione dependentiæ essentialis ab illo. Tum quia actio futura à Deo simul & creatura etiam pendet essentialiter à creatura, nec tamen exigit illam determinatè existentem dum futura est. Tum etiam 81

quia

quia vnio pendet essentialiter ab extremis; nec tamen, dum futura est, exigit extrema existere.

82. Quod si respondeas, quod Viues contra futuritionem virtualem decretorum disp. 1. n. 77. & sequentibus; eam scilicet futuritionem tam creaturæ, quam decreti non posse esse certam & infallibilem, quia non haberet determinationem de præsenti ad existendum postea; nec in Deo esset prædicatum exigens existentiam decreti pro tempore sequenti: sicut non est prædicatum exigens existentiam decreti in tertio signo posita futuritione virtuali decretorum. Si hoc, inquam, respondeas: habes contra te omnia argumenta sectionibus præcedentibus concludentia, stare futuritionem infallibilem absque determinatione præsenti ad existendum postea, quorum solutionem expectamus. Videamus tamen argumentum, quod euidens appellat Viues num. 78.

83 Ita obiicit. Existentia decreti futuri est contingens: ergo non infallibilis: ergo decretum futurum sufficiens non est futuritioni infallibili creaturæ; quippe infallibilitatem existendi in se non habens. Hunc tamen discursum nusquam habitasse, sed ne vel à longè attigisse terminos euidentiæ, sed falsitatis semper ditioni fuisse subiectam, satis in superioribus à nobis ostensum est, dum probaremus ad futurum infallibile aliud non requiri præter carentiam existentiæ nunc, & existentiam postea; iisdem igitur fundamentis insistentes.

84 Respondemus: existentiam decreti fore quidem contingentem antecedenter & absolutè, id est in causa seu in principio indifferente, scilicet diuina voluntate: non vero ex suppositione & consequenter, quod esset in aliqua temporis differentia. Nam ex suppositione quod res sit, vt sæpius ait Viues, necesse est esse. Pariter nos quoque dicimus, ex suppositione quod decretum esset pro aliqua differentia temporis, & non antea; id sufficere vt toto tempore antecedente esset, & diceretur infallibiliter futurum. Idemque respondebunt propugnantes futuritionem virtualem diuinorum actuū contingentium. Nam ex suppositione quod in tertio signo existat decretum, in secundo est infallibiliter futurum siue extiturum.

Instat num. 74. & 75. idem vtrobique repetens. Ea suppositio est incerta: ergo insufficiens ad futurum certum. Antecedens probo quia suppositio aliud non est quam existentia decreti vel in tertio signo, vel in differentia temporis: existentia decreti est contingens cum sit libera: ergo incerta. Instat præterea interrogans: Vnde nobis constet ea suppositio ex qua inferre possimus infallibilem futuritionem? de Antichristo ait reuelauit nobis Deus suum decretum, & ex illo nos petimus certitudinem. 85

Videamus, An aculeus iste suum pungat authorem. Suppositio decreti, à qua tu petis certitudinem futuri, est incerta: ergo insufficiens ad futurum certum. Consequentia tua est. Antecedens probo: suppositio decreti aliud non est, quàm existentia decreti: hæc est contingens, cum sit libera: ergo incerta. Quid euidentius? Si dicas suppositionem decreti esse certam ex suppositione quod sit. Idem dico tibi de suppositione existentiæ. Disparuit ergo argumentum illud euidens. 86

Nunc iam securus respondeo distinguens antecedens. Ea suppositio est incerta in se, nego. Quoad nos, transeat. Et nego consequentiam. Ad probationem concessa maiore, distinguo minorem, existentia est contingen- 87

aut libera intrinsece & in se, nego: extrinsecè à principio indifferenti, concedo. Et nego consequentiam. Ratio est. Quia sicut libertas, & indifferentia non est intrinsece in actu, sed in sola voluntate, ita ponente actum, vt potuerit non ponere; ita contingentia, quæ aliud non est quam libertas, non est intrinsecè in actu, sed in sola voluntate potente ponere & non ponere actum. Dum autem ponitur actus, est quidem in se determinatus, liber autem, & contingens à potentia libera & indifferenti. Ad interrogationem. Respondeo, Aliquas suppositiones futurorum constare nobis ex fide, vt existentia Antichristi in fine mundi; sicut tibi constat decretum: alias verò, quæ reuelatæ non sunt, esse nobis incertas, sicut tibi incerta sunt decreta non reuelata. Igitur sicut præter suppositionem ex fide certo nobis constantem, admittis tu multa alia futura certò & infallibiliter talia in se, quamuis nobis incerta; qualia sunt omnia à Deo re ipsa decreta, nobis autem minime reuelata: talia pariter admittuntur à nobis omnia illa, quæ in aliqua differentia temporis existent, quamuis nobis nota non sit eorum existentia.

88 Insuper vt pares simus, nos etiam interrogemus. Vnde, rogo, tibi constat suppositio decreti, vnde infers infallibile futurum? si dicas, ex fide id reuelante. Non satisfacis; Nam non omnia infallibiliter futura reuelata sunt, vt est certum. Dicas ergo precor, vnde tibi constat suppositio decreti circa ea futura non reuelata. Sine dubio Theologicè responderes eam suppositionem tibi certo non cõstare: & tamen id non impedit certam & infallibilem eorum entium futuritionem: ergo etiamsi nobis non certò constet suppositio existentiæ, id non impediet certam & infallibilem futuritionem. Iudicet quisque prudens cuius sit momenti interrogatio illa.

Melius obiicere posses. Existentia matutina Petri est hodie, & tota æternitate, futura & pendens à decreto diuino: nõ futuro hodie, neq; ab æterno, cum tale esse non possit: ergo existente. Probatur consequentia, quia in statu absoluto inter futurum & existens non datur medium: ergo cum futurum absolutum pendeat à decreto absoluto, & ex alio capite non pendeat, nec dependere possit ab illo vt absolute futuro hodie vel ab æterno, necesse est pendere ab illo vt existente hodie & ab æterno. Confirmo. Effectus pendens de facto ab aliqua actione, casu quo omnis alia, vna dempta, fieret impossibilis, pẽderet essẽtialiter ab illa determinata, si effectus possibilis maneret: ergo cum de facto futurum absolutum contingens pendeat dum futurum est à decreto absoluto vel existente vel futuro; & aliunde futuritio decreti impossibilis sit, pendebit necessariò à decreto determinatè existente. 89

Hæc tamen obiectio iam à nobis præoccupata est. Etenim futurum absolutum contingens bifariam considerari potest. Primò secundum se. Secundò prout de facto coniunctum cum suppositione impossibilis futuritionis decreti. Primo modo dicimus præscindere ab eo, quod decretum sit determinatè existens, vel determinatè futurum, atque adeò tantum pendere ab illo sub disiunctione vel existente vel futuro. Secũdo modo dicimus pẽdere à decreto existente, quia stãte futuro absoluto cum ea suppositione, vt sic necessario est à decreto actuali. Vnde de facto, quãdo futurũ absolutũ indiuisum est ab ea suppositione, nullum est quod non pendeat à decreto 90

actuali; non tamen ratione sui præcisè, sed ratione sui, & simul suppositionis.

91 Confirmatio nostram potiùs doctrinam firmat, quam expugnat. Nam si maneret effectus possibilis vna tantùm actione possibili manente. Tunc quidem vna cum suppositione aliarum actionum impossibilium penderet essentialiter ab ea determinata actione, quæ maneret possibilis: præcisa autem suppositione, & secundùm se, casu quo aliæ actiones essent possibiles à nulla determinata penderet, sed ab vna vel altera: ergo præcisa suppositione impossibilis futuritionis decreti, & casu quo possibilis esset, futurum absolutum contingens tantum dependeret à decreto absoluto vel existente vel futuro, dum futurum est; etiam si de facto ratione suppositionis pendeat dum futurum est à decreto actuali. Dixi dum futurum est, quia non nego, quodcunque futurum absolutum dependere essentialiter à decreto aliisque causis vt existentibus pro instanti, quo fit præsens, vel existens; sed tantum assero futurum illud secundum se præscindere ab eo, quod decretum & aliæ causæ sint potiùs existentes quam futuræ tempore quo futurum est.

92 Dies. Vnde colligemus futurum secundum se præscindere à suppositione impossibilis futuritionis decreti? Respondeo nos id colligere ex natura & prædicatis intrinsecis futuri. Quia cum futurum absolutum nihil sit actu, dum futurum est, sed erit post; non est vnde exigat causas actu existere dum futurum est, sed dum præsens fit: ideoque præscindit ab eo quod causæ sint potius existentes quam futuræ antequam præsens fiat.



DISPVTATIO II.

De Scientia diuina absolutè futurorum.

Deum certissime scire futura absoluta contingentia, est de fide ex multis Scripturæ sacræ testimoniis. 93
Ecclesiastici 23. *Domino Deo, antequam creentur, omnia sunt cognita.* Psal. 138. *Intellexisti cogitationes meas de longè... & omnes vias meas prævidisti.* Sap. 8. *Signa & monstra scit antequam fiant, & euentus sæculorum & temporum.* Iterum 19. *Præsciebat enim futura illorum.* Isaiæ 45. *Hæc dicit Dominus, ventura interrogate me.* Danielis 13. *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant.* Et ratio est, quia Deus cognouit futura contingentia dum actu fiunt præsentia, siue existentia; cum id nec Angelo, nec homini denegetur: ergo & antequam fiant. Patet consequentia, quia scientia illa, qua Deus cognoscit futura, dum præsentia fiunt, fuit in Deo ab æterno antequam futura existerent: ergo Deus per illam nouit futura antequam essent existentia. Difficultas igitur præsens est, circa modum, quo Deus huiusmodi futura absoluta certo nouit. Quã controuersiam præmittendam censuit Viues disp. 1. num. 1. Quia scientia, inquit futurorum condicionatorum, de qua præcipuè disputaturi sumus, omnino pendet à scientia futurorum absolutorum. Posteà tamen non obstante hac tanta dependentia, nec disputat de scientia absolutè futurorum, nec eam præmittit; sed solam futuritionem. Lapsus iste memoriæ est, non ingenij, quem facile condonamus.

SECTIO I.

An Deus nouerit futura absoluta contingentia in eorum præsentia in æternitate.

94 OCcasione huius controuersiæ agitari solet à Doctoribus. An futura absoluta, antequam in se, & in propria mensura existant, habuerint ab æterno, præter præsentiam seu existentiam obiectiuam, aliam physicam & realem, non quidem in propria mensura; sed in aliena, scilicet æternitatis diuinæ. Nam creaturas non coëxtitisse Deo ab æterno physicè & realiter in propria mensura actu mensurante, certum supponunt omnes de fide: aliter creaturæ habuissent ab æterno esse immutatũ, & extra causas quod dici non posse fatentur Thomistæ.

95 Prior sententia affirmat, quam nullus ausus est asserere ante Caietanum, qui post quindecim annorum meditationem, vt ipse ait, luce huius veritatis labore & precibus illustratus est. Hanc semitam satis arduam, & difficultatum sentibus aspersam, recalcaturus vestigia magistri, ingressus est discipulus Salmanticensis isque discalceatus. Res digna sanè, quæ à Caietanicis in suis scriptis magnis laudum præconiis commendetur. Si visio illa Caietani grandis, & mirabilis mirum quantum, fuisset rubus ille Moysis, in quo erat Angelus Domini detriumphatis spinis, laudarem & sequerer: cum tamen non inueniam Angelum Thomam, quid laudabo? Dices Angelum inuentum esse à solo Moyse discalceato. Cæterum dicito mihi, quis nunc sit Moyses discalceatus, Caietanus ne, an Theologus Salmanticensis? Posterior sententia negat eam præsentiam physicam futurorum in æternitate Ita communiter Doctores Societatis.

Assero sententiam Caietani falsam esse. Ante omnia autem inuentum illud esse imposturam contra S. Thomam fatentur primo Ægydius Romanus discipulus & auditor Angelici Doctoris. Hic enim in opusculo contra corruptores doctrinæ S. Thomæ art. 3. Cum Doctores Parisienses præsentiam à Caietano quindecim annorum meditatione compactam D Thomæ adscriberent, sanctum Doctorem ab ea calumnia liberat, asserens solam docuisse præsentiam obiectiuam. Cui ergò magis credendum, Caietano distanti ab ore D. Thomæ, An Ægydio præsenti & audienti? Secundò, idem testatur Herueus, (coæuus Diui Thomæ teste Bellarmino de scriptoribus Ecclesiasticis) in 1. dist. 38. art. 3. Tertiò eiusdem rei testis est Siluester sacri Palatij magister, Qui post quadraginta & duos annos expensos in exponenda Doctrina S. Thom. vt ipse testatur in conflato 1. part. quæst. 14. art. 16. ait. Hanc Caietani sententiam nunquam esse traditam à S. Thoma; esse inexcogitabilem, & quam nullus Thomista, præter Caietanum, ausus est affirmare, quia videtur sequi aliquid contra fidem. Probatur conclusio primo ex S. Thoma in hac quæstione art. 13. asserente: *Omnia quæ sunt in tempore sunt Deo ab æterno præsentia, non solum ea ratione, quæ habet rationes rerum apud se præsentes, vt quidam dicunt, sed quia eius intuitus fertur ab æterno super omnia prout sunt in sua præsentialitate.* Hoc est testimonium vnde Caietanus suam sententiam meditatus est, & quidem in prima parte illius, scilicet, *non solùm ea ratione qua habet rationes rerum apud se præsentes:* solum, contineri præsentiam obiectiuam faten-

tur aduersarij, quia rationes rerum vocantur ideæ, quas Deus habet circa omnia possibilia.

97 In secunda autem parte, scilicet, *sed quia eius intuitus fertur super omnia prout sunt in sua præsentialitate* solam contineri existentiam obiectiuam futurorum probatur. Quia ibi S. Doctor distinguit duplicem existentiam: vnam possibilium, quam habent in ideis, quæ dicuntur rationes rerum; alteram futurorum, quam habent in intuitu diuino, quatenus fertur super omnia prout sunt in sua præsentialitate, id est, prout sunt in sua præsentialitate, id est, prout sunt in sua temporis differentia: sed vtraque existentia est tantùm obiectiua ab æterno: ergo, &c. Minor probatur, quia S. Doctor ait ideo futura esse præsentia ab æterno, quia Dei intuitus fertur super illa: præsentia autem, quæ habetur ab intuitu diuino, tantùm est obiectiua; sicut præsentia quæ habetur ab ideis, seu scientia possibilium: ergo.

98 Confirmatur. S. Doctor non ait intuitum diuinum ferri in creaturas, quia istæ sunt ab æterno præsentes æternitati; sed è contra creaturas esse præsentes æternitati, quia intuitus Dei fertur supra illas. Insuper neque ait intuitum diuinum ferri super creaturas secundùm earum præsentialitatem æternam, quod necessarium erat inuento Caietani: ergo nullam agnouit præsentiam futurorum ab æterno præter obiectiuam. Vrgeo: hæc propositio intuitus diuinus fertur ab æterno super omnia secundùm eorum præsentialitatem, est indifferens ad præsentialitatem in tempore, vel ab æterno, aliud enim est, intuitum diuinum ferri ab æterno supra obiectum secundùm eius præsentialitem temporalem; aliud verò secundum præsentialitatem æternam. Cur ergo propositio Sancti Thomæ de se indifferens determinanda est à Caietano ad præsentialitatem æternam creaturæ potiùs quàm ad temporalem, contra mentem; & sensum antiquorum Thomistarum? si enim alia via propositionis veritas saluari non posset excusandus esset Caietanus: cùm autem plana, & facilis sit veritas de intuitu præsentialitatis temporalis, constans est sine fundamento impositam esse sancto Thomæ præsentiam futurorum ab æterno.

Insuper idem S. Doctor eàdem 1. parte quæstio 8. articulo 3. ait: *Deus est præsens omnibus rebus, & omnia sunt in conspectu eius præsentia* (aduerte rationem) *quia eius intuitus fertur ab æterno super omnia prout sunt in sua præsentialitate.* Simillima habet quæst. 86. articulo 4. *In se ipsis*, inquit, *futura cognosci non possunt, nisi à Deo, cui etiam sunt præsentia, cum in cursu rerum sunt futura, quia intuitus fertur supra totum temporis cursum.* Et 1. 2. quæst. 9. artic. 1. *Ea quæ in se ipsis non sunt, apud Deum existunt inquantum sunt, ab ipso cognita* Quid clarius pro mente sancti Thomæ? 99

Probatur secundò ex Augustino sermone 11. de verbis Apostoli, vbi ait: *Habet Deus electos apud se ipsum, non in natura sua, sed in præscientia sua.* Quibus excluditur omnis præsent a creaturæ ab æterno, dempta obiectiua. Insuper lib. 4. de Genesi ad literam cap. 18. *Res antequam fierent erant, & non erant, erant in Dei scientia, non erant in sua natura.* Præterea in illud Psalmi 49. *Pulchritudo agri mecum est. Cum illo*, inquit, *sunt omnia cognitione quadam infallibili sapientia Dei in verbo constituta* 100

stituta. Et paulò pòst. *Et quare apud ipsum omnia?, Quia antequam essent omnia, aut crearentur, ei nota erant omnia.* Quibus omnibus præsentialitas, obiectiua excepta, respuitur ab Augustino. Mitto alios Patres, quia sufficiunt nobis Thomas & Augustinus.

101 Probatur tertiò ratione. Si futura essent præsentia toti æternitati Dei ab æterno, maximè quia aliquando in propria mensura erant illi præsentia, & æternitas Dei est indiuisibilis, & tota simul: hæc ratio solida non est: ergo. Maior est fundamentum. Caietanorum Minor probatur, quia rem in propria scilicet in instanti tantum *A*, esse præsentē æternitati Dei indiuisibili solam arguit existentiam illius in instanti *A*, & excludit omnem imaginabilem existentiam in præcedentibus instantibus æternitatis: ergo excluditur præsentia illius in æternitate. Antecedens probatur, quia rem aliquando in propria mensura esse locatam in spatio tantum *A*, & præsentem immensitati Dei indiuisibili solam arguit præsentiam in loco *A*, & omnem imaginabilem præsentiam excludit ad alia loca, & similiter præsentiam ad illa etiam in aliena mensura: scilicet diuinæ immensitatis: ergo rem aliquando in propria mensura esse præsentem æternitati Dei indiuisibili in instanti tantum *A* pariter excluder omnem præsentiam eiusdem in tota æternitate, etiam in aliena mensura.

102. Respondet primò Albelda concesso antecedente, negans consequentiam. Disparitatem dat, quia res non dicitur esse in immensitate, bene verò in æternitate. Friuola quidem solutio. Nam si particula *in* denostat rationem subjecti, sicut immensitas Dei non est subjectum creaturæ, ita neque æternitas: Quod si ista sit, quia creatura est illi præsens, etiam est præsens immensitati Dei: ergo etiam immensitas erit subiectum. Confirmatur vel coëxistentia in propria mensura vnius ad aliud formaliter indiuisibile, & æquiualenter extensum infert coëxistentiam in aliena mensura, totalem & adæquatam, vel non? Si secundum: ergo coëxistentia creaturæ in propria mensura æternitati Dei formaliter indiuisibili, & æquiualenter diuisibili non infert coëxistentiam totalem in omni tempore, etiam in aliena mensura. Si primum: ergo coëxistentia creaturæ in propria mensura immensitati Dei formaliter indiuisibili infert coëxistentiam totalem siue in omni loco in aliena mensura.

Respondet secundò Viues, in manuscriptis terminum creatum in triplici statu considerari posse Primò in statu possibilitatis, & sic esse terminum omnipotentiæ. Secundo in statu passiue producti, siue extra causas, & in propria mensura, & ita esse terminū immensitatis. Tertiò, in statu medio scilicet termini possessi & præcise inspecti sub ratione termini, qui producitur actiue, & non est passiuè productus. Hinc contendit disparem esse rationem pro immensitate, & æternitate, quia vna respicit terminum in aliena mensura existentem, scilicet æternitas, altera verò, nempe immensitas respicit in mensura propria. 103

Multa sunt in responsione ista explicatione & probatione digna; illud præcipuum est, Cur immensitas, potiùs quàm æternitas respiciat creaturam in statu passiuè producti, siue extra causas, & in propria mensura? etenim sicut immensitas complectitur omnem locum, etiam illum cui est creatura præsens, siue in quo existit in propria mensura; ita æternitas complectitur omne tempus etiam illud cui creatura est præsens quando existit in propria mensura. Insuper creatura existens in 104

propria mensura dicit duplicem præsentiam, vnam ad locum determinatum cui est præsens; alteram ad tempus cui correspondet: ergo vna præsentia pertinebit ad immensitatem, altera verò ad æternitatem: vtraque autem est in propria mensura, vel est ipsamet propria mensura creaturæ: ergo in respicienda creatura in propria mensura pares sunt æternitas, & immensitas.

105 Hinc impugnatur solutio. Quia non minus æternitas, quam immensitas respicit creaturam in propria mensura, ista loci, illa temporis: immensitas autem præter existentiam in propria mensura in loco *A*, non potest respicere eandem creaturam adhuc in aliena mensura existentem in omni loco neque eam constituere: ergo neque æternitas respiciens creaturam in propria mensura in instanti *A* poterit eam respicere adhuc in aliena mensura existentem in omni tempore, neque eam existentem constituere.

SECTIO II.

Infringitur vlterius præsentia futurorum in æternitate.

106 PRobatur quartò conclusio. Si futura coëxisterent ab æterno Deo in aliena mensura, coëxisterent in propria. Id est hæreticum: ergo. Major probatur. Primò, quia eo modo quo creatura coëxistit toti æternitati Dei, coëxistit per vos Deo ab æterno: inde enim infertur à vobis coëxistentia in æternitate, quia creatura correspondet toti æternitati: creatura autem nunc existens coëxistit toti æternitati in propria mensura: ergo coëxistit Deo ab æterno in propria mensura. Maior est doctrina Caietanorum. Minor nemini dubia, nam æternitas intrinseca Dei tota est in instanti *A*, atque adeò creatura existens in instanti *A*, in propria mensura coëxistit toti æternitati Dei.

Probatur secundo eadem Maior. Vel mensura propria Antichristi, existit ab æterno plusquam objectiuè actu, & exercitè mensurans, vel non? Si non existit: ergo aliquod futurum, scilicet mensura propria Anti-Christi actu, & exercitè mensurans, non existit ab æterno plusquàm objectiuè, quo habemus intentum. si existit: ergo existit Antichristus in propria mensura actu, & exercitè mensurante illum, quod Catholicè dici non potest. 107

Respondet Viues in Manuscriptis æternitatem licèt sit actio reddens futura ab æterno realiter existentia non extendi ad res mutandas, neque ad faciendum quod exercitè sint extra causas, & in propria mensura exercitè mensurante: ideoque illas non posse hoc modo ab æterno in æternitate contineri, quia quod in se mutatum non est, & exercitè extra causas, non potest vt tale antequam in se sit mutatum contineri ab æternitate: non ex defectu æternitatis, sed quia implicat, quod aliquid contineatur vt mutatum, antequam immutetur. 108

Hæc tamen responsio non satisfacit. Primò, quia vel in æternitate est realiter ab æterno mensura propria Antichristi cum munere mensurandi actu & exercitè, vel non? Si non est; ergo aliquod futurum, scilicet mensura propria Antichristi cum munere mensurandi non est realiter ab æterno, quod intendimus. Nec dici potest mensuram propriam Antichristi esse ab æterno in aliena mensura, quia imprimis non admittitur mensura mensuræ ab aduersario. Quod si quis stimulo argumento- 109

rum

rum eam admittat, contra illam stat idem argumentum, nam vel mensura mensuræ est ab æterno cum munere mensurandi actu, & exercitè, vel non? si non: ergo aliquod futurum non est realiter ab æterno. Si est: ergo mensura propria Antichristi est realiter ab æterno in propria mensura actu & exercitè mensurante. Si autem est ab æterno mensura propria Antichristi cum munere actu, & exercite mensurandi: ergo etiam Antichristus est ab æterno in propria mensura actu, & exercitè mensuratus.

110 Contrà secundò. Antichristus immutatus, & extra causas est nunc aliquod futurum: hoc autem per te non potest contineri realiter in æternitate ab æterno: ergo non omnia futura coëxistunt æternitati realiter ab æterno. Quod si dixeris Antichristum immutatum, & extra causas esse realiter ab æterno, tibi non constabis, quippe neganti tale esse posse contineri ab æternitate, & asserenti esse immutatum, & extra causas aliud non esse, quàm existere in propria mensura.

111 Contra tertio, & simul probatur tertiò maior illa. Actio qua suo tempore producetur Antichristus, quidquid illa sit, siue creatum, siue increatum, siue immensitas, siue decretum est realiter ab æterno: ergo & Antichristus est per eam realiter ab æterno productus: ergo existens extra causas; quod in vestra sententia est existere in propria mensura actu, & exercitè mensurante.

112 Respondet Recentior ille actionem Antichristi esse quidem ab æterno actiuè producentem, & extrahentem Antichristum ab statu possibilitatis: Antichristum verò non esse per eam actionem passiuè productum, & extractum à causis, ideoque non existere in propria mensura. Quod si ab eo inquiras, cur actio æterna non denominet Antichristum passiue extractum à causis, & productum? Respondet quod suprà, id non prouenire ex defectu actionis æternæ, sed ex incapacitate termini, qui antequam sit passiue productus & extractus à causis, non potest vt talis ab æternitate contineri. Quod si iterum inquiras, cur sit incapax? Respondet, quia Deus non vult Antichristum verbi g. esse passiuè productum, & extractum à causis nisi in tempore.

113 Contra quia vt nuper dicebamus hæc responsio dat nobis intentum. Nam Antichristum esse passiuè productum & extractum à causis, nunc est aliquod futurum: hoc non continetur per se in æternitate: ergo. Secundo Actioni, qua suo tempore producetur Antichristus tam essentiale est ex trahere terminum à suis causis, & reddere passiuè productum, quam extrahere ab statu possibilitatis, & reddere realiter existentem, cum se ipsa præstet vtrumque, & se ipsâ sit extractio termini ab statu possibilitatis, & à suis causis, quod non negat aduersarius: actio autem Antichristi non potest existere ab æterno, quin denominet Antichristum passiuè extractum ab statu possibilitatis; aliter non existeret, sed in statu possibilitatis maneret: ergo neque poterit existere eadem actio, quin denominet terminum passiue productum, & à causis extractum. Vel si secundum præstare possit, cur non primum? scilicet, non reddere Antichristum extractum passiue ab statu possibilitatis, quo sponte ruit tota meditatio Caetani.

114 Confirmo, & loquor de creatura quã potuit Deus extra causas ponere ab æterno, siue illa sit permanens, siue successiua. Probo in sententia Thomist-

eam fuisse extra causas, & passiue productam ab æterno. Ea creatura secundùm se, & absolutè antecedenter ad omne Dei decretum capax est, vt ab æterno extrahatur tam à statu possibilitatis, quam à suis causis, vt per se constat: eo autem ipso, quod sit ab æterno extractio eius creaturæ ab statu possibilitatis ipsa est passiue extracta, nec potest non esse: ergo eo ipse quod sit ab æterno extractio à suis causis, ipsa erit passiuè extracta, nec poterit non esse: de facto autem existit per eos extractio illius creaturæ à suis causis, scilicet actio Angeli, vel hominis: ergo de facto extitit ea creatura à suis ab æterno extracta.

115 Confirmatur secundò. Non potest Deus velle quod ab æterno sit extractio rei à statu possibilitatis, quin velit rem ab æterno à statu possibilitatis passiuè extractam: ergo neque poterit velle quod sit ab æterno extractio à suis causis, quin velit rem à suis causis ab æterno passiuè extractam. Quod si dixeris posse Deum velle, quod sit ab æterno extractio creaturæ ab statu possibilitatis quin ista sit passiuè extracta, qua bona consequentia infers creaturas esse passiue extractas ab statu possibilitatis ab æterno, quia earum extractio siue actio existit ab æterno.

116 Conuictus Recentior vi & efficacia horum argumentorum ingenuè fatetur suam sententiam continere mysterium simile mysterio diuinæ libertatis; sicut ergo à Patre Suarez admittitur in Deo existere totam volitionem alterius mundi, & non denominare Deum volentem, ita inquit ego asserò existere ab æterno extractionem creaturæ à suis causis: & non denominare passiue extractam. Cæterum ad componendam diuinam libertatem cogimur fide nostrum intellectum captiuante. Ad quid autem, qui liberi nati sunt, captiui fient sola fide Caietani, & quem lateat sententias philosophicas ad inscrutabilia Dei mysteria recurrentes subobscuras esse, & communiter à Doctoribus inuisas.

Cæterum nec confugiens ad aras saluus fiet noster aduersarius. Ita dispnto. Ex mysterio libertatis diuinæ licitum tibi est actu admittere esse ab æterno extractionem à causis & non esse rem à causis passiue extractam: ergo similiter ex eodem mysterio licitum tibi, & nobis erit admittere esse ab æterno extractionem ab statu possibilitatis, & rem non esse passiuè extractam; quo cessat præsentia futurorum in æternitate, ad quam satis non est creaturam esse actiuè extractam ab statu possibilitatis, sed vlterius requiritur, quod sit passiue extracta. 117

Confirmatur, quia si Theologo securus esset recursus ille ad aras, multa absurda palliare posset. Ad rem est, quia diuina volitio alterius mundi est, at fuit ab æterno in propria mensura quin denominaret Deum volentem: ergo eo clypeo protectus aduersarius dicere posset extinctionem à causis esse in propria mensura quin denominet rem passiue extractam: idemque dici potest etiam si extractio esset actio creata. Pariter cognitiones, & volitiones creatas posse existere in propria mensura in intellectu creato, quin illum denominent. Præterea posse existere assūptionē humanitatis, quin denominaret humanitatem assumptam, & alia eius farinæ; quæ quàm absurda sint in creatis cæci vident. 118

Denique mysterium hoc exemplo Dominicanis solemni, mihique inter disputandum exhibito, altius introspiciamus. Aiunt creaturas futuras se habere respectu diuinæ æternitatis, sicut puncta circuli respectu puncti medij, 119

dij siue centri Sicut ergo quodlibet punctum circuli correspondet toti centro, ita quælibet creatura toti æternitati. Hoc tamen exemplum mirificè nostrorum argumentorum efficaciam demonstrat. Etenim si puncta circuli simul non existerent sed successiuè, nunquam integer circulus coëxisteret centro, sed pars nunc, & pars postea, vt est euidens: at creaturæ omnes simul non existunt sed successiuè: ergo neque possunt omnes coëxistere æternitati.

120 Insuper dum describitur circulus, punctum centri nondum respondet parti describendæ, sed solum parti descriptæ, idque non quod puncto centri aliquid desit ratione cuius respondere debet parti describendæ, sed quod pars ipsa desit, cui tale punctum, existens iam secundum se totum, respondeat; descripto vero integro circulo centrum respondet toti circumferentiæ, & singulis illius partibus. Ita indiuisibilis æternitas interim dum totum tempus non est elapsum, non respondet toti tempori, sed parti. Quare sicut punctum centri potest nunquam respondere parti circumferentiæ nondum descriptæ, si illa in futurum non describatur; ita æternitas potest non respondere vel partibus temporis adhuc futuris vel rebus contingenter in eis futuris, si vel tempus cesset, vel eo perdurante res in illo non sint, vt re ipsa possunt non esse. Denique quia hic discursus communis etiam est immensitati, & tamen in illa non valet: ergo neque in æternitate.

121 Probatur quintò conclusio. Si futura coëxisterent Deo ab æterno in æternitate, sequeretur coëxtitisse Deo ab æterno in æternitate amorem, & odium efficaces, formam eiusque priuationem, & alia huiusce generis contradictoria. Insuper coëxtitisse Deo ab æterno plures præsentias circumscriptiuas eiusdem corporis ad plura loca, & plures formas eidem materiæ correspondentes: id autem absurdum est: Sequela probatur, quia ea omnia sunt, vel fuerunt futura: omnia autem futura per vos coëxistunt Deo ab æterno in æternitate: ergo &c. Quæ absurda si deglutiantur pro defensione Caietani inde satis deprehendes, cuius momenti fuerit quindecim annorum meditatio.

SECTIO III.

Soluuntur obiectiones.

OBiicies primo, Sanctum Thomam pro nobis adductum hic art. 13. asserentem: *Omnia quæ sunt in tempore sunt Deo ab æterno præsentia; non solum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes, vt quidam dicunt, sed quia eius intuitus fertur ab æterno super omnia prout sunt in sua præsentialitate.* Atqui in prima parte statuit Sanctus Doctor præsentiam obiectiuam: ergo in secunda agnouit aliam præsentiam ab obiectiua distinctam. Respondeo admissa authoritate sancti Thomæ, & concessa minori negans consequentiam cum omnibus, & veris Thomistis vsque ad Caietanum. 122

Instabis: ergo S. Doctor bis repetit eandem præsentiam obiectiuam, quod inutile esset. Respondeo negans consequentiam, nam in prima parte statuit præsentiam obiectiuam possibilium, in secunda autem præsentiam obiectiuã etiam futurorum, in quo nulla est inutilis repetitio, vt expendimus supra. Nec iudico sufficiens fundamentum ad fundandam tam difficilem opinionem, & nouam, quod S. Doctor bis idem repeteret.

124 Obiicies secundò eumdem S. Doctorem art. 9. docentem: *Quædam licet non sint nunc in actu, tamen vel fuerunt vel erunt: & tamen omnia ista dicitur Deus videre scientia visionis; quia cum intelligere Dei, quod est eius esse, æternitate mensuretur, quæ sine successione existens totum tempus comprehendit, præsens intuitus Dei fertur in totum tempus, & in omnia, quæ sunt in quocumque tēpore, sicut in subiecta sibi præsentialiter.* Modò sic. S. Doctor plane fatetur æternitatem Dei comprehendere omne tempus, & omnia quæ sunt in quocumq; tempore tanquam subiecta sibi præsētialiter: ergo agnoscit præsentialitatem æternitati cuiuscumq; creaturæ aliquo tempore existentis: ergo & præsentialitatem ab æterno.

125 Admissa authoritate S. Thomæ Respondeo concesso primo enthymemate, negans secundā consequentiam, aliud enim est creaturam esse præsentem toti æternitati intrinsecæ Dei indiuisibili, & absque successione intra se, quia tota est in quocumque tempore; aliud creaturam esse præsētem æternitati pro omni tempore extrinseco, quo est, & fuit æternitas. Sicut aliud est creaturā esse præsentem immensitati intrinsecæ Dei indiuisibili, & absque extensione intra se, quia tota est in quocumque loco: & aliud creaturam esse præsentem immensitati in omni loco extrinseco in quo est immensitas. Concedimus ergo cum S. Thoma quamlibet creaturam, pro tempore, quo est, fuit, aut erit, esse præsentem toti æternitati intrinsecæ Dei; negamus vero contra Caietanum esse præsentem toti æternitati ab æterno, siue pro omni tempore: sanctus enim Doctor tantum ait, quidquid est in aliqua differentia temporis coëxistere æterno, non autem ait ab æterno, quod necessarium erat ad mysterium Caietani.

Obiicies tertio aliquos Patres asserentes omnia apud Deum esse præsentia: nihil est Deo futurum, &c. & alios docentes Deum iam fecisse omnia quæ futura sunt: ergo. Respondeo, primos loquutos fuisse de præsentia obiectiua, ita vt nihil sit Deo præteritum, aut futurum quod concludat præsentiam obiectiuam, sine non sit obiectiue præsens. Alios verò tantùm contendere Deum iam fecisse, id est decreuisse, quæ futura sunt. 126

Obiicies quartò, Æternitas est tota simul, & indiuisibilis absq; successione ergo complectitur omnia tempora absque successione: ergo omnia futura sūt simul in æternitate ab æterno præsētia. Hoc est totum fundamentum Caietani, & discipulorum, cuius plana solutio sola eget terminorum explicatione, pro qua suppono ex Physicis præter æternitatem Deo intrinsecam, quæ stat in exigentia correspondendi omni tēpori, & in se est omnino indiuisibilis, & absque successione; dari aliā extrinsecam, quam vocamus spatium imaginarium, & hæc successiua est essentialiter, & non potest esse tota simul, sicut dies crastina, & hodierna; imo neq; plura tempora possunt esse simul, quia de eorū quidditate est prioritas, & posterioritas. His positis Respōdeo distinguēs antecedens: æternitas intrinseca est tota simul, & indiuisibilis concedo: æternitas extrinseca, nego: hæc enim neq; est indiuisibilis, nec tota simul, sed essentialiter successiua. Et distinguo consequens: complectitur omnia tempora distributiue, id est nullum est tempus cui non correspondeat, neq; præteritū cui non corespondcrit, neque futurum cui non correspondebit, concedo. Cōplectitur omne tempus simul illi coëxistens, nego. Quia cum omne tempus non possit esse simul, neque Deus potest illi simul correspōdere. Vnde patet falsam 127

falsam esse secundā partem consequentiæ, videlicet æternitatem complecti omnia tempora absque successione vnius temporis ad aliud; nisi velit æternitaté intrinsecam Dei, correspondere æternitati extrinsecæ successiuæ absque successione intra se; id est quin pars æternitatis diuinæ succedat parti, id enim verum est, sed nihil contra nos, & neganda est vltima consequentia, quia vt creatura coëxistat Deo ab æterno non satis est quod sit præsens toti æternitati intrinsecæ Dei, sed vlterius opus esset quod illi omni tempore correspondisset.

128 Instabis. Si æternitas diuina non complecteretur omne tempus simul non esset infinita illius duratio: ergo. Antecedens probatur, quia eo ipso quod durationi desit aliquod tempus, infinita non est: ergo Respondeo, explicans antecedens, si non complecteretur omne tempus distributiue; ita vt præterito nō correspóderit vel præsenti non respondeat, vel futuro corresponsura non sit, concedo, si non complecteretur omne tempus simul existens, aut coëxistens, nego? Ad probationem distinguo antecedens; eo ipso quod durationi deficiat aliquod tempus simul existens cum alio infinita non est, nego, si distributiue deficiat, concedo, & nego consequentiam; quia æternitati diuinæ nullum deest tempus distributiuè, scilicet præteritum, cui non correspondèrit; præsens, cui non correspondeat; futurum, cui non correspondebit, sine principio, & fine; id autem sufficere ad durationem vndequaque infinitam, clarum est.

129 Obiicies quintò: Si futura non coëxisterent Deo ab æterno sequeretur admittendam esse in tempore cognitionem diuinam existentium, quæ non fuisset ab æterno: id autem absurdum est: ergo. Sequela probatur, quia creaturæ non extitissent ab æterno, sed in tempore: ergo neque earum scientia diuina extitisset ab æterno, sed in tempore tantùm. Hoc argumentum continet difficultatem omnibus communem, & à Caietano, & sequacibus soluendam: negari enim Deo non potest cognitio existentium in propria mensura. Vel ergo hæc extitit ab æterno vel non? secundum dici non potest: Ergo tenendum est primum: sicut ergo aduersarij admittunt existentem in Deo ab æterno cognitionem existentiæ creaturæ in propria mensura, quamuis hæc non ita fuerit ab æterno: ita nos admittimus existété in Deo ab æterno cognitionem existentiæ creaturæ; etiam si ista non extiterit ab æterno. Respondeo igitur negans sequelam; ad probationem concesso antecedente, nego consequentiam, quia vt scientia diuina alicuius obiecti exsistat ab æterno, non opus est, quod obiectum ita sit ab æterno. Nam scientia diuina non exprimit Antichristum v.g. exsistere ab æterno, sed tantum pro aliqua differentia temporis. Vnde sufficit illi quod obiectum in ea differentia temporis existat etiam vt cognitio intuitiua sit.

SECTIO IV.

An posita coëxsistentia futurorum in æternitate possit Deus in illa cognoscere futura.

Negant communiter Recentiores nostri contra Caietanicos. Primo quia Deus cognoscit præsentiam in æternitate, quia cognoscit existentiam creaturæ in tempore: Ergo præsentia creaturæ in tempore est ratio formalis terminandi cognitionem diuinam, & non è contra. Secundò, quia existentiæ creaturarum in æternitate sunt simul, 130

& absque vlla successione: ergo saltem non poterunt esse medium cognoscendi successionem futurorum in propria mensura Addunt aliqui existentiam in æternitate non magis inferre præteritũ quàm futurum, cum sit cum vtroque in propria mensura compossibilis: ergo.

131 Cæterum quandiu cõtra Caietanum non probetur existentia creaturarum in æternitate inconnexa cum eiusdem futuritione, non probabitur intentum contra illum. Difficultas ergo est an existentia, siue præsentia creaturarum in æternitate sit medium sufficiens, vel necessarium ad eas creaturas cognoscendas vt futuras, siue exstituras. Dixi vt futuras, quia non differitur an sit medium ad cognoscendas, vt in propria mensura existentes præscindendo ab earum futuritione, quæ omnia in sequentibus exponam.

132 Assero Primo existentiam in æternitate earum creaturarum, quæ potuerunt esse ab æterno in propria mensura non esse medium in quo possit Deus eas creaturas cognoscere vt futuras. Probatur, quia existentia in æternitate earum creaturarum nullam habet connexionem cum earum futuritione: ergo neque potest esse medium ad illam cognoscendam. Antecedens probatur, quia existentia earum creaturarum in æternitate stetisset, etiam si Deus illas ab æterno in propria mensura produxisset, tunc enim creaturæ extractæ essent non solum à causis, sed etiam ab statu possibilitatis in quo stat existentia in æternitate, vt vidimus: ergo existentia earum creaturarum in æternitate est de se compossibilis cum existentia eorundem ab æterno in propria mensura: ita autem existentibus creaturis nulla esset earum futuritio: ergo existẽtia in æternitate earum creaturarum est de se compossibilis cum earum futuritione, & non futuritione: ergo & indifferens ad vtramque. Vnde cum in nostra sententia omnes creaturæ potuerint esse ab æterno, nullius existentia in æternitate potest esse medium ad cognoscendã aliquam vt futuram. Quid autem dicendum casu, quo aliqua nõ potuerit esse ab æterno, iam explico.

Assero secundo. Præcisam existentiam ab æterno non esse medium ad cognoscendas vt futuras etiam creaturas quæ ab æterno produci non potuerunt: nisi ea existentia iuuetur ab speciali differentia propria talis creaturæ. Probatur, quia præcisa existentia in æternitate præscindit ab existentia creaturæ potentis & non potentis esse ab æterno: similis autem existentia non connectitur cum futuritione creaturæ, cum aliqua particularis non connectatur vt vidimus: ergo non potest esse medium &c. Dixi nisi iuuetur ab speciali differentia, quia vt sic poterit esse medium cognoscendi futurum; nam existentia in æternitate rei non valentis esse ab æterno, conuertitur cum existentia in tempore, & cum negatione existentiæ ab æterno: ergo connectitur cum futuritione ab æterno. Probatur consequentia; quia futuritio æterna creaturæ consistit vt vidimus in negatione existentiæ ab æterno, & existentia in tempore: existentia autem in æternitate illius creaturæ connectitur cum negatione existentiæ ab æterno, & existentia in tempore: ergo connecteretur cum futuritione. 133

Assero tertiò: Existentiam cuiuslibet creaturæ in æternitate, non posse esse medium ad cognoscendam illam, vt exstituram siue existentem in instanti *A*, potius quam *B*, aut *C*, probatur quia existentia creaturæ in æternitate nullam dicit connexionem cum existentia eiusdem in propria mensura 134

pro-

pro instanti determinato *A*, potius quam *B*, ergo neque potest esse medium cognoscendi illam vt extituram siue vt existentem in instanti *A*, potius quam *B*, Antecedens probatur. Tum quia eandem existentiam habuisset creatura in æternitate, siue extitisset in propria mensura, aut extitura esset in instanti *A*, siue *B*, aut *C*, Tum etiam quia omnes creaturæ existunt pariter in æternitate, quamuis vna vno tempore prior, & altera alterò posterior existant in propria mensura: ergo existentia in æternitate non connectitur cum existentia in propria mensura pro instanti *A*, potiùs quàm *B*, aut pro tempore priori potiùs, quàm posteriori.

SECTIO V.

An Deus agnoscat futura absoluta libera in proximis eorum causis.

135 Dixi libera, nam futura alia contingentia, quæ scilicet pendent à causis necessariis, cognosci à Deo comprehendendo totum ordinem causarum naturalium siue in causa naturali proxime ad operandum expedita, certum supponitur à Doctoribus. Tota ergo difficultas est circa futura libera creata, an videlicet cognoscantur à Deo in proximis eorum causis: id est in voluntate creata omnibus requisitis ad operandum præcincta, de voluntate enim diuina seu decreto agemus inferiùs.

136 Aduertunt aliqui se hic solum disputare, an Deus in causis proximis cognoscat aliquod futurũ liberum ex infinitis; quæ ab illis causis procedere possunt: non vero, An cognoscat hoc futurum liberum certum & determinatum in indiuiduo. Nam neque in causis proximis necessariis potest Deus effectum futurum certum & determinatum in indiuiduo cognoscere; sed solum aliquem ex infinitis. Et ratio est, quia determinatio ad indiuiduum non est causæ proximæ siue liberæ, siue necessariæ, sed solius Dei determinantis vnum indiuiduum præ alio; atque adeò in causa proxima hoc indiuiduũ præ alio cognosci non poterit. Hæc tamen præmonitio apposita est, & opportuna his, qui determinationem ad indiuiduum soli Deo concedunt; qui verò eam causis proximis adscribunt, quod de liberis saltem iudico probabilius, ea monitione non indigent, nam eadem apud ipsos est ratio pro determinatione ad speciem, ac indiuiduum.

Prior ergo sententia docet Deum infinita vi intellectus sui ita penetrare 137 & comprehendere creatum arbitrium, circumstantias, & auxilia ad operationem concessa; vt ex tali penetratione & comprehensione ab æterno præuideat liberum creatum futurum, in quam videlicet partem creata voluntas se determinatura sit. Ita Durandus in 1. dist. 38. quæst. 3. Argentinas in 2. dist. 46. art. 3. P. Becanus cap. 10. quæst. 7. P. Molina art. 13. disp. 14. & 15. Qui omnes sentire videntur, rationem cognoscendi futurum euentũ non esse præcisam libertatem aut indifferentiam arbitrij; sed perfectionem infinitam intellectus diuini, quæ plus potest cognoscere in causa, quam in ipsa sit. Eandem sententiam, sed fundamento longè dissimili, sequuntur Thomistæ Recentiores, quia videlicet in arbitrio creato physicè prædeterminato sufficiẽs & infallibilis est ratio ad cognoscendum futurum euentum. Sed neque cum his modo disputo, nec cum physicè prædeterminantibus contendo, sed cum solis illis qui sola auxilia indifferentia supponunt.

138 Posterior sententia tuetur, Deum nec cognoscere euentum liberum futurum in causis proximis, nec posse ita illum cognoscere. Ita P. Soarius in opusculis lib. 1. de scientia futuri absoluti contingentis cap. 3. à num 10. quem sequuntur communiter omnes nostri Doctores. An autem huiusmodi sententiæ re discrepent inter se vel solo modo loquendi, mihi omnino exploratum non est. Hoc vnum vtrique sententiæ certum, præcisam indifferentiam arbitrij omnibus adminiculis ad operandum præparati non esse sufficientem rationem siue medium, vt in eo cognoscatur, quam partem voluntas operatura sit. An autem infinita virtus intelligendi diuina ex intrinseca sua perfectione talis sit, vt cognita creata voluntate proximè ad operandum expedita, exigat supercognoscere futurũ euentum, ne de ea veritate suspensa maneat, & quasi indecisa, quæ est sententia Molinæ, mihi longè probabilius est & à nostris Doctoribus minime alienum, quod in sequentibus declaro.

139 Assero primò causas proximas non esse sufficiens medium in quo cognito futurum liberum cognoscatur. Hæc conclusio communis tam P. Molinæ, quàm P. Soario & aliis Societatis Doctoribus. Probatur facile conclusio. Nam vt ait S. Thomas 1. part. quæst. 14. art. 13. Quicunque cognoscit effectum contingentem in sua causa tantum, non habet de eo nisi coniecturalem cognitionem: ergo causa proxima sufficiens non est medium vt in ea certò cognoscatur futurus euentus. Et ratio est quia effectus ex vi causæ cognosci nequit, nisi secundum esse, quod habet in illa: effectus autem liber futurus in sua causa proxima non habet esse certum & determinatum, sed indifferens: ergo in illa cognosci non potest effectus liber determinatè futurus. Confirmo respectus ad terminum absque connexione cum illo sufficiens non est vt ex vi illius terminus cognoscatur futurus vel existens iuxta naturam connexionis: at causa proxima libera est respectus ad effectum absque connexione cum illo determinatè futuro: ergo.

Assero secundo Deum ex infinita sua virtute intelligendi cognita causa proxima libera creata supercognoscere euentum determinatè futurum, quam videlicet partem eliget voluntas; non quidem ex vi causæ, siue in causa tanquam medio euentus illatiuo; sed ex perfectione sua propria exigente se extendere ad euentum ex tali causa futurum, dum futurum est. Probatur, quia diuina & infinita virtus intelligendi postulat, vt cognitio diuina repræsentans respectum de se indifferentem se extendat ad cognoscendam determinationem illius: sic cognitio diuina repræsentans actum probabilẽ de consensu futuro; quãuis ex vi medij, quippe indifferentis, non cognoscat meum consensum re ipsa futurum; tamen naturam illius respectus transcendens se extendit ad obiectum, sitne re ipsa futurum, vel non: ergo quamuis causa proxima libera sit respectus indifferens ad effectum, & ex vi illius Deus non possit inferre consensum potius quam dissensum; tamen ex infinita sua perfectione, cognitio repræsentans causam proximam indifferentem, naturam eiusmodi respectus transcendens, se extendet ad cognoscendam determinationem illius. 140

Confirmo: perfectius est diuinam cognitionem repræsentantem causam de se ad plura indifferentem, & aliquid operaturam, se extendere ad cognoscendũ determinatè quid operatura sit, quam manere cum indifferentia circa deter

determinatam operationem: ergo huiusmodi cognitio est Deo concedenda.

142 Dices huiusmodi cognitionem non attingere futurum liberum in causis proximis, sed in se ipso; quia extensio illius cognitionis non determinatur ad euentum futurum ex vi medij, scilicet causæ proximæ, sed ratione veritatis propriæ futuri, quod à nemine negatur. Fateor id verum esse; sed aliud non docuit P. Molina tam de causis proximis, quam de diuinis ideis; tam de scientia futuri absoluti liberi, quam conditionati: ergo dissensio cum illo non est de re, sed de solo modo loquendi.

143 Dices iterum, P. Molinam amplius docuisse, Deum scilicet perfectissimè comprehensa natura & genio voluntatis creatæ vna cum circunstantiis, & auxiliis, illatiue inferre eam voluntatem ita præparatam hoc potius operaturam quam illud: quod non solum denotat cognitionem causæ se extendere ad effectum etiam in se ipso cognoscendum; sed cognosci effectum ex præcisa comprehensione causæ. Respondeo P. Molinam nusquam docuisse modum illum illatiue cognoscendi effectum contingentem ex præcisa positione siue existentia causæ. Sed tantùm docet Deum cognita causa proxima cum omnibus requisitis supercognoscere etiam effectum contingentem, non ex vi causæ præcisè, sed ex sua infinita & vndequaque illimitata perfectione; quæ iste superabundanter comprehendit causam liberam, vt simul etiam super comprehendat effectum quam videlicet partem operatura sit: id autem non est cognoscere effectum illatiue ex causa, sed in se ipso ex superabundantia diuinæ intellectualitatis.

SECTIO VI.

An Deus cognoscat futura absoluta contingentia in ideis, vel in sua scientia efficacitate.

Circa primum pro parte affirmante Alensis & Bonauentura citari solent; sed non adeo clare loquuntur, vt ambigua non sit eorum mens. Verius refertur Caietanus.1.part.quæst. 14. art. 13. vbi docet ideas diuinas esse immediatum obiectum in quo Deus futura absoluta contingentia intuetur. Quid tamen sit idea, aut in quo consistat varie varij explicant. Aliqui enim aiunt esse ipsam formalem cognitionē, quam Deus habet de creaturis, non tamen quamlibet, sed solam cognitionem naturalem practicam, quæ antecedit decretum efficax producendi creaturas, easque vt factibiles repræsentat. Alij cum P. Soario ipsam scientiam visionis futurorum vocant ideas, vnde docet ipse in opusculis lib. 1. de scientia futurorum contingentium cap. re & ordine 4. assertione 1. Deum per ideas suas cognoscere futura contingentia. 144

Assero primo, si idea idem sit ac scientia naturalis siue necessaria creaturarum possibilium seu factibilium, quod mihi probabilius est, Deum nec per ideas directe, nec in ideis reflexe cognoscere futura absoluta contingentia: Ratio est, quia idea hoc modo sumpta non repræsentat creaturas vt futuras, nec connectitur cum illis vt absolute futuris, sed tantum repræsentat creaturas vt possibiles, & cum solis illis saltemquoad efficaciam connectitur: ergo Deus nec per ideas directe, nec in ideis reflexe cognoscit futura absoluta contingentia. Si vero idea extendatur ad scientiam visionis, cum ista sit formalis repræsentatio futurorū, 145

connexio cum illis, Deus per ideas directè, & in ideis reflexe cognoscet futura absoluta contingentia.

146 Circa secundum, An Deus cognoscat futura absoluta in suæ scientiæ efficacitate. Aduerte efficacitatem diuinæ scientiæ aliud non esse quam causalitatem futurorum. Affirmat ergo Palacios in 1.dist. 38. quæst. 2. disp. 2. dubio penultimo. Deum in efficacitate propria scientiæ visionis cognoscere futura contingentia absoluta; existimat enim scientiam visionis esse causam, cur ex duobus contingentibus contradictoriis, hoc potius, quam aliud futurum sit.

147 Assero secundò, Deum non cognoscere futura absoluta contingentia in efficacitate suæ scientiæ. Probatur, quia scientia visionis nullam præstat causalitatem respectu futurorum, cum sit posterior illis, vt ostendi tractatu de Scientia Dei: ergo nulla erit illius efficacitas, in qua à Deo ea futura cognosci valeant. Idem arbitror dicendum de causalitate simplicis intelligentiæ, quia licet sit causa rerum, eius tamen causalitas nullam dicit connexionem cum futuris, sed omnimodam indifferentiam tam ad futurum, quam non futurum. Si autem efficacitas scientiæ visionis non pro causalitate, sed pro formali repræsentatione sumatur, Deus in ea futura cognoscit, quia essentialiter connectitur cum futuris contingentibus absolutis.

SECTIO VI.

An Deus cognoscat futura absoluta libera in decreto suæ voluntatis, An in se ipsis, seu propria eorum veritate.

148 Circa decretum diuinæ voluntatis duplex esse posset medium, futura libera contingentia cognoscendi. Primum est decretum prædeterminans Thomistarum, de quo nihil disputo in præsenti, fusius actutus contra illud, dum scientia conditionatorum in decreto veniet expugnanda, ne eorumdem argumentorum repetitione excrescat cum fastidio liber. Secundum est decretum prædefiniens actus bonos ex suppositione scientiæ mediæ voluntatis sub talibus auxiliis consensuræ.

Assero primò, si cum decreto prædefiniente salua consistat humana libertas, Deum in eo decreto agnoscere futura libera contingentia. Probatur, quia decretum prædefiniens, quippe intrinsece efficax & metaphysice connexum cum futuro libero, est medium sufficiens in quo Deus ea futura cognoscat: ergo cum de facto Deus tale medium perfectissime comprehendat, etiam ex vi illius futura libera comprehendet. Confirmo: tantam connexionem dicit prædefinitio cum futuro libero, quantam scientia visionis de illo dicere possit: Deus autem in scientia visionis cognoscit futurum liberum contingens: ergo etiam in prædefinitione. 149

Circa *secundum*. Assero secundò, Deum certissimè cognoscere futura libera contingentia in se ipsis, & propria eorum veritate. Ita Doctores Societatis contra Thomistas. Probatur primo. Quia ea futura habent in se ipsis determinatam veritatem: ergo & in se ipsis certissimè cognoscuntur à Deo. Consequentia bona est etiam inter Thomistas. Antecedens probatur, quia vt futura libera contingentia habeant in se determinatam veritatem, aliud non desideratur à Thomistis, quam vt in se sint certo, & infallibiliter futura; talia autem esse in se ipsis ostensum à nobis est tota disp. 1. ergo. 150

Probatur

150 Probatur secundo. Liberum contingens, dum actu est extra causas, est determinatè verum, & adeò certò & infallibiliter cognitum in se ipso, vt omnis schola Thomistarum vno ore fatetur ex S. Thoma: non autem cognoscitur cognitione temporali, quæ scilicet incipiat in tempore vno cum existentia futuri liberi contingentis: ergo cognitione æterna, id est ab æterno in Deo existente: ergo ab æterno certò nouit Deus existentiam illius futuri liberi contingentis in se ipsa pro tali temporis differentia, v. g. me hodie scribere vel amare: ergo certò nouit illud futurum antequam esset (sermo semper est in propria mensura.) Ex alio capite Deus certo nouit in se ipsa hanc veritatem, scilicet meam scripturam, vel amorem non esse actu extra causas ab æterno: nam negatio existentiæ mei amoris actu fuit præsens, & existens ab æterno, atque adeo certissime fuit à Deo cognita in se ipsa, cum non fuerit indeterminata ad esse, & non esse ex suppositione quod fuerit, qua vnica ratione, omnia actu præsentia siue existentia asseruntur à Thomistis determinatè vera, & in se ipsis certò à Deo cognita. Ex his, quæ mihi euidentissima sunt,

151 Ita disputo. Qui certo scit me non amare nunc & amare post, certo scit meum amorem esse nunc futurum: Deus autem certò nouit me non amare ab æterno, & me amare post, scilicet hodie: ergo certo nouit ab æterno meum amorem futurum: id autem nouit Deus in propria obiecti veritate certa & determinata: ergo futurum liberum contingens habet propriam certam & determinatam veritatem: ergo fuit in se ipso certò & infallibiliter cognitum à Deo. Hæc probatio adeò valida est pro sententia nostra, vt aliam non sit cur desideremus; quare singulæ propositiones explicandæ sunt, & vlterius confirmandæ.

Maior igitur ostenditur. Nam qui certo scit meum amorem non esse nunc, & esse post, certò scit id, quod est, meum amorem non esse nunc, & esse post: meum autem amorem non esse nunc, & esse post, est, meum amorem esse nunc futurum vt latissime à nobis disp. 1. demonstratum est: ergo qui certo scit me non amare nunc & amare post, certo quoque scit meum amorem esse nunc futurum. Confirmo, qui certo scit me non amare nunc & amare post, certo scit meum amorem; non præcise tantum possibilem, neque mere possibilem, neque existētē nunc, neque præteritum: ergo futurum, cum medium non sit. Roboro, quia certo scit me non amare nunc, & amasse antea; certo scit meum amorem esse nunc præteritum: ergo qui certo scit me non amare nunc, & amare post, certo etiam sciet meum amorem esse nunc futurum. Prior autem argumenti minor illa, scilicet, Deus certo nouit me non amare ab æterno, & amare post, nulli potest esse dubia, aliter ignoraret Deus, vel meum amorem non fuisse ab æterno, vel esse post, scilicet hodie, quod dici non potest. Consequentiam verò optimam esse patet ex hac forma syllogistica: Qui certo nouit meum amorem non esse ab æterno, & esse post, scilicet hodie, certo nouit meum amorem tota æternitate futurum: Deus autem certo nouit meum amorem non esse ab æterno, & esse post, scilicet hodie: ergo certo nouit meum amorem tota æternitate futurum. 152

Iam secunda minor illa argumenti, videlicet totum hoc certo scisse Deum in propria obiecti veritate constat ex 153

dictis. Nam in primis hanc partem, scilicet meum amorem non fuisse ab æterno, certissime nouit Deus in ipsa, & propria illius veritate; cum carentia mei amoris fuerit existens ab æterno, & omnia existentia apud omnes etiam Thomistas in se ipsis, & propria eorum veritate cognoscantur à Deo. Deinde existentia mei amoris hodie, certo cognoscitur à Deo hodie in se ipsa, & propria illius veritate, cum existens sit: ergo certo fuit etiam à Deo cognita ab æterno; aliter in tempore incepisset cognitio illa diuina: ergo totum illud certo nouit Deus ab æterno in propria obiecti veritate. Parco multis aliis argumentis inferius pro scientia media subiiciendis, quia facile cuique erit, ea omnia à scientia futuri conditionati in se ipso ad scientiam futuri absoluti similiter in se ipso transferre.

154 Obiicies. Si ab æterno fuisset in Deo præscientia futurorum contingentium, creati arbitrij libertas penitus corrueret: ergo Deo concedenda non est præscientia futurorum contingentium. Antecedens probatur primo, quia suppositio antecedens & essentialiter connexa cum effectu de medio tollit eius libertatem: præscientia autem diuina futurorum contingentium est suppositio antecedens effectum, cum tota æternitate sit illo prior & anterior; & aliunde, ratione suæ veritatis prorsus infallibilis, essentialiter connexa cum futuro: ergo. Secundo, quoties antecedens est mihi necessarium, & ineuitabile; similiter & consequens necessarium mihi, & ineuitabile est: Antecedens autem huius enthymematis; Deus scit ab æterno me amaturum *: ergo ego amaturus sum*: mihi necessarium & ineuitabile est: ergo & consequens mihi necessarium & ineuitabile erit. Minor autem probatur, quia ego facere non possem, ne ab æterno præscientia mei amoris fuerit in Deo, cum sit anterior me: ergo mihi necessarium & ineuitabile est antecedens illud, scilicet, Deus scit ab æterno me amaturum. Tertio, vel vna cum præscientia mei amoris futuri, possum ego non amare, vel non possum? si non possum: ergo supposita præscientia necessarium est ne amare. Si possum non amare: ergo possum facere præscientiam diuinam falsam. Probatur consequentia, quia me posse vna cum præscientia non amare, est, me posse coniungere præscientiam cum negatione mei amoris: id autem est posse facere illam falsam: ergo. Minor probatur, maior enim sola eget terminorum penetratione, Quia me posse coniungere actu præscientiam cum negatione amoris, est, me posse id, quod est actu coniungere præscientiam cum negatione amoris: actu autem coniungere præscientiam illam cum negatione amoris, est actu facere præscientiam falsam: ergo posse id facere, erit posse facere præscientiam falsam.

Hoc argumento decepti & allucinati non pauci, negarunt Deo præscientiam futurorum contingentium, 135 quia determinatam veritatem vel falsitatem in propositionibus de futuro contingenti cum illius libertate conciliare non potuerunt. Dux præcessit Aristoteles 1. Perihermenias cap. 8. eiusdem etiam sententiæ fautor fuit Tullius lib. de fato. Ab huius tamen erroris tenebris eripuit nos fidei lumen ignotam gentilibus semitam demonstrans.

Respondeo igitur negans sequelam Ad Primam illius probationem distinguo

guo maioré. Suppositio antecedens seu prior tempore, & consequens seu posterior natura euertit libertatem, nego: suppositio natura prior, concedo. Et distinguo minorem. Præscientia diuina futurorum contingentium est suppositio antecedens seu prior tempore, concedo: natura, nego. Et nego consequentiam. Quia etiam si præscientia sit tempore anterior, eo ipso quod sit natura posterior, & à futuro dependens, supponit liberum vsum voluntatis futurum: vnde suppositio præscientiæ antecedens non est, sed consequens, quæ non obstat libertati; vt esset enim antecedens lopus erat, vt esset vel causa, vel requisitum, aut complementum ad operandum, quorum neutrum competit præscientiæ futurorum.

157 Ad secundam probationem concessa maiori, nego minorem, scilicet hoc antecedens, *Deus scit ab aeterno me amaturum*, necessarium mihi, & ineuitabile esse. Quia cum illud antecedens pendeat à meo amore libere independenti ab illo; sicut in manu mea, ex principiis indifferentibus, constitutũ est amare vel non amare, ita constitutum est posse impedire ne præscientia amoris vnquam fuerit, si enim ego non amaturus essem, numquã Deus meũ amorem futurum præuideret, sed potius non amorem. Inde suppositio præscientiæ mihi absolute contingens & euitabilis est, non minus quam ipse meus amor, à quo pendet præscientia, etiam quoad æternam existentiam.

158 Ad tertiam probationem, missa eorum responsione, qui docent, non idem esse, me posse coniungere diuinam prædefinitionem cum negatione actus prædefiniti, & me posse illam frustrare; quia facile eam argumento nobis obiecto conuincet quisque falsitatis Respondeo, vna cum præscientia futuri amoris, siue in sensu composito illius, me non posse non amare: nego tamen inde fieri meum amorem necessarium; nam impotentia illa non est antecedens, sed consequens meum amorem, vt vidimus. Sicut ergo impotentia ad non amandum ex suppositione, quod amem, non reddit meum amorem absolutè necessarium; ita nec impotentia coniungendi diuinam præscientiam cum negatione amoris, reddit amorem absolute necessarium, quia ea impotentia radicaliter oritur à suppositione, quod amem.

Sed instabis, ego non possum facere, ne extiterit, quod extitit ante me: 159
præscientia autem diuina extitit antequã ego existerem: ergo ego nõ possum facere ne extiterit. Maior videtur certa, tum quia ego nihil possum agere contra existentiam anteriorem me. Tum etiam, quia existentia anterior me, non dependet à me, cum existat sine me: ergo neque possum ego impedire, ne fuerit.

Respondeo distinguens maioré: non 160
possum facere ne extiterit, quod existit ante me, dependenter tamen à me, nego: independenter à me, concedo. Et distinguo minorem, præscientia diuina extitit ante me independenter à me, nego: dependenter, concedo. Et nego consequentiam. Ad probationem Respondeo ne nihil posse agere contra præscientiam ex suppositione quod sit, absolute tamen & antecedenter posse agere non amorem, quo nunquam extitisset præscientia amoris, sed opposita, scilicet præscientia non amoris Ad secundam probationem, distinguo illam. Existentia anterior me non de-

pendet à me pro instanti, in quo est sine me, concedo: pro instanti in quo præuideor amaturus nego. Et nego consequentiam. Quia vt ego possim facere ne vnquam fuerit præscientia sat est, quod illa pendeat à me pro instanti, quo ego præuideor amaturus, nam si in eo instanti non amarem, nunquam prænouisset Deus me in eo instanti amaturum, sed oppositum, nempe non amaturum.



DISPVTATIO III.

De futuritione conditionata contingentium.

161 CONtrouersia non est, vt pro futuris absolutis prænotauimus, de futuritione metaphorica aut intentionali; nec de dubia & impropria, si quæ talis est; sed de physica & entitatiua, certa, & infallibili, qua res certo & infallibiliter extitura esset si conditio poneretur, vel ponenda foret. Nec differitur de radice seu causa futuritionis conditionatæ, sed de illius formali constitutiuo. Et quamuis præsens disputatio consectarium sit ex dictis pro futuritione absoluta, mutato tantum statu de absoluto in conditionatum; tamen ne terminorum nouitas rem satis perspicuam tantillum obtenebret, hanc disputationem præcipuè controuersiæ duximus præmittendam.

SECTIO I.

Quotuplex sit futurum conditionatum, & quodnam sit materia præsentis disputationis.

FVturum conditionatum vulgo dicitur illud, quod esset si conditio 162
poneretur. Re tamen strictè & rigorosè sumpta, in statu conditionato distinguere necesse est inter præsens, præteritum, & futurum sub conditione: sicut in statu absoluto distinguitur omnium consensu inter præsens, præteritum, & futurum absolutum. Eadem enim videtur omnium ratio, nec maior esse potest, cur res in statu conditionato possit esse futura, & non præterita, vel existens.

Sicut ergo in statu absoluto res ea- 163
dem respectiuè ad tempora diuersa est, & dicitur futura, præsens, & præterita absolutè: ita in statu conditionato res eadem respectiue ad tempora diuersa erit futura, præsens & præterita sub conditione. Præterea sicut in statu absoluto illa res dicitur absolutè præsens, quæ absolute est, ea autem absolute futura, quæ absolute erit, & illa absolute præterita, quæ absolute fuit. Pariter in statu conditionato illa res est sub conditione præsens, quæ existeret existente conditione, illa vero futura, quæ extitura esset si futura quoque vel extitura esset conditio, illa autem præterita, quæ fuisset si conditio præcessisset. Quæ omnia sequentibus conditionalibus clariora fient. Prima: existente prædicatione Christi apud Tyrios, existens quoq. esset eorum pœnitentia: quæ exprimit existens conditionatum. Secunda: si futura esset vel extitura prædicatio Christi apud

apud Tyrios, futura quoque & extitura esset eorum pœnitentia: hæc denotat futurum sub conditione. Tertia: si fuisset vel extitisset prædicatio Christi apud Tyrios, fuisset quoque & extisset eorum pœnitentia: hæc significat præteritum sub conditione.

164 Rursus etiam si eadem res diuersis temporibus non posset esse futura, præsens, & præterita; tamen in statu absoluto eodem tempore, quo vna res est præsens, altera est futura, & præterita altera: ergo idem erit in statu conditionato; pro tempore enim, quo esset existens Tyriorum pœnitentia sub conditione prædicationis Christi; non erat existens lapsus Adæ sub conditione fœminæ porrigentis pomum, sed præteritus: nec erat existens Antichristi peccatum, sed futurum: in statu ergo conditionato admittendum est præsens, præteritum, & futurum.

165 Confirmo, nam res illa, quæ posita conditione non esset futura sed existens, sub positione talis conditionis non est futura sed existens: plura autem sunt, quæ posita conditione futura non essent, sed existentia: ergo non erunt futura sub positione talis conditionis sed existentia, atque adeò admittendum est existens sub conditione. Minor probatur, nam plures actus boni & mali existunt in eodem instanti in quo ponitur conditio: ergo plura sunt, quæ posita conditione futura non essent, sed existentia. Aliunde à nullo negatur futurum sub conditione, nec consequenter negari potest præteritum: ergo admittendum est in statu conditionato præsens, præteritum, & futurum. Quæ omnia licet indubitata videantur, quia tamen in sequentibus magni futura sunt ponderis, eorum probatio omittenda non fuit.

Hic tamen aduertas velim, futurum conditionatum nec dicere conditionē esse absolutè ponendam, nec non esse ponendam; sed ab vtroque præscindere: multa enim sunt futura conditionata, quorum conditio aliquando ponetur; multa vero, quorum conditio nunquam erit. Similiter existens conditionate, neque dicit existentiam actu esse, neque actu non esse; quia pleraque sunt existentia conditionate, quæ actu sunt; pleraque vero, quæ actu non sunt; sed ab vtroque præscindit sicut futurum. Pariter, præteritum conditionatum non dicit conditionem absolute fuisse, neque non fuisse, sed ab vtroque præscindit, sicut præsens & futurum ob eandem rationem. 166

Futurum igitur conditionatum, idemque est de præterito & existente, duplex est; Aliud pure conditionatum, cuius videlicet conditio neque erit, est, aut fuit, talis est pœnitentia Tyriorum. Aliud est non pure conditionatum, cuius videlicet conditio re ipsa vel extitura est postea, vel existit nunc, vel extitit antea: & de futuro conditionato hoc modo sumpto non est nobis disputatio, sed de futuro à pure & non pure conditionato præscindente. Quia conditionatum non purum, vel est futurum absolutum, vel existens aut præteritum, de quibus in superioribus satis. Conditionatum vero purum pertinet ad scientiam visionis, quia carentia omnis existentiæ, qua in esse talis constituitur, libera Deo est & contingens. 167

Futurum ergo conditionatum à pure, & non pure conditionato præscindens, quadruplex est. Primum cuius conditio necessario est illatiua effectus, v.g. si ignis applicandus esset stupæ, ista comburenda foret. Secundum, cuius conditio disparata omnino 168

est respectu effectus, v. g. dormituro Turca cantaturus esset Hispanus. Tertium, cuius conditio impossibilis est, v.g. si lapis esset homo, libere operaturus esset. Quartum, cuius conditio, quamuis necessariò non inferat effectum, est tamen conducens & proportionata effectui, v.g. si prædicatio Christi futura esset apud Tyrios, futura quoquè & extitura esset eorum pœnitentia.

169 Præsens autem controuersia non instruitur de primo futuro conditionato; cuius videlicet conditio necessario infert effectum. Tum quia hoc futurum certitudinem & infallibilitatem habet à sua causa vel conditione. Tum etiam quia pleno ore fatentur Thomistæ recentiores huiusmodi futurum esse in se certum & infallibile, & certò & infallibiliter à Deo cognitum in se ipso ante omne decretum actu & formaliter existens in ipso. Ideo enim negant futurum contingens esse certò & infallibiliter futurum, & vt tale posse à Deo certo & infallibiliter in se ipso ante decretum cognosci, quia nec à se, nec à conditione habere potest infallibilitatem existendi, cum in se contingens sit, & conditio illum inferat. Quæ ratio non militat in conditionato necessario.

170 Nec præsens controuersia remoratur in secundo futuro conditionato, cuius videlicet conditio disparata est, & absque vlla propositione cum effectu. Quia tale futurum re ipsa conditionatum non est, nisi quæstio sit de voce. Nam particula, *si*, & signat dependentiam effectus à conditione; & aptitudinem & proportionem in ista, vt ponatur effectus: quorum neutrum in conditionato disparato reperitur; nam neque cantus Hispani à somno Turcæ dependet, nec somnus Turcæ aptus est aut proportionatus, vt Hispani cantus existat.

Multo minus occupatur præsens controuersia in tertio futuro conditionato, cuius videlicet conditio impossibilis est. Tum quia præter suppositionem impossibilem, nihil continet diuersum à quarto futuro conditionato. Tum etiam quia parum conducit ad intelligentiam Scripturarum, quam intendimus. Tum denique quia, nulla est necessitas suppositionis impossibilis, quando tot abundant futura in Scripturis sacris sub conditione possibili. 171

Tota ergo præsens controuersia voluitur circa quartum futurum conditionatum, cuius videlicet conditio possibilis est, & quamuis necessario non inferat effectum, est tamen illi conducens & proportionata. 172

Sed quæres. An ad propositionem strictè & rigorosè conditionalem necessaria sit bonitas consequentiæ; id est, an ex hoc antecedente, *Conditio est*, necessario sequi debeat hæc bona consequentia: *ergo effectus est*, ita vt non possit esse falsa. 173

Magister Ledesma Dominicanus disp. affini de scientia futurorum contingentium fol. 602. littera *D. §. septima ratio*, Affirmat necessariam esse eam bonitatem consequentiæ ad propositionem conditionalem veram. Vnde docet nullum futurum conditionatū contingens posse habere determinatam veritatem, nec à Deo certo cognosci, quia nullū habet eam bonitatē consequentiæ: nam ex positione conditionis aliquando sequitur effectus, aliquando non, & semper potest non sequi: ergo propositio conditionalis semper erit falsa, quippe asserens bonitatem consequentiæ, quæ nunquam est in futuro contingenti. Quam doctrinam ait esse sancti Thomæ. Eandem sententiam sequuti sunt omnes illi Doctores Thomi 174

Thomistæ, qui Deo negabant certam & infallibilem conditionatorum præscientiam, quos dabimus dispur. sequenti.

175 Doctores verò Societatis negant ad veritatem propositionis strictè & rigorose conditionalis requisitam esse eam bonitatem consequentiæ. Cui sententiæ re maturius considerata subscribere decreuerunt recentiores Thomistæ inter quos Viues disp. 2. dist. 1. n. 6. citans pro se Sotum lib. 3. sũmularum cap. 8. sect. 3. Nec contrarium docuit P. Vasq. 1 p. disp. 67. num. 7. licet enim antea dixerit ad propositiones conditionales veras requiri bonitatem consequentiæ. Statim tamen eam bonitatem consequentiæ explicans coniungit discrimen inter propositiones de futuro necessario & contingenti: docens, in propositionibus conditionalibus in materia necessaria, consequentiam ita esse bonam, vt ex natura rei pugnet, dari antecedens verum, & consequens falsum: in propositionibus vero de futuro contingenti, vt sit bona consequentia, satis est, ait, vt consequens re ipsa sequatur, quamuis possit non sequi, quod longe distat à sententia Ledesmæ.

176 Censeo ergo ad propositionem strictè conditionalem, necessariam non esse eam consequentiæ bonitatem. Ratio est clara, nam ea bonitas consequentiæ requisita tantum est pro futuro conditionato necessario, in quo conditio necessariam habet connexionem cum effectu: ergo requisita non est pro contingenti, cuius conditio eam connexionem non habet; aliter esset futurum necessarium, cùm ex positione conditionis ita poneretur effectus, vt non posset non poni, in quo stat bonitas consequentiæ. Confirmatur propositio illa Christi D. *Væ tibi Corozain, Væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ in te factæ sunt, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent*; est propriissime conditionalis absque illa bonitate consequentiæ: ergo. Antecedens patet quoad vtramque partem; quoad primam; quia nulla est in eo modo loquendi improprietas, atque adeò particula *si* propriissimam continet conditionalem. Quoad secundam verò ostenditur, quia si propositio illa haberet eam bonitatem consequentiæ, ex positione conditionis apud Corozainos & Bethsaiditas subsequuta fuisset eorum pœnitentia contra Scripturam, cum ex eadem conditione subsequuta fuisset apud Tyrios: ergo illa bonitas consequentiæ necessaria non est pro veritate propositionis conditionalis de futuro contingenti. Satis ergo est si conditio proportionata sit effectui, & iste pendens ab illa, & vlterius sit agens liberum, qui inferat effectum posita conditione licet indifferenti.

SECTIO II.

In quo consistat formaliter futurum conditionatum contingens.

Aliqui ex recentioribus Dominicanis consequenter ad eá, quæ tradiderant pro futuro absoluto contingenti; docent futurum conditionatum contingens, vltra carentiam existentiæ, consistere formaliter in determinatione præsenti ad existendum postea, si conditio poneretur. Ab eaque determinatione aiunt sumere futurum conditionatum de se contingens certitudinem, & infallibilitatem ad existendum 177

stendum postea, si conditio poneretur. Ita Viues cum suis disp. 10. & 18. vtrobique repetens eadem argumenta, quæ pro futuro absoluto contingenti præmiserat disp. 1. quæque nos etiam librauimus disp. 2.

178 Itaque in hac sententia, existentia conditionata non est formaliter de intrinseco constitutiuo futuri conditionati, sed est purus terminus adæquatæ & integræ futuritionis consistentis tantum in carentia existentiæ nunc, & determinatione præsenti ad existendũ postea, si conditio poneretur. Quæ determinatio tandiu est præsens, quandiu verum est, rem esse sub conditione futuram. Si autem inquiras, quid sit determinatio illa præsens ad existendum postea, si conditio poneretur? Respondent, consequenter ad dicta pro futuro absoluto contingenti, esse decretum diuinum conditionatum ex parte obiecti, & absolutum ex parte actus, actu, & formaliter existens in Deo, ita habens: *Volo pœnitentiam Tyriorum si apud illos fierent virtutes Christi.* Quod decretum conditionatum in infinitum multiplicari pro singulis & infinitis combinationibus conditionatis non horrent.

Dixi, *ex recentioribus Dominicanis.*

179 Quia antiquiores in ea sententia non fuisse, non fingimus nos, sed ex eorum scriptis accepimus. Audi magistrũ Ledesmam Dominicanum disp 2. affini de scientia futurorum contingentium fol. 577. columna 1. littera C. de illa determinatione & decreto recentium Thomistarum ita loquentem. *Secundus modus explicãdi eam sententiam* (scilicet affirmantem Deum certò scire futura conditionata contingentia) *est aliorum, qui dicunt quod Deus cognoscit hæc futura conditionata in prædeterminatione sua voluntatis, & in decreto illius, quo prædefiniuit, quid esset futurus, non absolutè sed sub conditione, si hac vel illa circumstantia poneretur: vt si voluntas hominis vel Angeli hoc vel illo ordine rerum crearetur, & sub his circumstantiis, vel sub illis. Quod si quis dicat, quod Deus nihil de his sua voluntate decreuit, cum simpliciter non sint futura. Respondent authores istius modi dicendi, quod Deus non cognoscit hæc futura in absoluto decreto, quo voluit illa esse aut geri; sed in decreto includente eam conditionem in obiecta. Itaque existimat ista sententia, quod Deus præter ea, quæ decreuit absolute fieri à causis liberis, decreuit etiam omnia, quæ à quacunque voluntate possibili futura essent: si sub hac vel illa conditione crearentur, imò & omnia, quæ ipsamet voluntas diuina faceret, si aliæ occasiones vel circumstantiæ ad operandum se illi offerrent.*

Contra istam doctrinam agit Ledesma fol. 582. columna 1. & sequentibus, his verbis. *Secunda conclusio. Prima sententia* (scilicet affirmans Deum certò scire futura conditionata contingentia) *iuxta secundum modum* (scilicet in decreto conditionato ex parte obiecti & absoluto ex parte actus) *declarata est falsa & improbabilis. Hanc conclusionem docent omnes authores secundæ sententiæ, & præcipuè omnes illi, qui sequuntur doctrinam D. Thomæ.* Et rationem suæ conclusionis innuit Ledesma num. sequenti his verbis. *Quia hæc prædefinitio libera, & prædeterminatio libera Dei circa futura conditionata, quæ nunquam futura sunt, est impossibilis in ipso Deo, neque reperiri potest in illo: igitur in tali prædefinitione & prædeterminatione libera diuinæ voluntatis, non potest Deus cognoscere certò & infallibiliter futura conditionata*: ergo si fides danda est Ledesmæ Dominicano determinatio præsens futuri conditionati sumpta à de-

creto conditionato ex parte obiecti, & absoluto ex parte actus, contraria est senioribus Thomistis, & omnibus his qui sequuntur doctrinam Diui Thomæ.

181 Præterea Reuerendissimus Aluarez etiam Dominicanus lib. 1. responsionũ cap. 5. num. 26. *Antiqui*, inquit, *non egerunt de decretis conditionatis, nec de scientia conditionata*. Vel ergo antiqui Patres Prædicatores egerunt de futuro conditionato certo & infallibili, vel non? si non egerunt, quo fundamento citantur à Viues pro illo. Si egerunt: ergo non constituebant illud determinatione præsenti sumpta à decreto conditionato, cuius non meminerunt: ergo determinatio illa præsens, nouitas est Dominicanorum Recentium.

182 Dixi *aliqui ex recentioribus Dominicanis*, quia plures etiam ex Recentioribus non posse in ea sententia subsistere, mihi compertum est. Nam qui cum Verdu, Nazario, & Gonzalez negant Deum prædefinire posse actus prauos, cum tamen isti aliunde sint certò & infallibiliter conditionate futuri: necesse est eam infallibilem futuritionem consistere non posse in eorum sententia in determinatione diuina sumpta à decreto illo conditionate prædeterminante, seu prædefiniente. Imò existimo iuxta principia Dominicanorum recentium etiam eorum, qui ad entitatem peccati prædeterminationes admittunt, non posse eam sententiam extendi ad omnia futura conditionata. Nam vt expendimus pro futuro absoluto; malitia formalis, vt talis, est aliquod futurum conditionatum certum & infallibile, ad quam nulla est possibilis diuina determinatio: ergo hac futurum constitui non potest determinatione diuina præsenti ad existendum postea, si conditio poneretur. Quod si semel nobis detur vnicum futurum conditionatum certum & infallibile absque determinatione diuina præsenti, securi & pacifici in nostra sententia viuere possumus. Quid enim nobis obiicient, quod in illud suum futurum non retundamus.

Doctores autem Societatis Iesu consequenter ad ea, quæ pro futuro absoluto tradiderant, constantes & immoti pronunciant. Futurum conditionatum certum & infallibile tantum consistere formaliter in carentia existentiæ nunc, & existentia postea si conditio poneretur, expuncta à formali constitutiuo futuri determinatione illa præsenti ad existendum postea. Ita Doctores nostri, morosius illi, qui suo loco vno agmine, vnoque impetu pro scientia Media certaturi prodibunt. 183

Asserendum est, Futurum conditionatum certum & infallibile non consistere formaliter in determinatione illa præsenti ad existendum postea, si conditio poneretur; sed in carentia existentiæ nunc, & existentia postea, si conditio poneretur. Probatur primò. Futurum absolutum certum, & infallibile non consistit formaliter in determinatione præsenti ad existendum postea absolutè, sed in sola carentia existentiæ nunc, & existentia postea: ergo futurum conditionatum certum & infallibile non consistet formaliter in determinatione præsenti ad existendum postea, si conditio poneretur; sed in sola carentia existentiæ nunc, & existentia postea, si conditio poneretur. Consequentia legitima est etiam apud aduersarios, qui de futuro conditionato consequenter aiunt discurrendum cum futuro absoluto. Antecedens autem multis à nobis stabilitum est. disp. 1. cuius omnes probationes sub terminis conditionatis militant pariter pro futuro conditionato, & facilè quisque huc poterit eas reuo- 184

care ; quod omittimus nos ne fastidiosa repetitione nimium tractatus excrescat.

185 Probatur secundò ad hominem contra Vives : nam vt habes disp. 2. dist. 4. & 5. Deus ante omne decretum absolutum ex parte actus, id est actu & formaliter existens in ipso, certò scit futurum conditionatum iuxta modum, quo conditio illud infert. Si enim conditio probabiliter tantum inferat futurum conditionatum, Deus certo scit, quod postea conditione probabiliter tantum sequeretur ex illa effectus. Si autem conditio contingenter aut coniecturaliter inferat effectum, Deus certo scit, quod posita conditione contingenter tantum & coniecturaliter sequeretur euentus. Si denique conditio infallibiliter inferat futurū, Deus certò scit, quod posita conditione infallibiliter ex illa sequeretur effectus; physice si infallibilitas physica sit; moraliter si moralis, & metaphysicè si metaphysica. Quas omnes scientias infallibiles ex parte subiecti, siue ex parte sui, habet Deus ante omne decretum absolutum ex parte actus; id est ante omne decretum actu & formaliter existens in ipso. Ex his, quæ expresse tenet aduersarius locis citatis,

186 Ita disputo. Deus, ante omne decretum actu, & formaliter existens in ipso, certo scit extiturtam certo & infallibiliter pœnitentiam Petri v. g. si conditio certo & infallibiliter cum ea connexa poneretur, vel ponenda foret, qualis est in tua, & Thomistarum sententia prædeterminatio tam creata, quam increata : ergo pœnitentia Petri est sub ea conditione certò & infallibiliter futura ante omne decretum actu & formaliter existens in Deo; aliter ante illud non cognosceretur à Deo, vt certò, & infallibiliter futura : ergo ea pœnitentiæ certa, & infallibilis futuritio consistere non potest in determinatione præsenti sumpta à decreto absoluto ex parte actus ; alioqui neque ea futuritio certa esset sub ea conditione, neque à Deo ante decretum vt talis cognosceretur. Consequentiæ clarissimæ sunt. Antecedens vero conceditur à Vives citato num. 35.

Confirmatur, Futurum necessarium conditionatum ideo est certum, & infallibile ante omne decretum absolutū ex parte actus, quia conditio certò, & infallibiliter infert effectum : in sententia autem Thomistarum, hæc conditio futuri conditionati contingentis, scilicet prædeterminatio tam diuina quam creata, certò & infallibiliter infert effectum ; non moraliter tantum, aut physice, sed metaphysice : ergo ante omne decretum absolutum ex parte actus, est certo & infallibiliter futurum: ergo eius certa & infallibilis futuritio constitui non potest determinatione præsenti sumpta à decreto actu & formaliter existente in Deo. 187

Probatur tertiò conclusio contra Thomistas sentientes non posse Deum prædefinire, aut prædeterminare materiale peccati. Nam plures actus praui sunt certò & infallibiliter conditionate futuri, & vt tales certò & infallibiliter cognoscuntur à Deo: ergo eorum actuum certa & infallibilis futuritio conditionata stat absque vlla determinatione præsenti sumpta à decreto diuino determinante illos. Vnde necesse est, vt authores isti ad nostram sententiam se recipiant pro futuritione certa, & infallibili actus praui. Quod si in actu malo sufficiunt futuritioni certæ carentia existentiæ nunc, & existantia postea, si conditio poneretur, cur ni in bono ? Et quæ iacula poterunt in nos contorquere authores istiusmodi, quæ ipsos non feriant. 188

Probatur

189 Probatur quartò contra omnes Thomistas. Quia esto Deus prædeterminet ad materiale peccati; nullus tamen ausus est asserere, Deum prædeterminare ad formalem illius malitiam: & tamen malitia formalis est certo, & infallibiliter conditionate futura, & vt talis à Deo cognita: ergo illius certa, & infallibilis futuritio conditionata stare non potest in determinatione diuina, seu decreto ad malitiam formalem determinante sub conditione. Præter carentiam autem existentiæ nunc, & existentiam postea, nihil est, quo certa, & infallibilis malitiæ futuritio conditionata constituatur; solis ergo illis constituenda est. Effugia autem, quæ huic argumento adhiberi possent, præclusa iam a nobis sunt disp. 1. à num....

190 Plura alia argumenta, quæ à nostris Doctoribus contra decretum prædeterminans tam absolutum quam conditionatum obiici consueuerunt, dabuntur inferiùs.

SECTIO III.

Infringuntur obiecta.

191 Obiicit primò Viues disp. 10. distinct. 1. Ante decretum diuinum absolutum ex parte actus & conditionatum ex parte obiecti, nequit verificari de re contingenti futuritio infallibilis conditionata: ergo illa consistet in determinatione sumpta à tali decreto. Antecedens probatur, quia res contingens conditionate habere non potest ante decretum absolutum ex parte obiecti futuritionem infallibilem, nisi habeat de præsenti aliquid, quo reddatur infallibilis existentia, casu quo ponatur conditio: nihil tale habet res conditionatè contingens, cum in sententia nostra omnia illius principia, & conditiones indifferentia sint: ergo ante decretum illud diuinum nequit verificari de re contingenti futuritio infallibilis conditionata. Maiorem supponit, & minorem probat tota ferè disp. citata, eadem repetens, quæ pro futuro absoluto antea obiecerat, & soluta à nobis sunt disp. 1. sect. 3.

Respondeo ergo ex ibi dictis negãs antecedens. Ad probationem nego maiorem, quam supponit aduersarius, & probare debuisset. Primò quia apud te præteritum est certo, & infallibiliter tale, quin habeat de præsenti aliquid vltra carentiam existentiæ nunc, & existentiam antea. Secundò, quia apud omnes Thomistas malitia formalis est certò, & infallibiliter sub conditione futura, quin habeat aliquam determinationem de præsenti. Tertiò, quia futurum necessarium conditionatum est certò & infallibiliter futurum quin similiter habeat aliquid de præsenti, quod reddat infallibilem existentiam casu quo ponatur conditio, aliter assigna mihi quid existat de præsenti respectu huius futuri: si alius Sol crearetur luceret. Quartò, quia ab aduersario admittitur de facto futurum conditionatum certum & infallibile, quin aliquid existat de præsenti: Nam hoc futurum conditionatum; Antichristus pœniteret si à Deo prædeterminaretur ad pœnitentiam; est futurum conditionatum certum & infallibile ante omne Dei decretum vt vidimus sect. præcedenti: & nihil illius est præsens. Pariter dicimus omnia futura contingentia esse certò & infallibiliter talia, etiam si nihil sit de præsenti, quo certa reddatur existentia, casu quo ponatur conditio: sufficit enim carentia existentiæ nunc & existentia postea si conditio poneretur. 192

192 Quod si instes. Quod non est præsens non potest constituere futurum dum futurum est: ergo cum existentia non sit præsens dum res est futura non poterit constituere futurum. Respondi iam disp. 1. sect. 3. negans antecedens, nam sicut existentia, quæ non est, potest constituere præteritum, ita & futurum.

193 Obiicit secundò Viues eadem disp. 10. dist. 2. num. 18. Potentia quæ secundum se est indifferens ad vtramque partem contradictionis, nequit esse infallibiliter determinata ad alteram partem, si ponatur sub aliqua conditione, nisi conditio illa inducat infallibiliter ex natura sua consensum v.g. potius quam dissensum, aut ab extrinseco inuoluat aliquid, quod extorqueat, aut certum reddat consensum: atqui conditio in nostra sententia neque inducit infallibiliter consensum v. g. potius quam dissensum; neque ab extrinseco inuoluit aliquid, quod extorqueat, aut certum reddat consensum: ergo ex nullo capite haberi potest futurum contingens infallibiliter tale ante omne Dei decretum.

194 Respondeo negans maiorem: sicut enim in sententia omnium Thomistarum potentia secundum se indifferens ad vtramque partem contradictionis infallibiliter à se ipsa determinatur ad alteram partem, scilicet malitiæ formalis, si ponatur sub aliqua conditione, quin illa conditio inducat infallibiliter ex natura sua malitiam, aut inuoluat ab extrinseco aliquid, quod extorqueat aut certam reddat malitiam. Idem nos dicimus de omni futuro conditionato infallibiliter tali; cuius constitutiuo sufficit, carentia existentiæ nunc, & existentia postea si conditio poneretur, quam vocamus existentiam conditionatam. Quod si Viues optimè nouisset, nullam in P. Soario variationem inuenisset, nisi necessariam inter statum absolutum & conditionatum ab omnibus admissam. Etenim P. Soarius lib. 1. de scientia conditionata cap. 7. quem tu citas disp. 10. dist. 2. num. 19. nihil aliud asserit, quã futurum absolutum constitui existentia absoluta pro aliqua differentia temporis, & conditionatum conditionata, in quo nulla est variatio, quæ consequentissima non sit.

Istat Viues, primò num. 22. Quia 195 nos apertè dicimus, cognosci veritatem futuritionis rei, quia aliquando erit: ergo cognoscitur quod erit, quia erit, quæ est manifesta nugatio. Consequentia probatur, quia nos non dicimus, cognosci quod erit, quia aliquando est, neque id dicere possumus; quia plurima ex futuris conditionatis cognita fuerunt vt talia; & tamen nunquam existent, quia conditio nunquam ponetur: at non est diuersa ratio cognoscendi ista à ratione cognoscendi omnia, vt constat: ergo tantum cognoscitur quod erit, quia erit.

Respondeo, in primis nullam esse 196 negationem in eo, quod Deus cognoscat, quod res erit, quia re vera erit: hoc enim est cognoscere rem futuram propter propriam illius veritatem. Sicut in sententia Thomistarum, nulla est nugatio in eo quod cognoscat Deus, quod res est præsens, quia re vera præsens est; & quod res est præterita, quia re vera præterita est. Quæ doctrina fundata est in communi & trita philosophia, scilicet in assensu obiecti materialis propter propriam illius veritatem, idem esse obiectum materiale & formale, ad quam classem reuocantur assensus præmissarum. Sicut ergo assensus existentiæ propter propriam illius veritatem dicit, Petrum existere, quia re vera existit absque

que nugatione; idem nos dicimus de assensu rei futuræ.

197 Deinde nos non dicimus, Deum per scientiam Mediam cognoscere, quod res erit; sed quod extitura esset, si conditio ponenda foret; vel esset, si conditio poneretur. Itaque rem existere conditionate, non est res, quæ existat, sed quæ existeret si conditio poneretur: similiter rem esse conditionatè futuram, non est res, quæ erit, sed quæ extitura foret. Concedo ergo eandem esse rationem cognoscendi omnia futura. Quid tamen inde contra nos vno ore asserentes omne futurum conditionatum esse certum, & infallibile ab existentia, non quæ erit, sed quæ extitura esset, si conditio poneretur?

198 Instat secundò num. 23. Futura cōditionata quæ nunquam erunt, in nulla temporis differentia existent: ergo non possunt esse certo & infallibiliter sub conditione futura ab existentia postea, ad quam nos pro futuro absoluto confugiebamus. Hæc instantia doctrinam nostram assequuta non est. Nos enim non constituimus futurum sub conditione existentiæ, quæ erit pro aliqua temporis differentia; sed existentiæ, quæ esset, si conditio poneretur: sicut ergo futurum absolutum est certum ab existentia quæ erit, ita conditionatum ab existentia, quæ esset, si conditio poneretur. Quam solutionem P. Soarij si Viues penetrasset, comperisset eam non esse refugium inane, vt ipse ait num. 28. sed clypeum æneum contra inane iaculum vagum, & profugum ab scopo. Nec falsò imposuisset P. Soario num. 27. quod res erit, quia Deus apprehendit rem præsentem, quæ nunquam erit præsens. Nam P. Soarius nec lib. 2. de scientia conditionata cap. 7. nec tom. 1. de gratia prolog. 2. cap. 7. nec verbis à te relatis, docet, ideo rem esse futuram, quia Deus apprehendit illam futuram vel existentem, sed è contra. Solùm ergo dixit P. Soarius, rem, quæ nunquam erit absolutè præsens, posse esse sub conditione futuram & existentem, & eam existentiam posse apprehendi à Deo, etiam si nunquam absolutè sit quia satis est, quod conditionate esset.

Vt clarius tamen mi lector deprehendas, quam semotus sit aduersarius à doctrina nostra conditionatorum contingentium, expendas precor; quid præfata disp. 10. num. 35. post longas P. Soarij & Diotaleuij instructiones, & annotationes didicerit in præsenti controuersia. Ita scribit. *Hæc responsio* (scilicet Diotaleuij) *nihil amplius dicit, quam solutiones P. Soaris. In summa enim tantum dicit futura conditionata esse præsentia ex hypothesi ab æterno, non ratione connexionis cum re; sed quia res apprehenditur per actum, qui in ipsam immediatè fertur, eamque simplici intellectioni repræsentat ad modum existentis extra causas. Et ratione huius præsentia obiectiua cognosci à Deo infallibiliter futuritionem illam conditionatam.* Hoc est compendium Doctrinæ P. Soarij & Diotaleuij diligenti studio compositum à Viues; in quo quanta compaginentur, quæ nec à P. Soario nec à Diotaleuio somniata sunt iam ostendo. 199

Primò falsò infertur; Futura conditionata esse præsentia ex hypothesi ab æterno. Non enim futura conditionata sunt præsentia ex hypothesi ab æterno; sed tantum pro illa tēporis differentia, in qua hypothesis siue conditio poneretur. Hoc scripsit Soarius, hoc Diotaleuius de præsentia physica & entitatiua sub conditione. Falsò infertur secundò, futura conditionata esse præsentia ex hypothesi ab æterno, quia apprehenduntur à Deo ad modū 200

existentis extra causas: nam etiam si futura conditionata essent præsentia ex hypothesi ab æterno, non ideò talia essent quia apprehenderentur à Deo admodum existentis extra causas; sed è contra ideò apprehenderentur à Deo esse præsentia ex hypothesi ab æterno, quia actu essent extra causas, si conditio poneretur. Hoc docuit P. Soarius, hoc Diotaleuius. Falsò infertur tertiò; ratione præsentiæ obiectiuæ cognosci à Deo infallibiliter futuritionem conditionatam; non enim cognoscitur infallibiliter futuritio conditionata, quia ipsa existit obiectiuè; sed quia res physice esset, si conditio poneretur; inde sicut est certa, & infallibilis futuritio conditionata, ita vt talis cognoscitur à Deo. Hoc dictauit P. Soarius, hoc Diotaleuius. Videas nunc mi Lector, quam incerta & errabunda ab hisce fundamentis nascitura sint argumenta.

201 Instat vltimo Viues eadem disp. 10. num. 19. & 20. Nam P. Soarius fatetur humanum captum superare, quod cognoscantur infallibiliter futura antequam Deus eorum existentiam decernat, absolutum absolute & conditionatum conditionate: Hoc autem, quod P. Soarius supra suum captum esse fatetur, facile percipere potuisset, si nobiscum ad diuina decreta confugisset: ambulant ergo scientiæ Mediæ authores in mirabilibus super se, ipsis etiam id cognoscentibus. Maiorem probat. Nam P. Soarius tom. 1. de gratia prolog. 2. cap. 7. num. 21. præmissa doctrina à nobis tradita tandem concludit his verbis. *Quod sicut captum humanum superat intelligere, quomodo diuinus intuitus hanc habeat efficacitatem in his conditionatis, ita plane in absolutis*: ergo.

202 Respondeo negans maiorem. Ad probationem dico aduersarium non attente legisse P. Soarium, nã ea verba dicta non sũt à P. Soario circa scientiam conditionatorum ante decretum, sed circa efficacitatem diuini intuitus & virtutis intelligendi, quomodo videlicet intelligat rerum existentias antequam sint, quod ab omnibus etiam Thomistis superandum est. Inde concludit P. Soarius, sicut negari non potest Deum cognoscere existentias rerum absolutas, ita nec conditionatas; quia eadem est omnium ratio.

Nunc autem videamus, An aduersarij suo illo decreto prædeterminante ambulent in magnis & mirabilibus super se. Inquirentes enim quomodo cum creata libertate consistat, & Deum causam peccati propriè non faciat; Respondent, arcanum esse & grande mysterium; ideoque, sicut in celebrioribus fidei articulis, captiuandum intellectum. Ita Banez 1. p. quæst. 23. a. 5. §. *ad hanc obiectionem, &c. Nam primum omnium debuissent credere, quod aiunt se non posse intelligere; credimus enim Catholici mysterium Trinitatis, etiam si non intelligamus.* Blasius Verdu relectione contra scientiam Mediam appendice fol. 75. *Credidit Maria posse Deum eam impregnare inuiolata virginitate; credas ergo & tu si non intelligis, posse Deum sua efficacia tuam libertatem impregnare predeterminati.* Ledesma tract. de Auxiliis art. 10. §. *Aduertendum*, &c. ait, esse mysterium, *quod maximè ad fidem pertinet.* Nazarius 1. part quæst. 22. art. 4. controu. 2. *Non posse humano intellectu comprehendi.* Vnde in responsione ad argumentum contra 7. & 10. conclus. monet hæc, *non esse pressius emungenda.* Aluarez de Auxiliis disp. 118. num. 5. *Rationem huius concordia* (scilicet præscientiæ & decreti prædeterminantis cum libertate creata) *credendum esse, & captiuandum intellectum in obsequium*

quinum fidei. Similiter loquitur lib.7. responsionum cap.7.num.14. Caietanus 1.part. quæst. 22. art.4.§. *ad hanc dubitationem. Et sic intellectum animæ nostræ, oculum noctuæ esse considerans, in ignorantia sola quietem illius inuenio. Melius est enim tam fidei Catholicæ, quam Philosophiæ fateri cæcitatem nostram.* Et post pauca. *Et verè, si sic prædicaretur, nullus fortè circa prædestinationem erraret Christianus, sicut non errat in materia Trinitatis: quia dicitur, & scribitur, & ita est, quod occulta est humano intellectui, & sola fides sufficit.*

204 Hæc & alia testimonia multis retro annis contra antiquatum illud argumentum à nostris Doctoribus obiecta, legere Viues debuisset, & ostendere nobis in quo P.Soarius, aut Molina, cui id antiquitus obiiciebatur, ambulauerint in magnis & mirabilibus super se; in quo prius non ambulauerint Dominicani? Et quid mysterij; vt illud improbet Viues in Soario, quod mille laudibus effert Aluarez in Caietano? scribens lib.illo 19. de Auxiliis disp.118.num.5. *Hæc* (scilicet num. præcedenti à nobis scripta) *ex Caietano transcripsi, quoniam piissime loquitur, & verba eius modestiam & humilitatem redolent Christianam.* Mirum sane, eadem verba esse in P.Soario exprobratione digna, quæ in ore Thomistarum pietatem redolent Christianam!

SECTIO IV.

An futurum conditionatum tale sit ante decretum Dei conditionatum.

205 QVi nostris Doctoribus falsò imposuerunt, vt vidimus disp. 1. sect.5. docuisse eos & admisisse futurum absolutum ante decretum Dei absolutum: ex consequentia doctrinæ natum esset secundò superimponere, docuisse pariter & admisisse futurum conditionatum ante decretum Dei conditionatum. Ne tamen ex incuria voluendi nostros libros aliquis alius Theologus Salmanticensis discalceatus in huiusce generis incidat imposturam, opportunum erit aduertere, quid in hac parte tradiderint Doctores Societatis.

Dupliciter dici potest decretum aliquod conditionatum. Primò, quia attingit obiectum dependenter à conditione; quale est in sententia Thomistarum decretum, quo Deus vult pœnitentiam Tyriorum si apud ipsos fierent virtutes Bethsaiditarum:& in cómuni nostrum cum P.Soario, decretum concurrendi ad amorem si voluntas creata illum determinet, & ad odium si determinet illud, discrimine assignando suo loco. Huiusmodi decretú dicitur conditionatum ex parte obiecti, quia inuoluit conditionem in obiecto. Decretum conditionatum ex parte obiecti, posset esse duplex, vnum prædeterminans posita conditione indifferenti; aliud indifferens ad vtramque partem, scilicet coniungibile tam cum consensu, quam dissensu. Secundò dici potest aliquod decretum conditionatum, quia existit per modum conditionis, siue inuoluat conditionem in obiecto siue non: qua ratione in sententia Thomistarum & nostra se habet existentia virtutum Bethsaiditarum apud Tyrios, quæ existentia in propositione conditionali signatur particula *si*. Hæc tamen existentia per modum conditionis præscindit ab existentia physica & entitatiua, & non existentia, vt de futuro conditionato initio disputationis dicebamus; quia neque 206

neque de illa dicitur esse, neque non esse, sed si esset. Decretum ergo existens per modum conditionis præscindentis ab existentia physica & non existentia dicitur decretum conditionatum ex parte actus. Et huiusmodi existentia per modum conditionis communis est omni decreto tam efficaci quam inefficaci, tam absoluto ex parte obiecti, quam conditionato; tam prædeterminanti, quam indifferenti; quia nullum est, quod assumi non possit per modum conditionis: sicut nulla est vocatio siue efficax siue prædeterminans siue indifferens, quæ non possit assumi per modum conditionis.

207 Asserimus primò nullum futurum conditionatum tale esse ante decretum Dei conditionatum ex parte actus, sed post ipsum. Hæc est sententia omnium Doctorum Societatis, quos dabimus pro Scientia Media. Ratio clara & perspicua est, quia omne futurum pendet à suis causis, & consequenter à decreto diuinæ voluntatis, sine quo nihil potest esse futurū, aut existens. Proportione tamen accommoda, quia futurū absolutū pendet à decreto absoluto ex parte actus; conditionatum vero à cōditionato. Et hinc cōsequenter asserimus nos, futurum conditionatum non esse ante decretum conditionatum ex parte actus, sed post ipsum, quia est illius effectus.

208 Videas nunc precor, quam sine fundamento ex futuro conditionato arrepta sit à Thomistis occasio, vt ait Viues disp. 1. num. 27. ad falsò imponendum nostris Doctoribus futurum absolutum ante decretum absolutum ex parte actus. Quis enim vel nouitius in Theologia ita discurreret. Patres Societatis docent futurum conditionatum ante decretum absolutum: ergo etiam docent futurum absolutum ante decretum absolutum. Sanè illud antecedens occasio nulla est tam malæ consequentiæ, sed huic optimæ. Patres Societetis etiam si admittant futurum conditionatum ante decretum absolutum ex parte actus, non tamen ante decretum conditionatum: ergo neque admittent futurum absolutum ante decretum absolutum ex parte actus: ergo in futuro conditionato nulla cum fundamento in re stetit occasio ad imposturam illam.

Asserimus secundò, Futurum conditionatum tale esse ante omne decretum absolutum ex parte actus, id est actu & formaliter existente in Deo Ita omnes Doctores Societatis. In hac conclusione probanda occupatur integer tractus noster. Ratio breuis est, quia etiam si Deus nihil absolute & actu decreuisset, veritas futuri conditionati certa & infallibilis constitisset, vt tota hac disputatione probatum est, & iterum probabitur inferius: Nam futurum tantum pendet à causis in eo statu, in quo ipsum est: ergo futurum conditionatum tantum pendebit à causis conditionate existentibus vel futuris: ergo similiter pendebit à decreto non absolute, sed conditionate existente. 209

Si autem inquiras, quale sit decretum conditionatum ex parte actus, à quo pendet futurum conditionatum contingens, in esse talis. 210

Asserimus tertiò, non esse decretum prædeterminans, sed indifferens & de se coniungibile tam cum consensu, quam cum dissensu. Ratio est omnibus Doctoribus Societatis, quia decretum prædeterminans de medio tollit creatam libertatem & auxilium sufficiens, Deumque authorem peccati constituit. Quod nunc leui manu attigisse satis est, quando non probandam aggredimur, sed declarandam suscipimus 211

pimus doctrinam Societatis.

212 Asserimus quartò quodlibet futurum conditionatum contingens supponere inter alia duo decreta conditionata ex parte actus, eaque indifferentia respectu liberæ operationis. Vnum præparans concursum ad vtramque partem libertatis, siue applicans in actu primo omnipotentiam, quod idem est, vt arbitrium creatum sit proxime potens ad eligendum tam consensum, quam dissensum. Quod decretum ab aliquibus cum P. Suario vocatur conditionatum ex parte obiecti; ab aliis dicitur inefficax, ab aliis dici potest sufficiens, sed discrimen esse nominis & non rei ostendi tractatu de diuinis auxiliis, & suo loco reostendam. Alterum decernens positionē conditionis; quod licet respectu conditionis sit absolutum ex parte obiecti & intrinsece efficax, respectu vero liberæ operationis est indifferens, non minus quam ipsa conditio, & de se coniungibilis tam cum consensu, quam dissensu.

213 Hæc duo decreta sicut à nostris Doctoribus exiguntur absolute existentia, modo à nobis explicato disp. 1. sect. 5. ad omne futurum absolutum contingens & liberum; ita exiguntur conditionate existentia ad omne futurum conditionatum cōtingens & liberum. Sic enim vtrumque futurum habet causas sibi in statu suo congruas & proportionatas. Quæ duo decreta, siue simplicia sint, siue ex multis complexa, ex parte Dei constituunt conditionem illam, *si posuero v. g. Petrum in tali auxilio & circumstantiis.* Nam ibi imbibuntur omnes causæ & requisita tam ex parte Dei quam creaturæ ad operandum, & consequenter ea decreta diuina.

214 Conditio vero creata dicit internum gratiæ auxilium, cognitionem indifferentem & remotionem omnium impedimentorum ad vtrumlibet libere eligendum. Itaque hæc conditionalis: si fierent virtutes Bethsaiditarum apud Tyrios, pœnitentiam egissent; & idem est de alia quacunque, dicit pro conditione & aliquid creatum, & aliquid increatum: creatum, est Christi externa prædicatio miraculis confirmata vnà cum interno auxilio gratiæ: Increatum, est decretum ponendi ea omnia, & aliud decretum præparans omnipotentiam ad vtrumque. Pro effectu vero dicit pœnitentiam Tyriorum, quam vocamus futurum conditionatum; quia si ea conditio ponenda foret, extitura quoque esset pœnitentia Tyriorum.

Hoc tamen differunt inter se prærequisita diuina constituentia conditionem à prærequisitis creatis eandem conditionem componentibus. Quod prærequisita diuina, scilicet decreta, cum non possint esse futura saltem realiter, imò nec virtualiter vt ostendi tractatu de Scientia Dei, non possunt vt talia denotari per particulam *si*. Prærequisita vero creata cum possint esse futura, possunt quoque vt talia significari in propositione conditionata. Vnde hæc conditionalis; si virtutes Bethsaiditarum extituræ essent apud Tyrios; denotat virtutes creatas vt futuras apud Tyrios per modum conditionis; decreta vero diuina vt existentia. 215

Quid autem sit, rem esse futuram, vel existentem per modum conditionis? Quod alij vocant existere conditionate vt quo. Res est omnibus explicanda; nec Thomistæ id fugere possunt; nam in suo decreto conditionato ex parte obiecti, quo Deus vult Tyriorum pœnitentiam si apud illos fierent virtutes Bethsaiditarum, ponuntur pro conditione virtutes illæ, vel vt 216

H futuræ

futuræ vel vt existentes: explicandum ergo illis est, quid sit rem esse existentem vel futuram per modum conditionis. Insuper in promissionibus & contractibus conditionatis id ab omnibus explicandum est; in illis enim aliquid est existens per modum conditionis, vel futurum; v. g. dabo centum si nauis appulerit. Dabo pallium si tantum mihi solueris pretium. Ingrediar religionem si à suborta eripiar tempestate. In quibus aduentus nauis, solutio pretij, & à tempestate liberatio existentes sunt per modum conditionis, etiamsi nunquam portum nauis teneat, nec soluatur pretium, aut eripiaris à tempestate.

217 Respondeo ergo rem esse futuram vel existentem per modum conditionis, vel conditionate vt quo, tantum dicere, esse id, quod si existeret, vel extiturum foret, etiam aliud existeret, vel extiturum esset; nec res amplius declarari potest.

SECTIO VI.

De futuro disparato, & an conditionatum proprie sit, & propositiones de illo vera vel falsæ.

218 Futurum conditionatum disparatū dicitur illud, quod nullam dicit connexionem vel dependentiam à cōditione, nec conditio dicit proportionem aliquam aut conducentiam respectu effectus, v. g. si Turca legeret cantaret Hispanus. Si Indus araret, Gallus rideret, & alia huius generis. Difficultas ergo est prima, An huiusmodi futura sint proprie conditionata.

219 Aduerte hæc futura dupliciter considerari posse. Primò secundum se attenta solum intrinseca natura futuri & conditionis. Secundo cum extrinseca aliqua ordinatione conditionis ad effectum: sicut sonus istius vocis *Leo*, considerari potest secundum se attenta solum intrinseca natura soni; & cum extrinseca ordinatione hominum ad significandum eo sono animal rugiens, & idem est de quolibet signo ad placitum, quod seorsim ab ordinatione & voluntate instituentis signum, non significat obiectum, bene vero cum ea ordinatione & voluntate.

Assero primò. Futurum conditionatum disparatum secundum se, non esse proprie conditionatum. Ita communiter Doctores. Ratio est facilis, quia futurum proprie conditionatum & dicit connexionem & dependentiā effectus à conditione, & conditionem proportionatam & effectui conducentem: neutrum habet futurum conditionatum disparatum: ergo. Minor est certa, quæ enim est connexio aut dependenta cantus Hispani à lectione Turcæ, aut risus Galli ab agricultura Indi, aut quæ proportio inter eas conditiones & effectus? Minor probatur quia energia particulæ *si* in propositione conditionali penitus eluderetur, si neque bonitas consequentiæ vt vidimus sect. 1. neque dependentia effectus à conditione, & proportio istius cum illo exprimeretur: ergo cum futurum proprie conditionatum non dicat bonitatem consequentiæ, dicere debet dependentiam illam & proportionem inter conditionem & effectum, idcirco quod eas non habet dicitur disparatum, siue improprium. 220

Assero secundò. Futurum conditionatum cum extrinseca ordinatione conditionis ad effectum esse propriè & strictè conditionatum. Probatur quia 221

licet

licet huiusmodi futurum attenta sola intrinseca natura illius, & conditionis nullam dicat dependentiam effectus à conditione, nec proportionem istius cum illa; eam tamẽ dicit posita extrinseca ordinatione: ergo cũ illa erit proprie conditionatum. Antecedens probatur, quid enim prohibet Hispanum apud se statuere, ego cantabo si Turca legat; hoc stante proposito, lectio Turcæ conducens est Hispani cantui, & iste dependens à lectione Turcæ: ergo hoc futurum, si Turca legeret cantaret Hispanus, posita ea ordinatione & proposito, erit proprie & stricte conditionatum, cum nihil ad id desideretur.

222 Ad hanc classem reuocanda sunt aliqua futura conditionata in Scripturis contenta. Quale est illud Eliæ ad Elisæum. *Si videris me quando tollar à te erit tibi quod petisti: si autem non videris non erit.* Et illud Elisæi ad regẽ Ioas. *Si percussisses quinquies, aut sexies, siue septies, percussisses Syriam vsque ad consumptionem.* Quia conditiones illæ, quæ ex se disparatæ erant, ex diuina voluntate & ordinatione antecedente vel consequente proportionatæ factæ sunt effectui, & iste factus est dependens à conditione.

223 Difficultas secunda, eaque maxima est. An propositiones de futuro disparato secundum se, & attenta intrinseca natura conditionis & effectus tantum, nullo habito respectu aut dependentia ab extrinseca aliqua ordinatione sint veræ, vel falsæ. Dixi nullo habito respectu, &c. quia de propositionibus dependenter ab ea ordinatione prolatis idem arbitror dicendum ac de proprie conditionatis.

224 Prior sententia tuetur propositiones de futuro disparato conditionales omnes esse falsas, & nullam veram, si particula *si* proprie & rigorose vsurpetur. Ita P. Vasquez 1. p. disp. 67. c. 4. n. 23. P. Lessius de auxiliis c. 19. n. 3. P. Turrianus in opusculis disp. 2. de scientia futurorum conditionatorum dub. 7 P. Moncæus in disputationibus Theologicis disp. 5 c. 16. in 3. difficultate. P. Raynaudus in Theologia naturali dist. 8. art. 2. num. 25. P. Atrubal 1. par. disp. 45. c. 4. Posterior sententia aliquã agnoscit veritatem in propositionibus de futuro disparato. Ita P. Soarius in opusculis lib. 2. de scientia futurorum cõditionatorum c. 6. n. 4. P. Fonseca tom. 3 Metaphys. lib. 6. c. 2. quæst. 4. sect. 10. § *Non desunt*. P. Granados 1. part. tom. 1. tract. 5. disp. 3. P. Herize tract. 1. disp. 7. c. 10. P. Ribas 1. part. disp. 6. de Sciẽtia Dei c. 7. & alij multi. Has tamẽ sententias non omnino discrepantes inuenio, quod enim vna negat in vno sensu, altera non eo in diuerso sensu cõcedit, quod in sequentibus conciliabimus.

Assero primò, propositiones conditionales de futuro disparato, rigorose sumpta particula *si*, omnes esse falsas, quin aliqua earum vera sit. In hoc cõueniunt vtriusq; sententiæ authores. Et ratio est facilis. Quia propositio conditionalis, rigorose sumpta particula *si*, asserit effectũ extiturum non vtcunq; sed cum dependentia effectus à conditione, & proportione conditionis cum effectu: id autẽ falsũ sẽper est, quia neq; effectus pẽdet à cõditione disparata neq; cõditio proportionẽ habet vt ex illa ponatur effectus: ergo falsa sẽper est. 225

Assero secundò propositiones cõditionales de futuro disparato latè & impropie sũpta particula *si*, scilicet pro eodẽ sũpta ac particula *quando*, esse veras aliquando, & aliquando falsas. Ita secunda sententia, in quo prima nõ dissentit. Probatur. Quia huiusmodi propositiones æquiualent categoricis, licet hypotheticarum speciem habeant: istæ autem possunt esse veræ, si obiectũ ita sit, & falsa si nõ ita: ergo. Maior probatur. Quia hæc propositio: Quando Turca sedet Hispanus cantat, quæ est 226

conditionalis impropria, est re vera categorica, & vera, si sedente Turca Hispanus cãtet, falsa vero si nõ cãtet: ergo.

Obiicies primò. Particula *si* in nulla propositione potest non significare dependentiã effectus à conditione, & proportionem istius cum effectu: ergo in nulla potest late sumi: ergo nulla potest esse vera. Antecedens probatur. Ideo particula *Et* in nulla propositione copulatiua potest non significare concomitantiam extremorũ; & particula *Vel* disiunctionem, quia particulæ illæ ex imposita illis significatione id denotãt: particula autẽ *si* ex imposita sibi significatione denotat dependentiam effectus à conditione, & proportionem istius cum effectu: ergo in nulla propositione potest non significare illas.

227 Respondeo negans antecedens. Ad probationẽ nego maiorẽ, nõ enim ideo præcise particula *Et* non potest nõ significare concomitantiã extremorũ, & particula *Vel* disiunctionẽ, quia ea illis imposita est significatio, sed quia ex cõmuni vsu extensa non est ad aliud significandũ: at particula *si* ex communi vsu extensa est ad significandum idem ac particula quando, qui vsus inualuit ratione futuri conditionati disparati.

228 Obiicies secundò. Si propositiones de futuro conditionato, stricte sũpta particula *si*, omnes essent falsæ, sequeretur dari duas propositiones cõtradictorias simul falsas: id implicat: ergo. Sequela probatur. Quia istæ propositiones sunt contradictoriæ: si Turca sederet cantaret Hispanus: si Turca sederet non cantaret Hispanus: ambæ vero essent falsæ: ergo. Maior est certa, quia sunt affirmatio & negatio eiusdem de eodẽ. Minor ostenditur, quia imprimis affirmatiua esset falsa, vt nos concedimus; deinde etiã negatiua: ergo vtraque esset falsa. Antecedens quoad secundã partẽ probatur: Tũ quia eadẽ est ratio de affirmatiua & negatiua. Tũ etiã quia ideo affirmatiua est falsa quia nulla est depẽdentia cantus Hispani à sessione Turcę, nec proportio vlla inter conditionẽ & effectũ: sed neq; est vlla dependentia non cantus Hispani cũ sessione Turcæ, nec proportio vlla inter conditionem & effectum: ergo hæc propositio falsa est. Si Turca sederet non cantaret Hispanus.

Respondeo negans sequelam. Ad probationem nego maiorem. Nãm cũ propositiones stricte conditionales nõ vtcunque affirmẽt rem existere vel exituram esse; sed existere vel exituram esse dependenter à conditione effectui proportionata, reddunt hunc sensũ: si Turca sederet cantaret Hispanus dependenter à sessione Turcæ cantui Hispani proportionata: cui propositioni nõ opponitur hæc alia: si Turca sederet non cãtaret Hispanus: quatenus denotat exiturã negationẽ cãtus ex sessione Turcæ: sed hæc alia: si Turca sederet nõ cãtaret Hispanus dependenter à sessione Turcæ, quæ vera est, quia non denotat exituram negationem cantus, sed non exiturã dependentiã inter cantũ Hispani & sessionem Turcæ, quod verum est. 229

Similiter huic propositioni stricte cõditionali negatiuæ: si Turca sederet nõ cantaret Hispanus: non opponitur ista affirmatiua: si Turca sederet cantaret Hispanus, quæ falsa etiã est; sed hæc alia: si Turca sederet non esset negatio cãtus dependenter à sessione Turcæ, quia opposita negatiua æquiualenter affirmat; sedente Turca exituram negationem cantus dependenter à sessione Turcæ. Vtraque ergo propositio conditionalis dicenda est, vel supponere falsum, scilicet dependentiam effectus à conditione; vel contradictoriam vtriusque esse istam: si Turca sederet neque cantaret Hispanus, neque non cantaret, scilicet dependenter à sessione Turcæ. 230

PRIMO

PRIMOGENITA CONTROVERSIA INTER PATRES Dominicanos & Iesuitas.

CIRCA CONTINGENTIVM conditionatorum præscientiam.



DVæ exordio nascentis Societatis circa contingentium conditionatorum præscientiam inter Patres Dominicanos & Iesuitas motæ sunt controuersiæ. Prior & Primogenita fuit. An Deus certo & infallibiliter sciret futura conditionata contingentia. Posterior & Secundo genita. An Deus certo & infallibiliter sciret futura conditionata in se ipsis. An in decreto. In priori seu primogenita controuersia Doctores Societatis pro parte affirmante, Deum certo & infallibiliter scire futura conditionata contingentia conseruisse manus cum negantibus Thomistis, res est, quæ nulla valet tergiuersatione celari. Ita P. Molina 1. part. quæst. 14. art. 13. disp. 14. & 17. P. Soarius prima parte de gratia prolegomeno 2. Et secunda parte Prolegomeno altero. Et in opusculis lib. 2. de scientia conditionatorum contingentium à cap. 1. P. Vasquez 1. part. disp. 67. P. Valentia 1. part. quæst. 14. puncto 5. P. Ruiz de scientia Dei disp. 70. & innumeri alij ex citandis pro scientia Media. E contra Doctores Thomistas pro parte negante, Deum certo & infallibiliter cognoscere contingentia conditionata, contra Iesuitas affirmantes disputasse, ex dicendis tota sequenti disp. constabit euidenter.

DISPVTATIO IV.

An Deus certo, & infallibiliter sciat futura contingentia.

232 IN hac disputatione non inquiro. An Deus certo sciat futura conditionata in se ipsis, vel in decreto: Sed an certo sciat quocumque modo id fit. Sicut de futuris absolutis disputatur, an à Deo certo & infallibiliter cognoscantur, quocumque modo id contingat.

SECTIO I.

Sententia negans Thomistarum ponitur.

233 NEgarunt Deum certo, & infallibiliter scire futura conditionata Petrus de Ledesma Dominicanus in Salmaticensi Academia Vespertini cathedræ moderator. Vt autem omnis ambigendi locus præcludatur audiamus illum disp. 2. affini de scientia futurorum contingentium difficultate 2. fol. 574. editionis Salmanticensis anni 1611. quam apud me habeo columna 1. fine, vbi ita loquitur. *In hac difficultate sunt duæ opposita sententiæ inter Doctores. Prima sententia est affirmatiua, videlicet, quod in Deo vere est scientia certa, & infallibilis futurorum conditionatorum. Hanc sententiam tenent quidam moderni Theologi, qui non sunt de schola diui Thomæ, vt Molina 1. parte quæstione 14. art. 13. disp. 14. & 17. Gregorius de Valentia in eadem prima parte quæst. 14. punct. 5. quæst. 2. in explicatione secundæ conclusionis. Vasquez in 1. parte disp. 67. Suarez tom. 1. in 3. partem disp. 5. sect. 1. & nouissime in libro de scientia quam Deus habet de futuris contingentibus sub conditione propositis per totum librum, &c.*

Pergit Ledesma citatus fol. 579. col. 2. initio ita scribens. *Secunda sententia est omnino huic opposita, qua quidem docet, quod in Deo non reperitur talis scientia conditionata istorum futurorum conditionatorum. Docet enim ista sententia, quod potest Deus per coniecturas aliquo modo cognoscere quid causa libera faceret si in tali occasione cum illis vel istis conditionibus constitueretur, non tamen posse infallibili sciensia id cognoscere.* Pro qua sententia, (quā ipse sequitur fol. 590. conclusione 5. vocans illam certissimam, *taliter*, inquit, *vt opposita non sit mihi probabilis*) citat Cajetanum, Ferrariensem, Catherinum, Iansenium, & statim subiungit: *Hanc sententiam sequuntur omnes discipuli D. Thomæ, qui hac tempestate interpretantur illū, & omnes, qui sequuntur eius doctrinam in materia de auxiliis diuinæ gratiæ. Hæc Ledesma.* 234

Omnes ergo antiquiores Dominicani: Primo sententiam negantem Deum certo, & infallibiliter scire futura conditionata; tenuerunt tanquam veram, & à S. Thoma legitime deriuatam. Secundò solam cognitionem infra certam & infallibilem de illis futuris Deo concedebant. Testis est Ledesma Dominicanus. 235

Deinde ratione facile nobis esset cōuincere stetisse Ledesmam pro sententia negante Deo certam, & infallibilem conditionatorum scientiam. Nam id vno ex quinque modis contingere poterat. Primus est, Deum illud futurum certo scire in causis proximis indifferentibus: & istum modum respuit Ledesma citatus fol 574. col. 2. §. Primus modus. Secundus est Deum 236

cognoscere illa futura in decreto prædeterminante conditionato ex parte obiecti,& absoluto ex parte actus, & hunc modum impugnat Ledesma cum Suarez, & Vazquez, quos citat fol. 582. col. 1. vocans illam prædeterminationem impossibilem. Nec momenti est effugium, quod tentat Viues disp. 19. num. 9. scilicet Ledesmam aliosque Thomistas non negasse decreta conditionata ex parte obiecti, sed ex parte actus. Hanc tamen responsionem dabit, qui Ledesmam non viderit; qui enim legerit cum mediocri Theologia, & congrua grammatica, eius falsitatem simplici intuitu clare deprehendet. Videas Ledesmæ testimonium à nobis adductum disp. 5. sect. 2. ibique repetitam sæpius inuenies cōditionem ex parte obiecti.

Confirmo quia contra illud decre-
237 tũ agit Ledesma, quod expugnat Suarez lib. de scientia conditionata cap. 7. n. 9. & Vasquez 1. parte disp. 67. cap. 4. n. 21. Quos citat Ledesma fol. 582. tanquam sibi consentientes in eo decreto reiiciendo : decretum autem, quod Suarez & Vazquez citati expugnant, est decretum absolutum ex parte actus,& conditionatum ex parte obiecti; vt nulli dubium esse potest: ergo illud decretum negat Ledesma.

Tertius modus est Deum cognosce-
238 re illud futurum in decreto prædeterminante absoluto ex parte obiecti, & conditionato ex parte actus, & hunc modum moleste ferunt Thomistæ, quippe admittentes scientiam conditionatorum ante decretum actu exsistens & illum respui à Ledesma testatur Viues disp. 19. num. 9.

Quartus modus est, Deũ cognoscere futura in se ipsis ex propria eorum veritate,& hunc modum reiicit Ledesma in sequentibus, aliter pro nobis stat.

Quintus est Deum cognoscere ea futura in eorumdem præsentia in æternitate,& hic modus locum non ha- 239
bet in sententia Thomistarum; Tum quia vt bene norunt Recentiores, & semel & iterum inculcat Viues, idem est modus cognoscendi omnia futura conditionata, tam illa, quæ erunt, quam illa, quæ numquam erunt: Præsentia autem in æternitate medium non est cognoscendi futura, quæ nunquam erunt : ergo neque futura, quæ erunt. Tum etiam quia futura, quæ nunquam erunt, non cognoscerentur à Deo cum non exsistant in æternitate, quo non saluarentur Thomistæ à sententia negante Deum certo scire futura cōditionata quæ numquam erunt, quorum magna pars in Scripturis infra citandis cōtinetur. Fatentibus autem Thomistis alius modus non est certo cognoscendi futura conditionata: ergo manifestum est Ledesmam,& antiquiores Thomistas ipso teste negasse Deo certam,& infallibilē cognitionem conditionatorum.

Secundo eandem sententiam tenet Nauarrete Dominicanus 1. part. quæst.
14. art. 14. Cōtrouersia 56. §. 2. cui titu- 240
lus est. *An scientia conditionata sit formaliter in Deo.* Vbi hæc habet: *sexta cōclusio. Ista sciētia media seu cōditionata non ponitur formaliter in Deo, sed solum eminenter. Pro intelligentia huius cōclusionis nota, quod multa prædixit Deus sub cōditione si aliquid poneretur, quæ tamen re vera non erant euentura, vt patet ex illo Luc. 10. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone facta fuissent virtutes, quæ facta sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere sedentes pœniterent, in qua prædictione futuri sub conditione insinuatur, quædam cognitio coniecturalis præcipue addita particula, quæ ponitur Matth. 11. scilicet Forte, & sic certissimum est, quod cognitio illa non fuit formaliter in Deo, quia intrinsecè*

intrinsece claudit debitationem. Et paulò post. *Consulit Dauid Dominum (* 1. Reg. cap. 23.*) dicens: si tradent me viri Ceila, & viros qui mecum sunt in manu Saül. Et respondit Dominus, tradent. Ex quo loco colligitur, quod cum traditio illa vel aduentus Saülis non futura esset, solum pranuntiabatur tanquam futura conditionata, & hoc absque dubitatione: In his ergo futuris non ponimus ex parte Dei aliquem actum formalem positiuum, vel aliquam cognitionem, seu scientiam mediam formaliter, sed solum quandam eminentiam in qua certo continentur futura illa sub conditione.* Hæc Nauatrete.

242 Cæterum ne quis existimet solam negasse scientiam Mediam Societatis ante actuale decretum, ipsum Nauarrete audiat eadem controu. 56. §. 3. prope finem, ita loquentem: *Solum ponimus scientiam necessariam qua cognoscuntur creatura à Deo, quia ad illam inuenimus fundamentum in essentia diuina repræsentante necessario omnes creaturas quoad suas entitates: & scientiam liberam, qua cognoscuntur creatura producenda: quia inuenimus indifferentiam in essentia diuina, respectu creaturarum producendarum, & ex alia parte determinationem* (scilicet decretum prædeterminans) *ad producendas creaturas, qua de facto sunt producenda, in qua determinatione fundatur infallibilitas talis scientia. Cum ergo non inueniamus aliam prorsus determinationem* (en exclusum decretum conditionatum ex parte obiecti) *non est constituenda alia scientia.* Et post pauca subiungit. *In Deo ab aterno pracessit omnis determinatio circa omne illud quod facturus erat, & ex factis iam colligimus determinationem illam aternam; at vero nihil prorsus cernimus, ex quo colligere possimus determinationem conditionatam, quare ergo debemus eam ponere formaliter in Deo?* Hæc ille.

Ex quibus duo obscura. Primum 243 nomen scientiæ mediæ non esse adeò peregrinum, vt à Dominicanis scriptum non sit, & approbatum. Secundum Nauarrete non admisisse decretũ actu & formaliter existens in Deo, in quo futurum conditionatum cognoscatur. Cuius rei testis etiam est Gonzalez de Albelda Dominicanus disp. 44. sect. 2. num. 12. ita scribens. *Tertia sententia est, quam tenet Nauarrete controu. 56. vbi tria dicit. Primum est scientiam istorum futurorum conditionatorum non esse formaliter in Deo sed solum eminenter, seu virtualiter. Secundum est: hanc scientiam diuersis rationibus esse coniecturalem, & certam, sic asserit conclusione 6. vbi etiam hanc scientiam appellat mediam. Tertium est diuinum decretum circa hac futura, non esse formaliter in Deo, sed solum virtualiter.* Hucusque Albelda. Vnde videas quam sine fundamento citetur Nauarrete à Viues disp. 19. num. 11. pro scientia formali conditionatorum in decreto, actu & formaliter existente in Deo, cum neque scientia, neque decretum admittatur à Nauarrete, actu, & formaliter in Deo existentia. Certe Scriptoris non est Authorum multitudinem congerere, sed eos fideliter citare.

Tertiò. Eandem sententiam tenet 244 Cabezudo Dominicanus 3. post quæst. 62. vbi absque vlla limitatione negat Deo certam & infallibilem conditionatorum præscientiam. Et in solutione ad 12. exponendo verba illa Christi. *Si in Tyro & Sidone,* ait, eo testimonio tantum exprimi sciẽtiam aut notitiam dispositionis causarum: scilicet Tyrios & Sidonios esse melius dispositos ad consensum, quam Corozainos, & Bethsaiditas.

Quartò.

245 Quartò. Eandem sententiam tenet Ripa Dominicanus 1. part. quæst. 14. art. 13. Vbi nulla distinctione aut limitatione adhibita, negat Deo scientiam conditionatorum cōtingentium. Conditionalium autem decretorum non meminit, sicut nec Cabezudo. Vnde mihi certum est, vel negasse Deo certam & infallibilem conditionatorum præscientiam, vel saltem in sententia recentiorum Thomistarum non vixisse. Incredibile enim videtur admisisse scientiam conditionatorum in decreto, & decretum nunquam aut explicare, aut meminisse. An autem in eadem sententia fuerit Blasius Verdu etiam Dominicanus, videas num....

246 Denique eam sententiam fuisse Thomistarum testis est Gonzalez de Albelda Dominicanus 1. part. disputat. 44. sect. 1. numer. 8. ita scribens. *Prima sententia est aliquorum iuniorum Thomistarum, qui dicunt, quod huiusmodi futura* (scilicet conditionata) *solum cognoscuntur à Deo coniecturaliter, vel certitudine quadam morali; non autem certitudine Logica, aut Metaphysica excludente omne dubium ex parte rei cognitæ. Existimant enim quod solum cognoscuntur à Deo ex vi connexionis cum conditionibus præsuppositis; ac subinde cum connexio huiusmodi non sit formalis seu necessaria necessitate illationis, non cognoscuntur certò, & infallibiliter, sed solum coniecturaliter, vel quadam certitudine morali, maiori, aut minori, iuxta maiorem, aut minorem connexionem cum conditionibus præsuppositis.* Hæc Albelda. Ex quibus collige, quam sine fundamento affectat Viues disp. 19. num. 9. Inconcussam manere, sententiam affirmantem, Deum certò scire futura conditionata in decreto fuisse omnium Thomistarum. Non mirarer huius authoris assertum, si scripta Thomistarum non extarent. Stantibus autem illis, iudicet quiuis etiam Thomista, an huiusce assertum concussum & expugnatum sit. Si iudices constituantur Ledesma & Albelda, ambo Dominicani, sententia pro nobis lata iam est.

SECTIO II.

Sententia affirmans Societatis exponitur.

Secunda sententia affirmat Deum certò & infallibiliter scire futura conditionata, quam absque vlla mutationis vicissitudine Doctores omnes Societatis concordes, & vnanimes, quin vel vllus discrepet propugnarunt, & in hoc puncto contra Thomistas disceptasse solum ignorare potest qui eorum scripta non viderit. In hoc nata est Societas, hoc lacte eius filij nutriri, & quotquot in sapientia adulti punctum scientiæ mediæ agitarunt præmissa sententia Thomistarum negante Deum certo, & infallibiliter scire futura conditionata, in illam acerrimè inuehuntur, tanto Scripturarum, sanctorum Patrum, & rationum pondere, vt maturo consilio Dominicani recentiores eam sententiam vnanimes deseruerint, quo factum est, vt sententia, quæ vsque ad tempora Ledesmæ fuit sancti Thomæ, eiusque discipulorum, post natam societatem neque fuerit S. Thomæ, neque discipulorum. Certè S. Thomas idem nunc est, qui antea fuit: necesse ergo est, aut priores, aut posteriores Thomistas à mente charissimi sui, & nostri Thomæ penitus recessisse. 247

Stant pro hac sententia Doctores omnes Societatis, pro Scientia Media citandi 248

citandi disp. 5. sect. 4. eandem sequuntur Recentiores Dominicani concedentes scientiam infallibilem conditionatorum post decretum, quos citat, & sequitur Viues disp. 19. num. 11. sequuntur etiam clarissima omnium Religionum agmina, & totius orbis Catholicæ Academiæ earumque Doctores, & Magistri, quin vnus dissentiat hac nostra tempestate. Vide ergo in hac primogenita controuersia, quis quem vicerit. Ne tamen opinio illa senio iam confecta, & diu sepulta futuris sæculis reuiuiscat illius probationes dabimus in sequentibus.

SECTIO III.

Statuitur Scripturâ Deum certò, & infallibiliter scire futura conditionata contingentia.

249 Prima probatio sumitur ex 1. Reg. 23. num. 10. 11. & 12. vbi ait David: *Domine Deus* Israël audiuit famam seruus tuus quod disponat Saül venire in Ceilam vt euertat vrbem propter me, si tradent me viri Ceilæ in manus eius? & si descendet Saül sicut audiuit seruus tuus? Domine Deus Israël indica seruo tuo. Et ait Dominus, descendet, dixitque David, si tradent me viri Ceilæ, & viros qui sunt mecum in manus Saül? Et dixit *Dominus tradent.* Futura autem illa non esse absoluta, sed tantum conditionata certum est, quia nec David mansit Ceilæ, nec traditus fuit Saüli. Deum autem cognoscere eos euentus conditionatos, inde constat, quia in loquente præcedit cognitio obiecti. Eam vero cognitionem esse certam, & infallibilem probatur. Quia reuelatio diuina est certa, & infallibilis: ergo & cognitio. Probatur consequentia. Quia non potest Deus certo reuelare, quod certo non scit: certo autem, & infallibiliter reuelauit eos euentus conditionatos: ergo certo, & infallibiliter nouit. Quæ ratio pro omnibus futuris conditionatis in Scriptura contentis applicari potest.

Confirmatur, nam audita diuina prædictione, ait Scriptura num. 13. 250 Surrexit ergo David, & viri eius quasi sexcenti, & egressi de Ceila huc, atque illuc vagabantur incerti. Huius autem fugæ causa ea fuit, quia scilicet David pro certò habebat Deum certo, & infallibiliter scire euentus illi reuelatos, si mansisset Ceilæ. Probabiliter enim, & coniecturaliter satis noti erant Dauidi antequam Deus reuelaret: ergo si apud Deum non agnouisset cognitionem certam, & infallibilem eorum euentum, nec Deum de illis interrogasset, nec eo respondente adeò diligenter fugam parauisset: signum ergo est Davidem agnouisse in Deo scientiam infallibilem eorum euentuum.

Secunda probatio sumitur ex 3. Reg. 11. numer. 1. *Rex autem* Salomon adamauit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Amonitidas, 251 Idumæas, & Sydonias, & Hethæas, de Gentibus super quibus dixit Dominus filiis Israël (Exodi 34. 16.) non ingrediemini ad eas neque de illis ingredientur ad vestras, certissime enim auertent corda vestra, vt sequamini *Deos earum.* Signanda est autem illa particula *Certissime*, ac si diceret Deus, non coniecturas, aut res mihi incertas loquor vobis; certissimè enim scio, quod si mulieres alienigenæ ingrederentur ad vos, auertenda esse corda vestra, & ad Deos alienos conuertenda.

Inde,

252 Inde, vt optimè noster Ruiz, figenda est regula generalis ad prædictiones diuinas condirionatas certissime semper esse intelligendas, quandiu ex antecedentibus non constet limitatio aliqua. Nam neque Exodi 34. nec Deuteronomij 7. Vb ea conditionalis à Deo dicta est, habetur particula illa certissimè, & tamen Spiritus Sanctus optimus sui interpres, refert se dixisse, certissime auertent corda vestra, ac si idem sit Deum prædicere euentum conditionatum, & certissimè prædicere: ergo quoties Dominus aliquod futurum prædicit, etiam si non exprimat certitudinem, implicite dicit eam, eo ipso quod infallibilis veracitas prædicit.

253 Tertia probatio sumitur ex 4. Reg. 13. numer. 18. vbi ait Elisæus reg Ioas? percute iaculo terram, & cum percussisset tribus vicibus, & stetisset, iratus est vir Dei contra eum, & ait: si percussisses quinquies, aut septies, percussisses Syriam vsque ad consumptionem, nunc autem tribus vicibus percuties eam. Quis neget Elisæum certo nouisse consumendam Syriam, si percussio quinquies, aut septies repetita fuisset, aliter quorsum prò re incerta irasceretur. Vel ergo hanc certam notitiam habuit à Deo reuelante, vel ab ipsa veritate futuri? si secundum. Qua pietate concedetur Elisæo infallibilis notitia futuri conditionati, & negabitur Deo? si primum: ergo nouit Elisæus Deum certò scire, quæ certò reuelabat. Et quamuis conditio illius futuri conditionati inter disparatas numeranda videatur, non ita est, nam conditio, quæ ex se congrua non est effectui potest talis reddi ex promissione, pacto, aut proposito: sic aduentus nauis proportionem habet cum elargitione centum ex promissione, qua quis tibi promisit dare illa centum si nauis venerit.

Quarta probatio sumitur ex Ezechielis 3. Vbi ait Dominus Prophetæ. *Fili hominis vade ad domum Israel*, & loqueris verba mea ad eos, non enim ad populum profundi sermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris ad domum Israel, neque ad populos multos profundi sermonis, & ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones, & si ad illos *mittereris audirent te*. Vbi absque vlla coniectura & incertitudine, prædicit Deus audituras Gentes Ezechielem si ad ipsas instruendas mitteretur. In quæ verba pulchrè Gregorius Homil. 10. in Ezechielem columna 3. *Aduerte*, inquit, *declaratur obedientia* gentium, quæ quandoque prædicatorum voces essent sine *tarditate sequutura*. Aperte, inquit declaratur, ac si diceret, non coniecturis incertis inuoluitur, sed ex certissima scientia declaratur audituras Gentes Ezechielem si ad illas mitteretur. 254

Quinta probatio eaque celebris sumitur ex Matthæi 11. *Va tibi Corozain, Va tibi Bethsaida quia si in Tyro, & Sydone facta essent virtutes, quæ facta sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent*. In quæ verba Augustinus de bono perseuerantiæ cap. 9. ad finem. *Numquid*, ait, *possumus dicere etiam Tyrios & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse si fierent cum eis? ipse Dominus attestatur, quòd acturi essent magna humilitatis pœnitentiã, si in eis facta esset diuinarum illa signa virtutum*. Ac si dicat: Quis audeat dubitare de futura Tyriorum pœnitentia, si apud ipsos virtutes Bethsaiditarum factæ fuissent, cum Dominus cuius veritas est 255

infallibilis id attestetur?

256 Insuper in Enchiridion. cap.95.sic de beatitudine loquitur: *Tunc non latebit quod nunc latet, cur apud quosdam non sint facta virtutes, quæ si facta fuissent illi homines egissent pœnitentiam, & facta sunt apud eos, qui nunquam fuerant credituri, apertissime namque Dominus ait væ tibi Corozain &c.* Vbi expendenda est particula illa apertissime, id est clarissime, absque vlla ambiguitate, aut incertitudine. His & aliis scripturæ testimoniis vrgebant nostri antiquiores Thomistas, quorum aliqua ipsi sibi obiiciebant, & soluere conabantur. Videamus eorum responsa, vnde iterum constabit eos in sententia negante constantes perstitisse.

257 Respondebant ergo Thomistæ Deum in scripturis prædicere eos euentus conditionatos morali quadam certitudine, sumpta ex dispositione præsenti causarum, non vero certo prædicere eos effectus futuros posita conditione: Tum quia in aliquibus testimoniis additur particula *forte*, aut *forsitan*. Tum etiam quia paraphrasis Chaldaica, vbi vulgata ait *descendet, tradent* habet *cogitat descendere, cogitat tradere*, & idem habet glossa interlinealis Ita Ledesma disp. 2. affini de scientia futurorum pagina 611.

Hæc tamen solutio duplicem patitur sensum Primus est, quod Deus prædicat futura conditionata cognoscens illa in causis ita dispositis cognitione incerta, & coniecturali. Secundus est quod Deus non prædicat simpliciter euentum sub conditione futurum, sed tantum asserat causas ita esse dispositas, vt ex illarum conbinatione probabiliter, & morali certitudine expectari possit effectus. Quæ cognitio diuina certa est, & infallibilis, non de euentu reipsa futuro, sed probabilitate extituri effectus si conditio poneretur.

Solutio ergo in primo sensu expungenda omnino est; Nam cognitio coniecturalis inuoluta est imperfectionibus obscuritatis, incertitudinis, & fallibilitatis saltem physice, aut metaphysice, quæ omnia Deo indignissima sunt: Fieret enim vel Deum non posse reuelare talem effectum, cuius oppositum passim clamat scriptura; vel reuelantem posse dicere falsum, & esse fallibilem in dicendo; vnde nostræ fidei firmitas concussis hisce fundamentis, penitus corrueret: & fas esset cuique dubitare de euentibus à Deo reuelatis. Sequela autem clarissima est, quia nullus potest certo dicere, quod certo non scit: ergo si Deus futurum conditionatum certo non sciret, neque posset certo reuelare: ergo casu quo reuelaret, esset incerta, & infallibilis reuelatio, & consequenter exposita falsitati. 258

Nec solutio in secundo sensu sustineri potest. Primo quia ex illa fieret nos non teneri ad credendos euentus sub conditione futuros, sed ad credendam probabilitatem obiectiuam eorum in causis dispositis: Vnde concepta fide de probabilitate, liberum esset cuilibet asserere Tyrios non acturos pœnitentiam, etiamsi virtutes Bethsaïditarum factæ fuissent apud ipsos. Manente Dauid in Ceila non descensurum Saulem, nec descendente Saule tradendum Dauidem. Corda filiorum Israël euertenda non esse, etiam si mulieres alienigenæ ingrederentur ad ipsos: Syriam non fore vsque ad consumptionem deuastandam etiam si septies Ioas terram percussisset: Ezechielem audiendum 259

non

non fore etiam si ad Gentes mitteretur, quæ omnia Scripturæ testimoniis contradictoriè opponuntur. Sequela autem ostenditur, nam Deus illis reuelationibus solum reuelaret probabilitatem futuri euentus: ergo non teneremur credere futurum re ipsa euentum, sed probabilitatem illius: sicut casu quo Deus reuelaret probabilitatem alicuius opinionis, non idcirco teneremur ad eam opinionem amplectendam, sed ad illius probabilitatem credendam, quare illâ relicta posset quisquam oppositam tenere.

260 Secundò, quia Scriptura in eis prædictionibus non habet pro obiecto probabilitatem causarum, sed ipsos euentus: ait enim. *Descendet, tradent, euertent corda, deuastandam Syriam, Ezechielem audiendum, Tyrios pœnitendos*: ergo loquitur de ipsis euentibus.

261 Tertiò, quia si sermo esset de probabilitate tam certo posset respondere Angelus, quam Deus, eosque euentus prædicere, quia probabilitas euidenter est nota Angelo, quod argumentum adeo efficax visum est sancto Thomæ vt 1. sententiarum dist. 40. quæst. 3. inde probet Deum habere notitiam infallibilem futurorum absolutorum, quia si solam aliam haberet non posset certo prædicere sed cum incertitudine simili Angelicæ.

262 Quartò, quia si semel licitum esset Scripturas adeò claras de futuro conditionato ad eum sensum detorquere, simili fundamento possent de futuro absoluto loquentes intelligi, non de illis re ipsa futuris seu exituris; sed de earum probabilitate in causis dispositis: vnde concepta fide probabilitatis, liberum esset negare Antichristum futurum, & alia quæ in Scripturis continentur: hæc autem intelligentia Scripturarum tanquam aliena à fide reiicitur ab omnibus, ergo similis de futuro conditionato intelligentia reiicienda est.

Prima autem pars responsionis, quia scilicet in aliquibus testimoniis additur particula *fortè*, & *forsitan* momenti non est viro Theologo. Tum quia in multis à nobis adductis talis particula non additur: ergo saltem ista scit Deus: Tum etiam quia in secundo testimonio ex 3. Reg. 11. additur *certissime*, & hoc sufficere ad idem de omnibus inferendum ostendimus ibi. Tum præterea, quia particula *fortè* non minuit certitudinem diuinam circa effectum, vt tradit D. Hieronymus in cap. 26. Ieremiæ *Verbum ambiguum forsitan* (inquit) *maiestati Dei non potest conuenire, sed nostro loquitur affectu, vt liberum hominis seruetur arbitrium*. Consentiunt Gregorius homil. 9. in Ezechielem, Augustinus tractatu 27. in Ioannem, Chrysostomus homilia 78. in Matthæum. Tum denique quia vt optimè aduertit Maldonatus, particula *fortè* & *forsitan* idem valet ac *vtique*. Vnde solita est rebus certissimis adhiberi. Vt Ioannis 8. *Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis*, & Actorum 8. ait Petrus Simoni Mago. *Pœnitentiam age ab hac nequitia, & roga Deum si forte remittat tibi.* 263

Secunda responsionis pars pluris æstimanda non est. Nam longè maior fides adhibenda est sine dubio nostræ vulgatæ, quam paraphrasi Chaldaicæ, dempta enim illa, quæ est in Pentatheucum respersa est Iudaicis fabulis, & nugis Talmudistarum, vt notat Franciscus Ximenez Cardinalis in præfatione Bibliorum Complutensium. In nostra autem vulgata non rogat Dauid de voluntate Saülis, & Ceilitarum sed de descensu illius, & traditione istorum. Vnde si Deus respondisset 264

differ de voluntate Saülis iuxta Paraphrasim Chaldaicam, vel interlineale, quæ dubia est, ad rem non respondisset: ergo sermo non est de voluntate Saülis, & Ceilitarum.

Hæc nobis ex Scriptura sufficiant, qui plura voluerit adeat Ruitz, & alios nostros in hac materia fœcundissimos.

SECTIO IV.

Idem assumptum ostenditur ex Patribus.

265 AB hac re breui me expediam, nam Patres infra adducendi tam pro scientia conditionatorum ante decretum, quam post illud, huc quisque poterit facile reuocare. Probatio prima sumitur ex Augustino tractatu 3. in Ioannem explicante quid particula *forsitan* denotet in Deo. *Dubitationis*, inquit, *verbum est quando dicitur ab homine ideo dubitante, quia nesciente, cum vero dicitur à Deo verbum dubitationis, cum Deum nil vsque lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur diuinitas:* ergo ex mente Augustini particula *fortè*, aut *forsitan* non arguit in Deo cognitionem coniecturalem, dubiam vel opinatiuam, sicut in nobis: ergo etiam si respectu plurium conditionatorum addatur particula *forte* intelligenda sunt de cognitione certa. Confirmatur, quia ibi comparat Augustinus cognitionem humanam cum diuina, quando vtraque explicatur dubitationis nota, & decernit hoc discrimen inter vtramque, quod humana dubia sit, & opinatiua, secus diuina: *diuinitas enim*, inquit, *non opinatur:* ergo statuit in Deo scientiam infallibilem de obiecto conditionato, de quo creatura dubitat & opinatur.

Insuper idem Augustinus de correptione, & gratia cap. 8. probaturus 266
perseuerantiam esse donum gratuitum à Deo, illos proponit, qui cum essent iusti, *donum perseuerantiæ non habent, sed ex bono in malum, deficiente bona voluntate moriuntur.* Et addit. *Respondeant si possunt, cur illos Deus, cum fideliter, & piè viuerent, non tunc de vita huius periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum. Vtrum hoc in potestate non habuit, an eorum mala nesciuit? nempe nihil horum nisi peruersissime, & insanissime dicitur.* Sermonem autem esse de cognitione conditionata euidenter concludit P. Suarez 2. parte de Gratia proleg. de scientia conditionata cap 3. num. 1. Agit enim Augustinus de scientia, qua supposita, posset Deus, si vellet, rapere hominem, priusquam malitia mutaret intellectum eius, etiam in sensu composito talis scientiæ; sicut præstitit cum illo de quo Sap. 4. Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius; cum scientia autem peccati absolute futuri componi non potest antecedens mors ad tale peccatum, cum supponatur vita præuisa vsque ad tempus peccati: ergo sermo est de cognitione conditionata: de illa ergo ait Augustinus *An eorum mala nesciuit?* nescire autem apud Augustinum idem est, ac non certo scire, siue dubitare, aut opinari; idcirco in priori testimonio docuit, hominem ideo dubitare, quia nescit: ergo Augustinus insanissimum existimat negare Deo scientiam conditionatorum, & illi nescientiam, siue dubitationem, aut opinionem impingere. Censura est Augustini, non mea.

Insuper Epistola 49. quæst. 2. inquirens Augustinus cur incarnatio tali 267
tempore

tempore facta sit? respondet. *Tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari suam doctrinam, quando sciebat, & vbi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri.* Vbi clare habes scientiam futuræ fidei conditionatæ, si videlicet Christus poneretur eiusque prædicatio. Nec obstat quod aliqui tentarunt, scilicet Augustinum id retractasse libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 9. Aliud enim est eam præscientiam esse in Deo, aliud vti illa ad reddendas rationes aliquotum effectuum diuinæ prædestinationis. Primum non retractat Augustinus imò confirmat his: *Quid est verius quam præscire Christum, qui & quando, & in quibus locis fuerant in eum credituri?* Ergo. Deinde lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 23. inter prædestinationis miracula statuit illum baptizatum in hac vita relinqui, quem præsciuit Deus impium futurum; alium vero baptizatum rapi ne malitia mutaret intellectum eius: ergo.

268 Secunda probatio sumitur ex S. Thoma 3. parte, quæst. 1. art. 5. vbi sequitur Augustinum de bono perseuerantiæ cap. 9. Insuper lectione 7. in illud Ioannis 5. si crederetis Moysi crederetis forsitan & mihi. Vbi S. Thomas ait, particulã *forsitan* esse additam ad significandam eorum libertatem, ne aliquis ad coniecturam flecteret. Præterea 1. parte quæst. 92. art. 1. hoc argumentum proponit: Occasiones peccatorum sunt amputandæ: sed Deus præsciit quod mulier erat futura viro in occasionem peccati: ergo non debuit mulierem producere. Vbi agitur sine dubio de occasione ante quam decernatur absolute: post decretum enim absolutum & efficax vitabilis non est. Et respondens sanctus Doctor non negat Deum id præsciuisse, sed hoc supposito ait creandam fuisse mulierem, quia non debuit malum tolli, vt vitaretur particulare malum. Denique commentario in Matthæum ait: Quidam dixerunt quod non saluabuntur nisi quos præsciuit (scilicet Deus) quia si prædicaretur eis conuerterentur. Quod excludit S. Doctor si forte supponantur saluandi omnes, quos Deus præsciuit, in quocumque rerum, & auxiliorum ordine, nam Tyriis, & Sidoniis male erit quamuis scilicet præsciuerit Deus eos virtutibus Bethsaiditarum euertendos.

Tertia probatio sumitur ex Hieronymo lib. 3. aduersus Pelagianos col. 3. vbi Hæreticorum argumentum sibi soluendum ita proponit. Marcia. & omnes Hæreticorum canes, qui vetus laniant testamentum huiusmodi Sylogismum texere consueuerunt: Aut sciuit Deus hominem in paradiso positum præuaricaturum esse mandatum illius, aut nesciuit? si sciuit, non est in culpa is, qui præscientiam Dei vitare non potuit, sed ille, qui talem condidit vt Dei non posset scientiam deuitare. Si nesciuit, cui præscientiam tollis, aufer diuinitatem. Cui argumento respondet Hieronymus, Deus non condemnat ex præscientia, quem nouerit talem fore, qui sibi postea displiceat, sed tantæ bonitatis est vt eligat eum quem interim bonum cernit, & scit malum futurum. Vbi loquutum Hieronymum de præscientia conditionatorum indubitatum est: Tũ, quia de illa agebant Hæretici: Tum etiam, quia ait Deum non condemnare ex præscientia illa peccati: condemnat autem ex præscientia peccati absolute futuri: ergo. 269

Quarta probatio sumitur ex Patribus illi dubio respondentibus. Cur Deus hominem, vel Angelum creauit, quem peccaturum præsciuit? Et nullus respondet negans eam præsciẽtiam, 270

tiam, sed supponens. Hi sunt Nyssenus oratione Catechetica cap. 8. inter medium, & finem. *Quod enim à bono homo esset auertendus non ignorauit, qui omnia suo dominatu continet, sua prauidendi virtute aque intuens id quod deinceps est futurum, atque id quod præteritum.* Cyrillus Alexandrinus l.9. in Ioannem cap.10. à medio. *Cur primum à terra hominem formasti, quem non ignorabas mandata non seruaturum?* Et lib.1.in Genesim col.3. *Quod homo corruptioni subiiceretur creator omnium minime ignorauit, imò vero id certo sciebat.* Theodoretus quæst.36. in Genesim. *Deus, quæ nondum facta sunt perinde nouit, ac si iam facta essent, quapropter prauidens, & præscius ipsum Adamum mortalem futurum ob violatum mandatum talem eius naturam iam ante composuit.*

271 Chrysostomus homilia de Adam, & Eua col. 2. *Quia vndique confitetur vniuersa lingua Deum præsagum esse futurorum, antequam essent vniuersa, quæ in mundo sunt præsciuit præuaricaturum primum Angelum, & primum hominem.* Idem Chrysostomus homilia de Anathemate. *Mortuus est pro inimicis, pro tyrannis, pro maleficis, pro osoribus, pro crucifigentibus, atque pro iis ipsis, quos tales fore ante constitutionem mundi sciebat, eosque præscius formauit, vincente præscientiam bonitate.* Altissima sunt vltima verba: *vincente præscientiam bonitate*, nec à nostro eruditissimo Ruiz omissa, quibus meditabatur Chrysostomus Deum antequam eos homines absolutè decerneret cum præscientia, quales futuri essent, quasi suadente, & vt ita dicam retardante Deum, ne crearet homines hostes crudelissimos sibi & Christo futuros, cæterum vincente præscientiam bonitate decreti sunt, & absolute creati: generosissimi enim pectoris argumentum est, prosequi beneficiis, quem quis nouit futurum inimicum. Anselmus in elucidario col. 5. *Cum Deus præscierit eos* (scilicet Angelos malos) *tales futuros, quare eos creauit?* Et respondet, non negans præscientiam sed supponens: *propter ornatum sui operis; vt enim pictor nigrum colorem substernit, vt albus, vel rubeus pretiosior sit; sic in collatione malorum iusti clariores fient.*

Eos autem omnes Patres loquutos 272 fuisse de præscientia futuri conditionati, & non absoluti, indubitatum videtur. Quia loquuntur de præscientia, cum qua Deus in sensu composito potuit re ipsa Adamum, vel malos Angelos non creare: hoc enim erat assumptum cui respondebit; cur scilicet Deus præsciens lapsuros Angelos, & Adamum, non omisit eos creare cum potuerit, si enim non potuisset prompta fuisset Patribus hæc responsio, quam tamen nullus assumit: præscientia autem peccati absolute futuri componi non potest cum non creatione Adami, & Angelorum, cum iam supponant eos creatos: ergo Patres illi non loquuntur de præscientia peccati absolute, sed conditionate futuri.

Vltima probatio sumitur ex Pros- 273 pero ad excerpta Genuensium responsione 8. *De Tyriis, & Sidoniis quid aliud possumus dicere, quam non esse eis datum vt crederent, quos etiam credituros fuisse ipsa veritas dicit, si talia, qualia apud non credentes facta sunt virtutum signa vidissent.* Et inferius. *Nos autem etiam si rationem facti & profunditatem iudicij eius penetrare non possumus, manifeste tamen scimus, & verum esse quod dixit, & iustum esse quod fecit.* Quæ perspicua sunt & simillima iis, quæ dedimus ex Augustino

Augustino sect. 3. in illud Matthæi *Væ tibi Corozain*, &c.

SECTIO V.

Idem assumptum rationibus stabilitur.

274 PRima est. Deus cognoscit futurum conditionatum: ergo certo cognoscit. Antecedens est aduersariorum cócedentium Deum cognoscere futura conditionata cognitione coniecturali, & probabili aut moraliter tantum infallibili. Consequentia probatur, quia Deus falli non potest adhuc metaphysicè: si autem cognitio futuri conditionati esset tantum coniecturalis; probabilis, aut moraliter infallibilis Deus posset falli: ergo talis non est, sed omnino certa, & infallibilis. Maior nulli Catholico potest esse dubia. Minor probatur. Falli posse nihil est aliud, quam posse cognitione infallibili obiectum cognoscere: Deus autem posset futurum conditionatum ita cognoscere; imo de facto in aduersariorum sententia ita cognoscit: ergo potest falli.

275 Secunda Deus certissime scit, quinam actus nostri probabiles, re ipsa veri sint, quinam falsi: id enim qni negaret, negaturus quoque Deo esset authoritatem ad opinionum nostrarum lites componendas: Ergo ex duplici illa opinione, An scilicet venisset Christus Adamo non peccante, certissime scit Deus, quænam re ipsa vera sit: Id autem non sciret si certo non sciret futurum conditionatum: ergo. Minor probatur, quia certitudo de veritate cognitionis probabilis pendet essentialiter ex certitudine de obiecto ita se habente; quandiu enim dubius, vel incertus sis de obiecto ita se habente, ac dicitur ab actu probabili, incertus quoque manebis de veritate opinionis in re: ergo si Deus non sciret certo futurum conditionatum illius opinionis re ipsa veræ, neque certo sciret, aut scire posset, quænam earum opinionum vera esset.

Tertia probatio. Deus certissime reuelauit plura futura conditionata, vt constat ex præeuntibus Scripturis, & Patribus: ergo certissime nouit ea futura conditionata. Probatur consequétia, quia prudenter nullus potest certo affirmare, quod certo non scit; imò si in locutione particula *certo* adderetur mendacium esset: loquutio autem Scripturarum certissima est, & aliquando, vt vidimus, additur particula *certissime*: ergo si Deus non certo sciret futurum conditionatum, neque ab imprudentia, neque à mendacio liberari posset, quod absurdissimum est. 276

Quarta probatio. Futurum conditionatum habet determinatam veritatem: ergo certo cognoscitur à Deo. Consequentia bona est etiam inter Thomistas antiquiores, si antecedens verum esset; plane enim fatentur, certo sciri à Deo omnia, quæ sunt determinate vera. Ante probationem antecedentis monitum volo, ad habendam determinatam veritatem satis esse apud Thomistas, quod futurum conditionatum, sit infallibiliter futurum, quale negabant esse antiquiores Dominicani, quia conditio non inferebat infallibiliter effectum, sed contingenter. Cui obiectioni occurrerunt Recentiores Dominicani docentes futurum conditionatum esse quidem in se contingens, reddi tamen infallibile à decreto conditionato ex parte obiecti, & absoluto ex parte actus, quo Deus vult Tyrios v. g. prædeterminare ad 277

pœnitentiam casu quo virtutes Bethsaiditarum fierent apud illos. Vnde docent cognosci à Deo certo futurum conditionatum non in se ipso, in quo non est determinata veritas, siue infallibilis futuritio; sed in decreto illo conditionato à quo habet infallibilitatem seu determinatam veritatem: compertum ergo est inter illos futurum habere determinatam veritatem, idem esse, ac esse infallibiliter futurum, quod nos etiam concedimus. Hæc dixerim, ne discipuli nostri illa particula *determinatam* illudantur, apprehendentes admitti à nobis determinationem aliquam de præsenti in futuro, his positis.

278 Probatur antecedens primo ad hominem. Futurum conditionatum est futurum infallibile, vel in se vel in decreto: ergo habet determinatam veritatem, vndecumque illam habeat, de quo nunc non disseritur. Antecedens probatur, quia ad futurum infallibile conditionatum sufficit quod conditio infallibiliter inferat effectum: conditio autem huius futuri conditionati; *si fuerit in Petro physica prædeterminatio ad consensum, consentiret*, infallibiliter infert effectum, vt nullus antiquiorum, vel Recentiorum Thomistarum negauit: ergo est futurum infallibile. Maior in qua sola potest esse difficultas probatur clare. Quia Thomistæ concedũt Deum certissime scire futura conditionata necessaria, eaque habere determinatam veritatem, quia conditio necessario infert effectum: ergo sicut conditio necessario inferens effectum sufficiens est ad futurum necessarium, ita conditio inferens infallibiliter effectũ sufficiens erit ad infallibile futurum: nec ratio magna est contra Thomistas illos antiquiores, & contra recentiores non minorem esse suo loco ostendemus.

Probatur secundo idem antecedens, 279
quia ad futurum conditionatum infallibile non opus est quod conditio infallibiliter inferat effectum, vt fatentur recentiores Thomistæ, qui eam infallibilitatem in conditione non agnoscũt & confugiunt ad decretum; sed satis est quod ea posita sit, qui inferat: ergo futurum conditionatum non deficit à ratione futuri infallibilis, quia conditio non infert infallibiliter effectum: ergo neque inde deest illi veritas determinata. Antecedens, quod erat fundamẽtum priorum Thomistarum, probatur. Nam in virtutibus Bethsaiditarũ, quæ erant conditio pœnitentiæ Tyriorum, nulla erat infallibilis connexio cũ pœnitentia, aliter eam egissent Bethsaiditæ: ergo erant de se indifferentes, tã ad pœnitentiam, quam ad non pœnitentiam Tyriorum, & ratio est, quia præcisa positio conditionis non extrahit futurum conditionatum contingens à ratione absolute contingentis: si autem esset infallibiliter connexa cum effectu ex suppositione conditionis extraheretur à ratione absolute contingentis: vnde conditio à nostris Doctoribus statuitur indifferens.

Dices ad futurum necessarium con- 280
ditionatum requisita est conditio necessario inferens effectum: ergo ad futurum infallibile conditionatum requisita est conditio infallibiliter inferens effectum. Respondeo negans consequentiam, quia conditio infallibiliter inferens effectum deberet esse essentialiter connexa cum effectu, vnde non distingueretur à conditione necessaria, quæ ideo talis est quia connexa est essentialiter, & inseparabilis ab effectu. Vnde fieret futurum conditionatum contingens esse necessarium vt ergo vnum ab altero distinguatur opus est quod conditio vnius sit essentialiter connexa, cum effectu,

non vero conditio alterius.

281 Probatur tertio idem antecedēs, quia ostendimus disp.. sect... Satis est non exsistentia nunc, & exsistentia postea ad futurum infallibiliter tale: etenim ex suppositione quod res exsistat in aliquo instanti absolute, vel sub conditione, toto tempore antecedente est infallibiliter futura, cum eius exsistentia postea exercenda à nullo impediri possit, vt ibi late prosequuti sumus, ergo ad futurum infallibiliter tale non opus est, quod conditio infallibiliter inferat exsistentiam.

282 Quinta ratio. Posita conditione infallibile est vel ponendam esse pœnitentiam, vel carentiam illius: ex duplici enim contradictorio impossibile est neutrum esse, vel vtrumque simul existere: ergo infallibiliter est futura vel pœnitentia, vel illius carentia: ergo id clare, & euidenter cognoscitur à Deo. Confirmatur. Implicat exsistere instans A. in quo nec sit res: nec illius carentia: ergo implicat existere conditionem in instanti *A*. & in eo non existere pœnitentiam, nec carentiam illius. Vtrumque enim est contradictorium, & consequenter æqualem continens oppositionem.

283 Dices posita conditione infallibiliter ponendam pœnitentiam vel illius carentiam vage, & disiunctiue, neutram tamen esse determinate infallibiliter extituram, quia positio conditionis constituit voluntatem proxime potentem elicere, quod voluerit cum indifferentia ad vtrumque; sicut ergo ex indifferentia voluntatis non sequitur determinate extituram pœnitentiam potius, quam ipsius carentiam; nec sequitur carentiam potius, quam pœnitentiam extituram, quamuis alterum eorum disiunctiue ponendum sit. Ita ex positione conditionis neque infertur determinate extitura pœnitentia, neque, carentia illius; etiam si infallibile sit aliquod eorum vage, & disiunctiue extiturum est. Vnde Deus ex præuisione cōditionis neutram partem potest scire infallibiliter extituram, sed ad summum alteram earum disiunctiue.

Contra tamen. Posita conditione Deus certo scit aliquod futurum: non vagum, & disiunctiuum: ergo determinatum. Minor probatur, quia nihil potest esse futurum vage, & disiunctiue: ergo quod à Deo cognoscitur futurum, cognoscitur determinate futurum. Antecedens probatur, quia quod futurum est exsistit postea: nihil autem existit, aut existere potest vage, & disiunctiue, cum omnis existentia sit determinata: ergo neque potest esse futurum vage, & disiunctiue: ergo vel pœnitentia, vel illius carentia cognoscitur à Deo determinate futura. 284

Vltima ratio: isti duo actus sunt contradictorij: posita conditione erit consensus, posita conditione non erit cōsensus: ergo vna est determinate vera, & altera falsa. Antecedens summulistis notum est, nam affirmatio & negatio eiusdē de eodem, & eodem modo est definitio contradictoriorum, qualia sunt a nobis proposita. Consequentia autem optima est ex illo primo principio: idem non potest simul esse, & non esse vnde inferunt omnes vtramque cōtradictoriā nec posse esse simul verā, nec simul falsam, quia vt esset simul vera deberet res simul esse, & non esse: vt autem esset falsa, neque res debuisset esse neque sui negatio, à qua propositio negatiua veritatem haurit: hæc autem omnia impossibilia sunt, & consequenter vtrāque propositionē esse simul veram, aut simul falsam. Vel ergo Deus scit quænam ex illis propositionibus sit vera, & quænam falsa; vel nō? Secundum dici non 285

potest, aliter enim Deus non sciret veritatem nostrorum actuum, nec discernere posset inter actum verum, & falsũ, quæ & alia similia superius pro scientia diuina nostratum opinionum expensa clare videntur diuinitati derogare: ergo Deus scit quænam ex illis propositionibus sit determinate vera, & quænam falsa: id autem non sciret nisi sciẽtiam haberet futuri conditionati: Ergo. Minor probatur, & supponamus affirmatiuam esse veram, scilicet: *Posita conditione erit consensus.* Vt Deus sciat propositionem affirmantem esse veram, & negantem falsam, scire debet obiectum vnius ita se habere, ac repræsentatur ab actu; secus vero obiectum alterius: Ergo scire debet, quod posita conditione sequetur consensus, vnde affirmatiua est vera, & negatiua falsa.

286 Dices doctrinam istam veram esse de propositionibus categoricis, & de hypotheticis in materia necessaria, nõ vero de hypotheticis in materia contingenti, quia propositio hypothetica siue cõditionalis ex S. Thoma affirmat necessariã connexionẽ conditionis cũ effectu in cõtingentibus autẽ nulla est necessaria connexio conditionis cum effectu; vnde nulla ex contradictoriis habere potest determinatã veritatem.

Cõtra tamen, quia propositio conditionata de futuro necessario hoc differt à cõtingẽti, quod illa asserit cõnexionẽ cõditionis cum effectu; hæc vero coniunctionẽ tãtum effectus cum conditione à qua pendet; aliter enim nihil differret futurum conditionatum contingens à necessario: ergo licet propositio conditionata de futuro necessario affirmet connexionẽ conditionis cum effectu, nõ id præstabit propositio conditionata de futuro contingenti. Confirmatur, quia si hæc doctrina subsisteret, stare non posset veritas scripturarũ futura cõditionata contingentia reuelantium, nam cõditio earum nullã habet connexionem necessariã cum effectu vt est per se notũ. Insuper neque stare posset veritas sancti Thomæ asserẽtis, si Adamus non peccaret Verbum non incarnaretur: Carẽtia enim peccati Adami nullã habet cõnexionẽ necessariam cum carẽtia incarnationis, cum ambæ pro Dei beneplacito absque vlla violentia componi potuissent: ergo propositio conditionata in materia cõtingenti non asserit necessariam connexionem cum effectu.

Hæc sunt ex maiori parte momenta quibus Doctores Societatis contra antiquiores Thomistas armari prodiere: quæ tanti põderis, tantæque efficaciæ nouissimis Thomistis visa sunt, vt maturo consilio vnanimes decreuerint antiquiores suos deserere Magistros, & ante pressa à nobis vestigia recalcare, dextrasque cum Doctoribus Societatis iungere. Vide ergo, quis quem vicerit in primogenita controuersia inter Patres Dominicanos, & Iesuitas agitata. 287

SECTIO VI.

Soluuntur obiectiones aliquot.

FVndamẽta, quæ Priscos Thomistas impulerunt ad negandam Deo sciẽtiam conditionatorum cõtingentium colligenda à nobis sunt ex ipsis Dominicanis, vnde firmiter constet ipsos in ea sententia pacifice vixisse vsque ad natã Societatẽ. Ea omnia collegi Dominicanus Ledesma disputatione illa 2. affini de scientia futurorum contingentium dificultate 2. tota conclusione 5. quæ propriis illius verbis ex maiori parte proponam, ne tantillum efficaciæ derogem. 288

Obiicit primo aliqua scripturæ testimonia, in quibus Deus loquitur de effectu horum futurorum cõditionatorum tanquã de re dubia, & incerta; in 289

quo

quo clare significatur, quod Deus non habet certã, & infallibilẽ cognitionem horũ futurorũ cõditionatorũ, vt Gen. 3. *Nunc ergo ne forte mittat manũ suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat & viuat in æternum.* Vbi significatur, quod hoc futurum conditionatum; scilicet Adamum sumpturum fructum illius arboris si mansisset in paradiso non esse certum, sed dubium propter occasionem, & facilitatem sumendi, cum qua opportunitas loci, & naturalis appetitus propriæ conseruationis ei præberent occasionem, & ideo cum dubio exprimitur illa sententia in translatione Septuaginta interpretum, vbi sic habetur: *Et nunc ne quando extendat manum suam, & sumat de ligno vitæ*, &c. Et in paraphrasi Chaldaica explicatur idem dubium, cum dicit. *Et nunc forte extendet manum & sumet de arbore vitæ.* Et ad explicandum hoc dubium adducunt quædam verba secundum Vatablum hoc modo. *Et nunc periculum est, ne forte mittat manum suam.*

290 Et Exodi 4. Vbi Deus dans signa Moysi per quæ induceret populum suum ad credendum, dicit: *Si non crediderint tibi, neque audierint sermonem signi prioris credent verbo signi sequentis; quod si neque duobus quidem his signis crediderint, neque audierint vocem tuam, sume aquam fluminis, & affunde eam super aridam, & quidquid hauseris de fluuio vertetur in sanguinem.* Qui modus loquendi indicare videtur incertitudinem euentus posita priori conditione, vel secunda. Et huius rationis explicandi hæc futura sub dubio sunt multa exempla in sacra Scriptura, præcipue illa, in quibus fit sermo de his futuris apposita particula *forte*, quæ particula eam vim habet, vt denotet dubitationem aliquam, vt Deuteronomij 4. Moyses nomine Dei sic alloquitur populum. *Custodite igitur sollicite animas vestras, non vidistis aliquam similitudinem, &c. ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel fœminæ.* Vbi tanquam res dubia pronuntiatur hoc futurum conditionale; Futurum esse vt Iudæi confingerent sibi Idola, si non vterentur custodia sollicita animarum suarum. Et capite 7. Deus dicit. *Non poteris eas delere pariter, ne forte multiplicentur contra te bestiæ terræ.* In quo etiam significatur vt res dubia hoc futurum conditionale, videlicet: Multiplicandas esse bestias terræ si omnes illæ nationes simul delerentur. Et Isaiæ 48. dicitur nomine Dei. *Prædixi tibi ex tunc antequam venirent mala* (scilicet captiuitatis) *indicaui tibi ne forte diceres: Idola mea fecerunt hoc.* Vbi Deus prædicit tanquam rem dubiam hoc futurum conditionale, scilicet: Iudæos dicturos esse mala illa fuisse ipsis immissa ab idolis suis, tanquã à veris diis, si antea non fuissent à Deo prædicta. Hæc Ledesma §. 1. *Probatur*, fol. 590.

Hoc est ex Scripturis fundamentum sententiæ negantis Deum certo scire futura conditionata: illius, inquam, sententiæ, quam testatur Ledesma esse omnium discipulorum sancti Thomæ, & eorum omnium, qui eius doctrinam sequuntur, quamque vocat certissimam, taliter, vt opposita non sit illi probabilis. Senuit autem illa certitudo, & senio ita confecta est, vt penitus euanuerit eius vigor, adeò vt nullus ex Dominicanis, aut ex discipulis sancti Thomæ ei sententiæ subscribere dignetur. 291

Respondeo particulam illam *forte*, aut *forsitan* in sacris literis non arguere in Deo cognitionem dubiam, aut incertam de euentu conditionato; nam vt ait Hieronymus ex Ieremia cap. 26. 292

Verbum ambiguum forsitan Maiestati Dei non potest conuenire sed nostro loquitur affectu, vt liberum hominis seruetur arbitrium. Et idem docet Ezechielis, quod idem ex multis aliis confirmant Suarez, Vasquez, & Molina. Ad illud Exodi respondeo Deum non prouidisse Moysi illa signa, quia incertus esset de fide populi, sed quia certo præsciuit, aliquos tantum credituros primo signo, alius secundo, cæteros tertio. Vnde sensus est. Multi, qui non crediderint primo signo, credent secundo, reliqui autem credent tertio. In quo nulla est respectu Dei incertitudo.

293 Contra hanc solutionem circa particulam *forte*, & *forsitan* instat Ledesma fol. 591 columna 2 §. *Confirmatur primo.* Quoniam illa particula *forte* potest sumi proprie, & in rigore, ita vt importet dubitationem aliquam absque eo quod sequatur aliquod inconueniens contra fidem vel contra rationem: ergo ita debet sumi in aliquibus saltem locis. Probatur consequentia ex illa celebri regula Augustini lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 10. Vbi docet quod voces in sacra Scriptura debent accipi in propria significatione, quando ex hoc nihil sequitur fidei, vel rationi dissonum. Antecedens probatur, quia duobus modis potest dici, quod particula *forte* importat dubitationem. Primo modo ex parte ipsius Dei & ex parte diuinæ scientiæ, & prædictionis illius. Secundo modo ex parte ipsius obiecti, quia ipsum obiectum in se non est certum, & indubitatum, neque est capax vt sit terminus certæ, & indubitatæ cognitionis, & hoc modo nullum est inconueniens, quod ex parte Dei detur cognitio, quæ importet dubitationem ex parte obiecti, quia ipsum obiectum secundum se est res dubia, & non magis determinaut ad vnam partem, qua mad aliam, & ita Deus iudicat certo, & prædicit, quod aliquod obiectum secundum se est res dubia, & non magis inclinat ad vnam partem, quam ad aliam, & prædicuntur illi effectus cũ hac dubitatione: ergo. 294

Quis, vel cæcus hæc legat, qui non videat Ledesmam, & iuxta ipsum cæteros antiquiores Thomistas negare Deum certo scire futurum conditionatum videlicet, quam partem eligeret voluntas, si tali tempore & auxilio vocaretur, & solum concedere, Deum scire esse contingens, quod consentiat. Quid enim aliud est consensum conditionatum esse contingẽtem, & in capacem terminandi cognitionem diuinam indubitatam, & certam, quam nõ posse esse obiectum cognitionis diuinæ certæ & indubitatæ, & consequenter non posse esse cognitionem diuinam certam, & in dubitatam de cõsensu sub conditione futuro.

Respondeo ergo negans antecedens 295 eiusque probationem, constat enim eam inscitiam, & ignorantiam derogare infinitæ virtuti cognoscendi, etenim futurum conditionatum, etiam si antecedenter dubium sit, & contingens, consequenter tamen & ex suppositione quod esset, posita conditione est omnino infallibile, atque adeò capax terminandi cognitionem diuinam omnino certam, & infallibilem.

Obiicies secundo. S. Augustinus 296 Epist 105. ad Sixtum, ait. *Neque meritorum paruulorum potest quisquam dicere, vt huic ad percipiendum baptismum non consulat, illi autem consulat, Deum futura eorum opera prauidere. Quomodo enim futura dicuntur, qua non erunt?* Insuper lib. de Anima, & eius origine cap. 12. ait: *Ipsa exinanitur omnino præscientia, si quod præscitur*

tur

tur non erit. Quomodo enim dicitur præsciri futurum, quod non est futurum? Quomodo enim puniuntur peccata, quæ non erunt? ergo Augustinus negat præscientiam futuri conditionari quod nunquam erit. Respondeo ibi non agere Augustinum. An in Deo detur præscientia futuri conditionati, vel non; imo ea supposita disputat: An præuisio meriti, vel demeriti conditionati sufficiens sit, vt Deus præmia conferat, aut supplicia; & negatiue respondet exigens præscientiam meriti, aut demeriti absoluti: inde ait nihil consulere paruulis præscientiam meriti conditionati, nec nocere præscientiam similis demeriti. Vnde infert frustra dici futura, quæ non erunt, scilicet ad rationem meriti. Quod clare explicat secundo testimonio, dum ait; Quomodo enim puniuntur peccata, quæ non sunt? id est quomodo Deus puniet propter peccata conditionate futura, quæ non sunt.

297 Obiicies tertio eundem Augustinum lib. de prædestinatione sanctorum cap. 14. vbi ait: *Hæc est tota causa cur dictum est, à quocumque dictum sit: Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, dictum enim secundum pericula vitæ huius, non secundum præscientiam Dei, qui hoc præsciuit, quod futurum erat, non quod futurum non erat: id est quod ei mortem immaturam erat largiturus, vt tentationum subtraheretur occasio; non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset.* Ex quibus Augustini verbis ita argumentantur. Verba illa raptus, &c. dicta sunt secundum pericula vitæ huius, non secundum præscientiam Dei: ergo Augustinus negata Dei præscientia tantum concedit cognitionem coniecturalem de futuro conditionato, id enim sibi vult, *Secundum pericula vitæ huius.* Insuper Augustinus addit, qui hoc præsciuit quod futurum erat, non quod futurum non erat: ergo negat Deo præscientiam conditionatorum, quæ nunquam erunt.

Respondeo Augustinum eo loco 298
insequi Massiliensium errorem asserentium paruulos propter merita, vel demerita, quæ Deus præsciebat illos habituros si vixissent consequi, vel non consequi baptismum. Nemo enim est coronandus, vel puniendus propter merita vel demerita sub conditione futura; nam sicut præmium, & pœna sunt quid absolutum, ita meritum, & demeritum esse debent. Quod aperte indicat Augustinus dicens: *Sed vnde hoc talibus viris in mentem venerit, nescio, vt futura, quæ non sunt futura puniantur, aut honorentur merita paruulorum.* Vbi futura, quæ non sunt futura appellat merita futura tantum sub conditione. Vnde sensus Augustini est, *Raptus est*, &c. *dictum est enim secundum pericula vitæ huius*, in quibus scilicet si permansisset, peccauisset; vbi supponit Augustinus scientiam conditionatam. *Non secundum præscientiam Dei*, id est absolutam, *qui hoc præsciuit*, scilicet præscientia absoluta *quod futurum erat, non quod futurum non erat*, scilicet absolute. Vnde infert Augustinus mortem immaturam non esse pœnam à Deo inflictam propter demerita conditionata si vixisset ille, qui raptus est; sed donatam esse à Deo, ne malitia mutaret intellectum eius. Similiter neque vitam esse præmium alterius infantis propter merita illius conditionata à Deo præuisa si viueret, quia huiusmodi merita, vel demerita ad præmium actu, vel pœnam elargiendam sufficientia non sunt.

Obiicies quarto sanctum Thomam 269
hic art. 3. asserentem. *Quicumque cognoscit effectum in sua causa tantum,* non

non habet de eo nisi coniecturalem cognitionem : sed futura conditionata non possunt in se ipsis cognosci:ergo Deus non habet scientiam eorum iuxta sanctum Thomam. Respondeo negans minorem, nam vt videbimus ex mente sancti Thomæ futura conditionata in se ipsis à Deo cognoscuntur.

300 Obiicies quinto S. Damascenum Dialogo aduersus Manichæos inter medium, & finem inquirentem : Qua de causa Deus cum præsciret fore vt diabolus ex bono in malum verteretur, eum condidit ? Respondet. *Si eum pranoscebat certe, & omnino futurum pranoscebat ; etenim eius, quod non omnino futurum sit, præscientia, non præscientia, sed ignoratio est, & impostura.* Et inferius. *Quonam autem modo præscire queat, quod futurum non est. Nam si aliquem peccaturum præsciuisset, nec eum condidisset, præscientia hæc non esset, sed impostura: quemadmodum cognitio est earum rerum, quæ sunt, sic & prænotio earum est, quæ certo futuræ sunt.* Ergo ex mente Damasceni non est in Deo præscientia futuri conditionati; aliter homines & Angelos peccaturos non creasset, & omnia futura conditionata extitura forent, quæ omnia absurda sunt. Respondet CursusDiscalceatus Salmanticensis, Damascenum solum negare scientiam conditionatorum ante decretum, qualem nos in Deo constituimus, non vero post decretum, qualem ipse ex recentioribus Thomistis defendendam suscepit. Rationem reddit, quia Damascenus ex eo reiecit scientiam conditionatorum, quia non habent rationem futuri : id autem verum est ante decretum, non vero post illud. Quam indigesta sit solutio ista, & quam sine fundamento, colliget quisquis Theologus Damascenum semiplena meditatione percurrens. Si quid enim in illo testimonio vi[...] bet contra nos, illud est : Quona[...] tem modo præscire queat, quod [...] rum non est, nam si aliquem p[...] turum præuidisset, nec eum con[...] set, præscientia hæc non esset, s[...] postura. Hæc nobis, & Tho[...] communia sunt. Siue enim scien[...] ante decretum, siue post, De[...] vtraque plures præsciuit pecca[...] quos non condidit, & plura pe[...] quæ non permisit. Si ergo conse[...] tia Damasceni bona est : ergo v[...] nostra scientia, cum in eo antece[...] te conueniant, impostura erit : [...] ergo est solutio illa.

Legitima igitur intelligentia D[...] ceni est, ipsum nō esse ibi loqu[...] 01
præscientia conditionatorum, [...] solute futurorum, vt omnibus [...] dubiis argumentis hæreticoru[...] ponderet. Quod inde constat, [...] Deus illam scientiam non hab[...] nisi obiectum te ipsa extiturum [...] Etenim, vt notat Ruitz, dubia [...] Marcionis, & Manichæorum v[...] in quos inuehebatur Damascenus [...] de postquam præscientiam con[...] natam statuerat ad absolutam d[...] eamque explicat si forte illum [...] simulata hæreticorum argumenta [...] tinerent, quod sapienter actum [...]

SECTIO VII.

Reliquæ obiectiones soluta.

O Biicit præterea sexto Led[...] multiplicem rationem sol[...] 02
quarum prima est. Nam Authore[...] firmantes Deum certo scire f[...] conditionata variant inter se, & [...] dam illorum impugnant modu[...] plicandi aliorum, & è contra [...] signum

signum est eam sententiam non esse veram. Debile sane argumentum, & à quo desistere, necessarium est Authori. Primo, quia in modo explicandi filiationem secundæ personæ Trinitatis variant Doctores, & quidam modum explicandi aliorum impugnant, & è contra, & tamen vera est secundæ personæ filiatio. Secundo in modo explicandi diuinam libertatem idem contingit, nec tamen in Deo diuina libertas falsa est. Tertio efficacia diuinæ gratiæ vera est, quamuis in modo illius tot sint discrepantes sententiæ etiam inter Thomistas. Concesso ergo antecedente, neganda est consequentia, quia non sequitur ex illo.

303 Obiicit septimo ibidem §. *secunda ratio* supponens futura conditionata non habere sufficientem determinationem, vt possint certo, & infallibiliter cognosci, vt futura. Quo supposito ita argumentatur. Futura conditionata, vt futura non sunt determinata: ergo non sunt cognoscibilia ab aliquo intellectu, etiam diuino, certò, & infallibiliter vt futura. Consequentia patet, quia quod non est futurum non cognoscitur à Deo vt futurum: ergo quod non est determinate futurum, non potest cognosci vt certo futurum. Et hoc non est contra infinitatem diuinæ intellectualitatis: imo repugnaret ei si cognosceret hoc futurum, vt certo, & infallibiliter futurum, quia cognitio non esset conformis modo essendi rei, cui conuenit ipsa futuritio: sicut non est contra infinitatem virtutis productiuæ non posse facere id, quod secundum se non est factibile. Antecedens probatur, quia si hæc futura sunt determinate futura, vel determinatio futuritionis conuenit eis secundum se, vel in suis causis. Primum non potest dici, quia eiusmodi futura secundũ se nullum esse habent in tempore, neque in æternitate, in quo possit fundari hæc determinatio. Neque potest dici secundum, quia causæ non sunt determinatæ ad futuritionem horum effectuum sed indifferentes,

Confirmatur, quia repugnat quod idem secundum se sit simul contingens, & determinate futurum, quia contingentia, ex sua intrinseca ratione importat indeterminationem, quæ quidem repugnat determinationi, & quodcumque futurum contingens nõ tantum conditionatum, sed etiam absolutum, si sumatur secundũ se est contingenter futurum; alias enim non posset dici futurum contingens, quia alias simul esset determinatũ, & nõ determinatũ: ergo huiusmodi futura cõditionata nõ sũt determinata. Hæc ille Author, quibus duo præstat. Primũ, Deũ nõ cognoscere certo futura cõditionata in decreto aliquo diuino, cuius oppositum nunc vnanimes defendunt Thomistæ. Secundum, neque certo cognoscere ea futura in se ipsis, quæ est nostra sententia, neque in causis proximis, quod fatentur communiter omnes: vnde euidens est in eius sententia Deum nullo modo certo cognoscere ea futura, quia compertum est apud omnes non stare alium modum sciendi. Hæc est secunda ratio. 304

Respondeo imprimis negans suppositum, videlicet futurum conditionatum non habere sufficientem determinationem, vt certò, & infallibiliter cognosci possit, quia licet nullam habeat determinationem de præsenti ad existendum postea, est tamen in se certo, & infallibiliter futurum à carentia existentiæ nunc & existentia postea, si conditio poneretur, 305

tur, quod sufficiens est vt vna pars sit determinate futura præ alia; qua ratione futurum conditionatum dicitur determinatum, prout scilicet opponitur vago, & disiunctiuo. Ad argumentum negatur antecedens, videlicet futura conditionata non esse determinata; id est vnam partem non esse futuram sub conditione, præ alia. Ad probationem respondeo ea futura esse in se ipsis determinata sub conditione, non quia à nostris admittatur determinatio præsens ad existendum postea, si conditio poneretur; sed quia vna pars præ alia esset extitura posita conditione, neque hæc determinatio fundatur in existentia absoluta in tempore, vel in æternitate, sed consistit in carentia existentiæ nunc, & existentia postea, si conditio poneretur.

306 Ad confirmationem respondeo, idē posse esse contingens antecedenter, & absolute siue in actu primo respectiue ad causas indifferentes, & determinatum consequenter, & ex suppositione, siue in actu secundo: nam actus secundus importat determinationem principiorum indifferentium absque vlla repugnantia; sicut in tua, & communi Thomistarum sententia optime stat determinatio ad consensum cum iudicio indifferenti à quo consensus v.g. est contingens, & determinatum simul à prædeterminatione: ita nos dicimus consensum v.g. conditionatum esse indifferentem in actu primo à principiis indifferentibus, & determinatum in actu secundo à determinatione, quæ est actio: vnde contingentia solum importat determinationem, & indifferentiam ex parte actus primi, non vero ex parte actus secundi. Quomodo autem ex principio indifferenti oriri possit actio determinata, res est alterius instituti.

Instat Ledesma §. *Hac ratio* fol. 597. col. 1. litera *C*, & *D*, quia nulla est maior ratio quare futurum conditionatum sit cognoscibile magis secundum vnam partem, quam secundum aliam; cum principia non sint magis determinata ad vnam, quam ad aliam, sed indifferentia ad vtramq; vnde non est maior ratio cur hoc potius futurum, quam aliud determinatum sit. Respondeo negans antecedens: ratio enim cur vna pars præ alia sit vt conditionate futura cognoscibilis, est, quia si poneretur conditio vna præ alia extitura esset; vna autem præ alia extitura esset, quia voluntas pro suo beneplacito, & dominio in suos actus vnum eligeret præ alio positis requisitis ad vtramque. 307

Hic tamen instruendus est Ledesma, quatenus §. *alij vero* tribuit Soario futurum conditionatum habere determinationem in causis; vnde solutionem illam Soarij à nobis datam vocat euasionem, & in margine fugam, & tandem concludit. *Vnde iste Author non dissoluit argumentum*. Cæterum quem Soarium impugnet, aperire Ledesma debuisset: Noster enim nihil tale docet: aliud enim est futurum habere determinationem formaliter in causis, aliud vero habere illam à causis: hoc secundum tenemus nos omnes cum Soario nostro: Primum vero tenet non noster, sed alter Soarius à Ledesma confictus, cuius solutionem esse fugam & euasionem & non dissoluere argumentum quid ad nos? Hoc mihi certum Soarij doctrinam fugisse Ledesmam, fugamque, & euasionem quam impingit Soario, ipsum innasisse, inuasumque ita occupasse, vt præ fuga terga vertens solutioni, eam non viderit, sed aliam apprehensam insequutus fuerit, 308

quam

quam capiat, qui possit.

309 Ne tamen aliquis existimet nos id falsò imponere Ledesmæ, audi illum fol. 597. col. 2. littera *B*, *Alij vero Authores conueniunt cum præcedenti* (scilicet Soario) *quantum ad hoc, quod dicunt, quod illud futurum conditionatum habet determinationem, quia si non haberet talem determinationem nõ esset cognoscibile ab ipso Deo, & dicunt* (id est dissentiunt, aliter non partim conuenirent, vt ait in margine, sed omnino conuenirent) *quod illa determinatio ad alteram partem conuenit futuro secundum se, & non prout est in suis causis.* Quibus manifeste docet alios Authores conuenire cum Soario in admittenda determinatione futuri: dissentire autem illi, quatenus docent eam determinationem conuenire futuro conditionato secundum se, & non prout est in suis causis. Si autem Soarius non negaret futurum conditionatum secundum se habere determinationem sed prout est in suis causis non dissentirent Soario Authores illi: affirmante ergo Ledesma dissentire, clare ipse tribuit Soario determinationem futuri conditionati non in se, sed prout est in causis. Id autem non docuisse Soarium compertum est, nam libro secundo de scientia futurorum contingentium sub conditione cap. 6. num. 3. vbi ait Ledesma eam doctrinam traditam à Soario, oppositum docet, statuens futurum conditionatum secundum se esse magis ad vnam partem, quam ad alteram determinatum.

310 Obiicit octauo fol. 598. col. 1. lit. *B*. Voluntas diuina nihil prædeterminauit circa futitionem horum effectuũ conditionatorum: ergo hæc futura conditionata non sunt determinate futura. Antecedens probatur, quia nihil prædeterminauit absolute, cum plura futura conditionata numquam sint extitura, neque conditionate, quia eiusmodi prædeterminatio non est in Deo, vt supponimus ex iam dictis: ergo. Hanc obiectionem proposui, non quia nos feriat, tota enim accingitur contra Recentiores Thomistas asserentes futura conditionata esse determinate talia à decreto prædeterminante conditionato, sed vt videas quantum cahos sit inter antiquiores Thomistas, & recentes quanta dissensio: & quam falso dicatur omnes Thomistas in opinione recentiorum concordes semper fuisse. Hæc est tertia ratio, eique fere similis quarta, ideoque prætermissa.

Obiicit nono, fol 600. col. 1. litera *D*, vel Deus cognoscit tantum futura conditionata, quæ cum conditione habent necessariam connexionem, 311
vel etiam ea, quæ cum conditione non habent necessariam connexionem, sed disparatam: neutrum dici potest: ergo. Minor quoad primam partem probatur, quia rationes, quæ fiunt ad probandum, quod Deus cognoscit priora futura, etiam probant cognoscere posteriora, quales sunt illæ de contradictoriis. Quoad secundam ostenditur, quia ea futura nullam habent connexionem cum conditione disparata. Ergo. Respondeo Deum vtrumque futurum cognoscere, diuersimode tamen: nam priora cognoscit cum dependentia à conditione, vnde sunt proprie futura conditionata. Posteriora vero cognoscuntur à Deo sine dependentia à conditione, cum illam non habeant. Vnde non cognoscuntur per modum futuri conditionati signati particula illa *si*. Sed per modum coëxistentis, vel confuturi signati particula *quando*, ita vt sensus sit Turca saltat quando Petrus dormit.

Hic etiam aduertendus est Ledesma quatenus fol.601.col.1.lit. *D*, fine, tribuit nostris Doctoribus futura secundum se, & sine dependentia à conditione esse determinate futura; si enim loquatur de futuro disparato verum loquitur, si vero de aliis, impostura est manifesta, quod distinguere debuisset.

312 Instat col.2.lit.*B*, quoniam si nulla est necessaria connexio inter conditionem, & futurum, non est aliquid ratione cuius illud futurum conditionatum possit esse determinatum magis ad vnam partem quam ad aliam, vt patet in futuro disparato: ergo tale futurum non est determinate futurum. Non video quà arte hæc instantia cùm suo argumento compaginetur. In isto enim sermo erat de connexione futuri cum conditione, & transitu mirabili assumitur in instantia connexio conditionis cum futuro. Respondeo tamen negans antecedens, futurum enim conditionatum est magis ad vnam partem, quam ad alteram determinatum, quia posita conditione pro beneplacito, & dominio arbitrij in suos actus existeret vna pars præ alia. Hæc quinta ratio.

313 Obiicit decimo, ibidem littera *C*. nullus est modus cognoscibilitatis ex parte obiecti, quo ista futura conditionata possint cognosci ab intellectu creato, siue diuino vt certo, & infallibiliter futura: igitur Deus non cognoscit illa futura conditionata. Non omittas mi Lector quanta claritate neget hic Author cognoscere Deum futura conditionata. Antecedens probat, quia hæc futura conditionata vel sunt cognoscibilia per simplicem intuitum, & visionem, vel ex vi connexionis extremorum: neutro modo: ergo. Minor quoad primam partem probatur, quia illa futura nunquam sunt habitura esse, neque in tempore, neque in æternitate, ergo non possunt determinate simplicem intuitum, & visionem. Quoad secundam probatur, quia connexio extremorum vel est cognoscibilis, vt per se nota ex terminis, & hoc dici non potest, quia hæc connexio non est sine vllo medio inter extrema, vel est cognoscibilis per aliquod medium. Et hoc non, quia hoc constat facta inductione per omnia media: tale enim medium potest esse extrinsecum, v. g. testimonium dicentis, vel reuelantis ipsa futura, & hæc non, quia hic modus cognitionis per testimonium alterius non habet locum in Deo, quia nullus ei potest obiectum reuelare. Vel tale medium esset aliquis effectus, & hæc cognitio etiam est imperfecta, atque adeo Deo impossibilis. Item, nam tale futurum cōditionatum non habet esse, neque debet habere, & ita non potest habere aliquem effectum, nisi forte futurum conditionatum, de quo eadem esset difficultas, videlicet quomodo cognosceretur à Deo. Denique vel tale medium esset causa aliqua vel ratio à priori, & hæc causa est impossibilis, quia cum sit omnino contingens fore talem effectum, si ponatur talis conditio, non potest dari aliqua causa propria & necessaria connexionis horum effectuum. Hæc sexta ratio.

Hanc rationem cum præcedenti vocat Ledesma violentam. Nec renuo, scio tamen nihil violentum perpetuum, vnde mirum non est sententiam violentis erectam fundamentis etiam apud nouissimos Thomistas corruisse. Respondeo igitur negans antecedens, ad probationem concessa maiori quoad primam partem, nego minorem. Ad eius probationem distinguo 314

ſtinguo antecedens, illa futura numquam ſunt habitura eſſe, neque in tẽpore, neque in æternitate abſolute, tranſeat, nam falsò eſt de omnibus; plura enim exiſtunt: conditionate nego, & nego conſequentiam; ſimplex enim intuitus diuinus fertur in futuritionem, ſiue exiſtentiam conditionatam in ſe ipſa, & in coniunctionem extremorum non abſolutam, aut neceſſariam, ſed conditionatam contingentem.

315 Obiicit vltimo fol. 602. col. 2. lit. *D*, omnes propoſitiones de futuris conditionatis ſunt falſæ: ergo etiam ipſorum obiecta, & per conſequens non poſſunt ſciri à Deo. Antecedens probatur, nam quælibet iſtarum propoſitionum eſt conditionalis: ergo eius veritas non eſt aliud quam bonitas conſequentiæ: ſed quæcumque propoſitio de futuro conditionato non eſt bona conſequentia, quia non bene infertur eſt conditio: ergo erit conſenſus: ergo mala: atque adeò falſa. Reſpondeo negans antecedens, ad probationem conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, quam probare Ledeſma debuiſſet. Nam particula illa *ſi*, licet in futuro conditionato neceſſario denotet conſequentiam, non tamen in futuro cõtingenti. Diſcrimen eſt iam à nobis aſſignatum, quia videlicet conditio futuri conditionati neceſſarij habet eſſentialem connexionem cum effectu, non vero conditio futuri contingentis; aliter enim non diſtinguerentur inter ſe ea futura. Vnde particula *ſi* in futuro contingenti tantum denotat, quod poſita conditione dependenter ab illa pro ſua libertate, & dominio poneret voluntas conſenſum, potius quam diſſenſum.



SECVNDO-GENITA
CONTROVERSIA,
De Scientia Media.

RECentiores Thomiſtæ attente 316 Ieſuitarum argumenta meditati pro certa & infallibili ſcientia conditionatorum contingentium, vnanimes ſtatuerunt iungere dextras, non obſtantibus maiorum ſuorum ſcriptis in contrarium reclamantibus. Ex hac lite compoſita, nata eſt occaſio inquirendi modum ea futura cognoſcendi; & hinc suborta eſt ſecundo-genita controuerſia, ita vt tanta ſit in hoc modo diſſenſio, quanta fuerat antea in concordia vnitas.

Præcingimur ergo ad magnam il- 317 lam, & noſtris ſæculis ſpectatiſſimam controuerſiam. Ad ſcientiam inquam Mediam, tot procellis iactatam, ſed nondum naufragam: tot frementium ventorum tempeſtatibus circumactam, ſed numquam ad ſcopulos illiſam: Ad ſcientiam illam Mediam ſæpe nouitatis accuſatam, ſæpius ad Pelagianiſmum relegatam; ſed huiuſce exilij inuenta rea non eſt, quæ licet accuſata, nullius fuit tamen criminis conuicta. Hæc ſcientia Media, inde feſtiuis plauſibus auctior & glorioſior, vnde potentioribus inimicis impetita: leuis enim eſt gloria, quæ à ſolo vulgo, & non à proceribus inuideru. Hæc ſcientia Media, quæ non ſolum peſtilens contubernium, ſed & prima Pelagianorum limina perpetua exhorruit. Hæc ſcientia Media Auguſtini ſinu complexa, nutrita, & adulta. Hæc meta nobis propoſita, hic ſcopus, Deo auſpice,

L 3 pertingen

pertingendus: repudiatis vndique nugis, quæ viros alioqui senescentes ridiculos ac pueriles reddunt. Silentium indicimus conuitiis in contrariam opinionem, tum quia arma non sunt virilis ingenij, sed fœminæ rixantis: Tum maxime, vt decretis pontificiis, de nota non inurenda, humiliter, vt par est, obediam.

318 Sapientissimus P. Ludouicus Molina circa annum 1590. doctrinam nostram, tum de auxiliis, tum de scientia media in Eborensi academia publicis disputationibus exposuit; quam Magister Banez Dominicanus tanquam Pelagianam detulit apud sanctæ Fidei inquisitores Lusitanos. Qui maturo, vt mos est, præhabito consilio, ex consensu aliquorum Patrum Dominicanorum (vt restatur Archidux Albertus Cardinalis in Epistola ad Pontificem pro senatu sanctæ Inquisitionis, cui præerat, conscripta) Molinæ doctrinam tanquam valde probabilem, & nulla censura dignam declararunt.

319 His non acquieuit Magister Banez, quousque ipsius industria eadem Molinæ doctrina apud Vallisoletanos Inquisitores iterum delata fuit; qui litẽ adeo grauem dirimere nolentes, causã ad supremam Hispaniæ inquisitionẽ traduxerunt. Vnde, doctrina eiusque fundamentis attente libratis, victrix secundo euasit scientia Media auxiliis indifferentibus stipata. Interim in vniuersa Societate controuersia ista non sine exterorum plausu eruditissime cœpit illustrari.

320 Videntes igitur aduersarij conatus suos in Hispania irritos, Romam appulere, & causa tandem ad Clementẽ octauum tunc Pontificem delata fuit. Et post priuatos conuentus à Reuerẽdissimis Generalibus Dominicanorum & Societatis coram Eminentissimo Cardinali Madruzio habitos, iussu Sãctissimi vtraque familia scripto tradidit, quid in alterius doctrina displiceret. Quo tandem inter Patres Dominicanos & Iesuitas incepta est controuersia die 20. Martij anni 1602. sub Clemente octauo; & expleta die 28. Augusti anni 1606. sub Paulo quinto; qui, auditis censoribus controuersiis assistentibus, declarauit vt omnis doctrina Molinæ consisteret indẽnis, & vtriusque familiæ sententia in Catholicis academiis tuto & impune doceretur, donec aliud à sancta Sede decernatur, ea tamen lege vt neutram quisque censuris carpat, iniuriisve lacessat.

Hæc censui præmittenda, quibus nullus cordatus refragari potest, vt inde rideas tabellas circa censorum suffragia compositas à Theologo Salmanticensi, & Ioanne à Sancto Thoma, quas tu videas lepide commentatas à nostro Annato disput. 4. cap. 1. quas nos omittimus, quia nouum aliquid inuentum non est à Magistro Viues, cui respondeamus. Et sane interposito censorum iuramento de non propalando suffragio, quid certum constare potest? cum tamen exitus acta probet, quem potuit fœliciorem appetere Molina, quam integram eius doctrinam intactam hactenus consistere, & in totius orbis academiis à nostris, & non paucis exteris mille laudibus extolli. His nos merito absque vllius iniuria gloriamur. 321

* * *



DISPVTATIO V

Status quæstionis, & sententiæ proponuntur.

SECTIO I.

Punctum controuersiæ.

322 ID præstat Viues disp. 1. dist. 1. ait ergo num. 2. Punctum totius concertationis inter Doctores ordinis Prædicatorum & Societatis situm esse in explicāda prima radice, ex qua proueniat extrinseca determinatio causæ secundæ ad suum actum. Extrinseca dixit, vt de solis decretis diuinis loqueretur, nihil attingens de auxilio transeunte & intrinseco, vt decretis Pontificiis obediat.

323 Præter obedientiam, quam laudamus, cætera falsa sunt. Doctores enim Societatis nunquam fatigantur in explicanda radice, ex qua proueniat determinatio causæ secundæ sumpta à decreto, sed in ea extirpanda. Ratio est quia determinatio extrinseca causæ secundæ sumpta à decreto, idem valet ac decretum prædeterminans: sicut ergo præsens controuersia non occupatur in explicando decreto prædeterminante; ita nec in explicanda ea determinatione. Tum etiā quia præsens controuersia non versatur directe & formaliter circa actus voluntatis, qualis est extrinseca illa determinatio, sed circa actus intellectus, qualis est conditionatorum præscientia.

324 Insuper num. 3. ait hic recentior. Patres Societatis non admittere decreta intrinsece efficacia, & actum liberum prædeterminantia, sed in eorum sententia diuinum decretum & concursum tantum esse concomitantem, & ab intrinseco indifferentem. Addit vero circa finem, Deum in nostra sententia non efficere actionem nostram, vt est à nobis.

Hic falsa veris permixta sunt, & alia vlteriori explicatione digna. Verum quidem est Doctores Societatis inuasis decretis prædeterminantibus, sola admittere decreta ab intrinseco indifferentia; illa scilicet, quæ potentiam diuinam præparāt ad nostrū actū, quæque illum præcedunt per se, & essentialiter requisita. Cōcursū autē esse concomitantē & indifferentē cū distinctione à nostris traditū est: sumi enim potest in actu primo pro virtute diuina productiua eiusq; præparatione siue decreto; & hoc pacto concursus est quidē indifferens, nō tamen comitans nostrum actū, sed antecedens titulo principij: & sumi potest in actu secundo, pro actione actū liberum efficiente; qua ratione cōcursus Dei est quidem comitans concursū nostrū, non vero indifferēs, sed intrinsece & essentialiter determinatus: est enim actio indiuisibiliter fluens à Deo simul & creatura. Additio vero illa, scilicet, Deū nō efficere actionem nostrā pro vt est à nobis, falsa est: Aliud enim est actionē nostram, prout est à nobis, non esse à Deo prædeterminante; aliud non esse à Deo efficiente, & id constanter à nostris negatum est. 325

Rursus n. 4. ait Viues. Doctores Dominicanos sēper constantes fuisse pro decretis intrinsece efficacibus & prædeterminantibus. Doctores vero Societatis diuisos esse in admittendis decretis prædefinientibus. 326

Prima pars falsa est. Tum quia aliqui Dominicani ea decreta deseruere. 327

Hi

Hi sunt Magister Bartholomeus Ferreyra, qui Molina concordiam 1. part. sancti Thomæ approbauit; & Balthasar Bucchnerus, qui Herbipolensi academiæ litteris ad Clementem VIII. datis subscripsit. Idem quoad decreta conditionate ex parte obiecti prædeterminantia præstiterunt Ledesma, Nauarrete, & multi alij, vt à nobis probatum est disp. 4. sectio 1. Tum etiam quia in ordine ad actus prauos etiam secundum eorum entitatem, ea decreta detestantur ex Patribus Dominicanis, Blasius verdu relectione contra scientiam Mediam part. 2. conclus. 13. & oppositum dicere *impium & blasphemum* censet ipse Gonzalez 1. part. disp. 59. sect. 2. num. 13. asserens oppositum esse expressam opinionem S. Thomæ, & discipulorum eiusdem, Nazarius tom. 1. in 1. part. quæst. 22. art. 4. controu. 3. *An autem.* conclus. 4. 5. & 6 Magistri Ajanguas & Mandragon. Et Patres Dominicani in vrbe responsione ad defensionem aliquorum Patrum Collegij Romani Societatis Iesu num 26. *Ad bonum,* inquiunt, *præmouet Deus causam naturalem, & etiam liberam, sed non ad malum; quia Deus non est prima causa mali. Hæc doctrina est S. Thomæ 1. 2. quæst. 111. art. 3. ad secundum.*

328 Imo quod caput est, si maiores suos Viues legisset, in auxilio prædeterminante eos discordes comperisset: nam contra admittentes illud, alios impugnantes inuenisset. Hi sunt Soto de natura & gratia cap. 15. vt latissime probat P. Soarius secunda parte de gratia lib. 5. cap. 51. Inter alia ea sunt Soti verba. *Cum ex duobus vtrumque Deus aspiret; cur iste conuertatur, & non ille, reddi non potest caussa, nisi quia vnus præbet assensum, alter vero minime.* Quod falsum esset si vnus prædeterminaretur & non alter, hæc enim esset causa: cur vnus & non alter conuerteretur. Franciscus Romæus Magister generalis Ordinis prædicatorum lib. de necessitate & libertate operum. Thomas Elissices lib. de libertate arbitrij quæst. 4. art. 8. Cathetinus opusc. de præscientia parte 1. & 2. Gonzales de Albelda, qui pro Patribus Dominicanis Romæ disputauit. 1. part. disp. 58. sect. 3. conclus. 2. citans pro se S. Thomam, Contradum, Medinam, Caietanum, Ferratam, & Capreolum Magister Lemos, qui etiam pro Patribus Dominicanis Romæ disputauit, & Romæ publice docuit physicas prædeterminationes esse contra S. Thomam; Quod adeo certum est, vt Caramuel in sua Theologia fundamentali pag. 18. nota 1. prouocet Thomistas, vt sibi probent, Patrem Lemos id Romæ non docuisse. Magistri Mantius primarius Salmanticensis, Magister Ioannes Vincentius, is, qui de gratia Christi luculenter scripsit, vt testantur Ledesma de auxiliis, & Basilius Legionensis variarum part. cap. 3. fine, ita scribens: *Licet nonnulli obstinate prædeterminationem illam voluntatis ex physica Dei motione aut qualitate prouenientem, quæ ita ad vnam partem determinaret ante consensum voluntatem, vt deinceps non esset electionis humanæ illi posita motioni Dei aut obtemperare aut refragari, docuerint: excitauit tamen Deus olim doctissimum & religione exsultissimum virum Ioannem Vincentium ex eadem familia, qui eandem dicendi rationem validissime impugnauit, & morales tantum prædeterminationes, per excitationes, quæ sunt actus intellectus & voluntatis, induxit, legit, dictauit in Salmantino Theologorum gymnasio, me & spectante & audiente: & postea alij ex eadem familia ab illa propositione cum laude*

laude & fructu discesserunt.

329 Secunda vero pars nobis obiecta, scilicet, Doctores Societatis diuisos esse in admittendis decretis prædefinientibus, non est ad rem præsentem. Nam scientia media independens est à decretis prædefinientibus. Vnde siue possibiles sint prædefinitiones, siue non; ab omnibus nostris Doctoribus defendenda suscipitur scientia Media: extra rem ergo diuersitas in prædefinitionibus obiicitur ad præsentem controuersiam.

330 Punctum ergo difficultatis in eo stat. An scilicet Deus certo sciret futura conditionata ante omne decretum actu & formaliter existens in ipso, id est independenter ab eo, quod Deus actu aliquid decernat: an vero id sciat in decreto absoluto ex parte actus, id est actu & formaliter existente in Deo, & conditionato ex parte obiecti: Vt volo prædeterminare Petrum ad consensum casu, quo tali auxilio & circunstantiis vocaretur. Quod decretum est prædeterminans sub conditione, & à Thomistis communiter vocatur prædeterminatio seu prædefinitio conditionata.

331 Patres Dominicani Recentiores docent Deum certo scire futura conditionata contingentia, non quidem in se ipsis, & ante siue independenter à Decreto actu existente in Deo; sed in decreto conditionato ex parte obiecti, & absoluto ex parte actus. Itaque in hac sententia post scientiam simplicis intelligentiæ, qua cognoscit Deus, quid ipse & creatura agere possint, incipit diuina voluntas libere decernens circa omnes combinationes & circunstantias, quas simplex intelligētia repræsentabat possibiles, quia vna sit vel minima, cui suum decretum non correspondeat. Vnde necesse est constituere actu in Deo tot decreta ex parte obiecti conditionata, quot sunt scientiæ futuri conditionati. In huiusmodi ergo decretis (vnde deriuatur in futurum conditionatum infallibilitas existendi postea si conditio poneretur) aiunt, Deum certo & infallibiliter cognoscere futurum conditionatum, quid videlicet ageret voluntas si hoc vel illo auxilio, hic vel illis circunstātiis vocaretu. Vnde inferunt scientiā conditionatorum contingentium non esse Mediam inter scientiam simplicis intelligentiæ & visionis, quia est contemplatio diuini decreti liberi actu & formaliter existentis in Deo, quæ meditatio scientiæ visionis propria est.

Patres vero Societatis omnes tuentur Deum certo scire futura conditionata antequam Deus actu aliquid de- 332
cernat circa illa; id est independēter ab omni decreto actu & formaliter existente in Deo. Itaque in hac sententia antequam diuina voluntas actu aliquid decernat non solum scit Deus quid creata voluntas agere possit sub quacunque cōditione & combinatione possibili, quod spectat ad simplicem intelligentiam: Sed vlterius nouit etiam, quid ageret vel non ageret in quacumque ex illis conditionibus & combinationibus constituta; an videlicet consentiret, vel dissentiret. Hac scientia posita, incipit diuina voluntas pro suo beneplacito decernens tum creaturas, tum etiam conditiones & circunstantias. Quæ omnia spectant ad statum absolutum, & scientiam visionis. Vnde scientia conditionata dicta est Media, quia neque repræsentat objectum vt absolute futurum aut existens, neque vt præcisè possibile, sed vt conditionate futurum aut existens.

In calce non omittam, quod sine formidine pronunciat Viues num. 11. scilicet: Omnes Thomistas semper admisisse scientiam conditionatorum in 333
decreto absoluto ex parte actus & conditio

conditionato ex parte obiecti. Si non extarent scripta Thomistarum, vel cum cœcis loqueretur Viues, difficile conuinci posset: at nos nec cœci sumus, nec scripta Thomistarum ignoramus. Vide mi Lector, quæ à nobis scripta sunt disp. 3. sect. 2. à num. 179. & disp. 4. sect. 1. per totam, & ibi inuenies catalogum Thomistarum, qui eam scientiam in decreto, & decretum ipsum conditionate prædeterminans respuerunt.

SECTIO II.

Authoritas scientiæ Patrum Dominicanorum.

334 DE hoc puncto fœcundus satis & eruditus Viues disp. 19. dist. 2. §. 2. Vbi pro sententia, ex illustri, religione & litteris, Prædicatorum familia, citat quinquaginta quinque authores. Hi sunt.

335 Sanctus Thomas, B. Albertus Magnus in summa tract. 15. quæst. 67. memb. 4. particula 2. D. Antoninus 4. part. summæ Theologiæ cap. 14 de causis gratiæ. §. 2. & cap. 5. de necessitate gratiæ §. 7. Capreolus in 1. dist. 45. quæst. 1. art. 2. Et in 2. dist. 28. quæst 1. art. 3. ad 12. Conradus 1. 2. quæst. 109. art. 9. & quæst. 102. art. 3. versus *Nota secundo.* Caietanus 1. part. quæst. 2. art. 3. § *ad hoc breuiter.* & quæst. 45. art 5. §. *ad Durandum.* Et quæst. 105. art 4. & 5. & quæst 115. art. 6. §. *ad euidentiam.* Heruæus in 1. dist 39. quæst. vnica, & dist. 46. quæst. 2. Ferrariensis 3. contra gentes cap. 89 §. *ad confirmationem.* Soncinas 6. Meta. quæst. 15. ad primum. Iauellus tom. 3. quæst. de prædestinatione cap. 5. §. *Dico.* Dominicus Soto lib. 1. de natura & gratia cap. 18. Bartholomæus Medina 1. 2. quæst. 10. art. 4. Illefonsus de Luna apud Aluarez lib. 1. responsionu cap. 1. num. 28. Cano de locis lib. 2. cap. 4. ad septimum. Ledesma integro tomo de auxiliis. Arauxo 8. Meta. quæst. 9. art. 4. Banez 1. part. quæst 23. art. 5. Petrus Herrera, & Petrus Godois in manuscriptis. Gonzales de Asbelda 1. part. quæst. 14. art. 13. Ioánes à S. Thoma tom. 1. in 1. part. quæst. 14. & quæst. 19. tota disp. 5. Martinez del Prado in opere Metaphysico tom. 1. 2. parte controu. 11. art. 6. §. 3. Catherinus in opusculo de præsciētia & prouidētia apud Aluarez lib. 2. responsionum cap. 1. n. 28. 50 51. & 63. Sixtus Senensis lib. 6. Bibliothecæ adnot. 248. Iansenius cap. 47. concordiæ Euangelicæ. Deza in 1 dist. 38. Franciscus d'Auila de auxiliis cap. 13. 22. & 27. Nauarrete quæst. 14. art. 13. Gregorius Martinez 1. 2. quæst. 9. Nunō 3. part. quæst. 62. Flandria Meta. quæst. 11. ad quintum. Xantes Mariales 1. part. tom. 1. controu. 34. cap. 3. §. *de his sermo.* Nazarius 1. part. quæst. 14. art 13. Zanardus ibidem. Iosephus à Sācta Maria de libero arbitrio quæst. 4. art. 5. Didacus Ortis, & Cōmas de Lerma 2. physic. Didacus Aluarez de auxiliis, & responsionū lib. 1. cap. 4. Gregorius Cipullus tom. 1. in 3. part quæst. 19. art. 3. dub. 3. Dominicus Grauina catholicarum præscriptionum tom. 3. lib. 4 art. 4. ad trigesimum tertium. Petronius 2. physic. Ripa 1. part. quæst. 14. art. 3. dub. 1. c. 3. Rispollus l. 2. quæst. 1. Vilar. tom. 1. in 1. part quæst. 14. art. 13. Ildefonsus Baptista 1. 2. tom. 1. quæst. 6. art. 4. num. 252. & 281. Biescas 1. part. quæst. 14. art. 8. Villalpando 2. Physic. D. Vincentius Ferrarius parte Triennali Sermone 1. feriæ 2. quadragesimæ ante medium. Didacus Masius tom. 1. Philosop. lib. 2. sect. 3. quæst. 3. in fine Blasius Verdu opusculo de auxiliis. Serra tom. 1. in 1. part. quæst. 14. art. 13. Lanuzæ tom. 2. homil. 29. num. 50. Maluenda tom. 5. cap. 1. Ezechielis versu 4 Ferdinādus. in Ecclesiasten cap. 3 versu 14 num. 4. 6. & & 9. Ludouicus Istella in Exodum

dum cap.4.vers.27.& cap.7.vers.3. & cap.11.versu vltimo.

336 Aduocat insuper pro sua sententia Viues ibidem à num.12.ordinem Carmelitanum discalceatorum:id est duos Theologos Salmanticensem & Ioannem à Cruce 1.part.quæst.14.art.13. totidemque philosophos Complurenses, Philippum, & quendam Bonæ spei. Ordinem S. Hieronymi vno solo producto Cabrera 1.part.disp.1.§.22.& quæst.18.art.2.disp.2. Ordinem Clericorum Minorum regularium nullo allegato authore. Ordinē Beatæ Mariæ de Mercede, E quibus Zumel 1. part. quæst.14.art. 13.disp.8.& tom.opuscul.à disp. 1.Machin.1.part.quæst.14. art.13.Hieronymus Perez 1.part.quæst. 14. art. 13. & quæst. 22.art.1.2.& 3.

337 Præterea num.15.suis adscribit totam vniuersitatē Louaniensem, quæ publico statuto, eliminatis decretis indifferentibus, prædeterminantia probauit. Cuius authores dat Viues num. 17. Quos inter numerantur magni illi Ioannes Driedo, Ruardus Tapperus. Cunerus, & Stapletonius, Principes Louaniensis academiæ.

338 Rursus suis adnumerat Viues num. 16.Corneium, Curielem, Basilium Legionensem Ram.Siluium.Villegas,& Lorcā. Hi sunt authores, qui pro sciētia conditionatorū in decreto citātur à Viues. An autem omnes in ea fuerint sententia hoc opus, hic labor.

SECTIO III.

Veritas præcedentis catalogi libratur.

339 ANte omnia, cuius sit S. Thomas in præsenti controuersia, ius est in armis; suumque locum habebit hæc pugna, vincet qui poterit.

340 Deinde circa Doctores Dominicanos, falso citantur pro scientia conditionatorū in decreto absoluto ex parte actus & conditionato ex parte obiecti. Primo Antiquiores Prædicatorum Magistri. Si verbum hoc steterit in ore duorum vel trium testium, legitima erit ex Christo D. probatio. Testes igitur huius rei sunt Duo Magistri Dominicani, Aluarez, & Ledesma. Aluarez ergo lib.1.responsionum cap.5.num. 26. ita scribit. *Scholastici antiqui nihil omnino de scientia sub cōditione disputarunt, aut meminerunt: vnde non mirum, quod nullam fecerint mentionem diuini decreti conditionati, in quo infallibilitas futurorum conditionatorum innititur.* Si hæc vera sunt: ergo falso citantur à Viues pro decreto illo conditionato,& scientia conditionatorum in illo. Ledesma vero disp.affini de scientia futurorum contingentium f.582.colum. 1.ita scribit. *Secunda conclusio. Prima sentētia(* scilicet affirmans Deum certo scire futura cōditionata*) iuxta secundum modum(* scilicet in decreto cōditionato prædeterminate*) declarata, est falsa & improbabilis. Hāc cōclusionē docet omnes authores secūda sententia, & præcipue omnes illi qui sequunturdoctrinā D. Thomæ.* E quorū num. sine dubio sūt Antiquiores Dominicani. Videas à nobis dictata disp.3.sect.2.& d.4. sect.1. Ex his ergo testimoniis melior pars Dominicanorū, eo catalogo cōtenta, negatur à nobis. Nec id tentantes asserimus, sed certi, & securi; quod oppositum non probatur.

Videamus tamen, quo fundamento suam sentētiam impingat Viues antiquioribus Thomistis. Quia P. Soarius (inquit num. 9.) veritate conuictus plane fatetur his verbis. *Quamuis hi authores,* scilicet Thomistæ, *in modo negandi vel admittendi scientiā conditionatam futurorum contingentium inter se dissentiant: in vno puncto maxime cōueniunt; nimirum non posse scire Deum* 341

determinate ad quam partem inclinanda sit libere voluntas creata applicata ad agendum cum omnibus prærequisitis, nisi secundum rationem præcedat in voluntate Dei decretum determinandi illam, vel absolute, vel ex hypothesi iuxta scientia qualitatem. Ergo ex mente Soarij omnes Thomistæ stetere pro decretis conditionatis ad cognoscenda futura conditionata; & pro decretis absolutis ad cognoscenda absoluta; id sibi vult, *iuxta scientia qualitatem.*

342 Nimia celeritate legit P. Soarium recentior iste, si forte legit. Respondeo negans consequentiam. Ea enim Magni Soarij verba habentur prima parte de gratia, prolog. 2. cap. 1. n. 5. & mentio ibi facta est tantum de Recétioribus Thomistis, scilicet Aluarez, Ledesma, Cabezudo, Ripa, & Verdu. De quibus ait P. Suarez conuenisse in eo, quod si certo cognoscendum à Deo sit futurum conditionatum, debeat procedere decretum conditionatum; inde tamen non sequitur admissum esse ab omnibus tale decretum, nec sciētiam conditionatorum in illo. Sicut licet omnes conueniamus in eo, quod si hic sacerdos auditurus sit confessiones, necessario debeat præcedere approbatio, inde tamen non sequitur admittere omnes, hunc sacerdotem esse hic & nunc approbatum. Imò si ex aliquo capite constet non stare approbationem, non obstante ea propositione in qua omnes conueniebamus, dicimus hunc sacerdotem expeditum non esse ad audiendas confessiones. Ita discurrebant aliqui cum Ledesma, ex vno capite exigebant decretum conditionatum ad certo cognoscendum futurum conditionatum, in quo conueniebant cum aliis Thomistis; ex alio capite illud decretum vel non admittebāt dari de facto, vel esse prorsus impossibile: inde inferebant, Deū certo non scire futura conditionata contingentia.

Nec melius est aliud fundamentū, quod innuit Viues numer. 10. scilicet 343 Doctores omnes Dominicanos stare pro decretis conditionate prædeterminantibus, quia omnes stetere pro absolute prædeterminantibus. Tum quia falsum id est, vt ostendimus sect. 1. num. 327. Tum etiam quia hoc permisso non probatur assumptum: quia vel non meminerunt conditionatorum, vt aiebat Aluarez; vel ea negauerunt, vt scribebat Ledesma. Nec testes, quos in sui fauorem exhibet Viues, scilicet, Aluarez & Ioannes à S. Thoma, legitimi sunt in hoc iudicio, cum sint litigantium pars. Et Aluarez, si quid tale dicat, sibi contradicat, vt constat ex dictis.

Secundo falsò citatur à Viues ex 344 Doctoribus Dominicanis, Ledesma. Res est clara, & quæ nulla possit tergiuersatione celari. Ledesmam enim decretum conditionate prædeterminans ex parte obiecti reiecisse, & multis impugnasse, euidenter à nobis conuictum est disp. 3. sect. 2. & disp. 4. sect. 1. & sane non video qua fronte possit hic author pro sententia Thomistarum allegari.

Tertio falsò citatur Nauarrete. Quià 345 nec decretum conditionatum, nec scientiam conditionatorum in illo, admisit formaliter in Deo, sed tantum eminenter siue virtualiter. Testis est Gonzalez de Albelda Dominicanus 1. part. disp. 44. sect. 1. num. 12. ita scribens. *Tertia sententia est, quam tenet Nauarrete controu. 56. vbi tria dicit. Primum est, scientiam istorum futurorum conditionatorum non esse formaliter in Deo, sed solum eminenter, seu virtualiter. Secundum est, hanc scientiam diuersis rationibus esse coniecturalem, & certam. Sic asserit concl. 6. vbi etiam hanc scientiam appellat Mediam*

diam. Tertium est, diuinum decretum circa hac futura non esse formaliter in Deo, sed solum virtualiter. Hæc Gonzalez. Falsò ergo allegatur à Viues Nauarretus pro scientia formali conditionatorum in decreto actu & formaliter existente in Deo.

346 Quarto falsò citatur nunc Cabezudo. Qui licet circa decreta conditionata nihil definiat; expresse tamen scientiam infallibilem conditionatorum Deo negat 3.part.quæst.62.

347 Quinto falsò citatur Ripa, qui 1. part.quæst.14.art. 13. dub. vlt. nulla distinctione aut limitatione adhibita negat, Deum certo scire futura conditionata, nulla facta mentione conditionalium decretorum.

348 Sexto falsò citatur Blasius Verdu. Tum quia nullibi defendit decreta conditionalia imò fol. 12. affirmat: Deum cognoscere peccata in quæ homo laberetur, ante omne decretum actu habitum; quæ scientia, si certa sit, nostra est sententia. Tum etiam quia relectione contra scientiam Mediam, si quam scientiam conditionatorum Deo concedit, conclus.3. eam scientiam ait esse naturalem, atque adeo antecedere omne decretum liberum; quæ non est sententia Thomistarum, sed ipsis omnino contraria. Tum denique quia ibidem ita loquitur de decretis cõditionatis. *Incidunt ergo in Scillam cupientes vitare Carybdim, qui dum refellunt scientiam Mediam, aliam (licet non eodem modo) introducunt; nempe qua non sit simplicis intelligentia, qua fertur in possibile: nec visionis, qua ex Diuo Thoma fertur in ea, qua de facto futura sunt; sed libera ratione decreti conditionati. Itaque non est admittendum istud decretum condi ionatum, vtpote in perfectissima libertate diuina otiosũ.*

349 Septimo sine fundaméto citatur S. Vincentius Ferrarius. Probatur, quia non alio fundamento citatur à Viues disp.19.num.11. nisi quia parte hyemali serm. 1. Feriæ 2. Dominicæ etiam 2. Quadragesimæ dixerat: *Quacumque Deus ordinat ad aliquem finem, ordinat etiam viam & modum veniendi ad illum finem.* Et post pauca cum Gregorio: *Obtineri nequaquam possunt, qua pradestinata non fuerunt; sed ea, qua sancti viri orando efficiunt, ita pradestinata sunt, vt precibus obtineantur.* Et Feria 2. post Dominicam in Passione docet solemnem illam diuisionem sensus diuisi & compositi, quę videtur prædeterminantium caracter, his verbis: *Christus dicit, non potest arbor mala bonos fructus facere, neque arbor bona malos fructus facere Mat.7. & hoc intelligatis in sensu composito.* Hoc autem fundamentum friuolum esse, ne dicam ridiculum, ad inferendam hanc consequentiam: ergo S.Vincentius stat pro scientia infallibili conditionatorum in decreto conditionato; cæcus est qui non videat.

Octauo, falsò citatur Capreolus, 350 qui non decretum, sed solam præsentiam in æternitate censuit esse medium cognoscendi futura contingentia. Testatur Aluarez Dominicanus. De auxiliis lib.2.disp.10. num.1. his verbis. *Prima sententia est Capreoli in 2 dist.38.art.2. quæst.1. ad argumenta Durandi contra primam conclusionem; quam sequitur Franciscus à Christo eodem lib.dist.39.quæst.6. Et Palacios dist.38.quæst.2.circa finem, & nonnulli alij Theologi, qui sentiunt, totam rationem, propter quam Deus cognoscit futura contingentia, esse actualem prasentiam, quam habent ab aterno in aternitate: ita videlicet, vt si tollatur per possibile vel impossibile talis prasentialitas non posset cognitio Dei respectu*

pectu futurorum esse certa & infallibilis. Falsò ergo citatur Capreolus pro scientia futurorum in decreto.

351 Circa Doctores autem exteros: Nono falsò citantur Cabreta & Zumel. Iste enim 1.part.quæst.14.art.13.disp. 8.conclus.3. hanc fert sententiam de decreto illo conditionato. Respondet, inquit, nonnulli, quod licet Deus illa (scilicet conditionata) non decreuit absolute, nihilominus decreuit sub conditione. Contra quam responsionem statim addit Zumel: *Ridicula sane responsio, quæ Deum imperfectum reddit.* Eisdem ferme verbis loquitur Cabreta tom.1.in 3.part.quæst.1.art.3 disp.2.§.22. *Responsio, ait, friuola, & in Deo imperfectionem constituens.* Hi autem Doctores, vt optime conuincit noster Fasolus 1.part.quæst.14.art. 13.dub.16.& 17. scientiam conditionatorum admittebant in decreto conditionato ex parte actus, qua parte à Thomistis declinant in Iesuitas.

352 Decimo, Falsò citantur ex Doctoribus Louaniensibus magni illi duo Ioannes Driedo, & Ruardus Tapperus. Nostri enim sunt; Quod adeo clarum est, vt ab ipsis Thomistis Tapperus inter nostros numeretur. Bannez cum nobis largitur 1.part. quæst. 23. art.3. §. *secundus sensus*. Eiusdem donatio facta est à Zumelio tom.2. in 1. 2.quæst.111.art.3.disp.1.dubitatione appendice prima, initio. A Cabrera tom.3.in 3.part.quæst.62.art.1.disp.8. §.2.num.19. A Ledesma tract. de auxiliis in fundamētali propositione quæstionis pag. 7. §. *Ex hac sententia.* Et art. 10. pag. 189. §. *In hac difficultate.* Et art. 13. pag. 273. § *Inter Catholicos.* Ruardus autem plane fatetur sequutum se vestigia Præceptoris sui Ioannis Driedi, quem idcirco allegat a.7. de libero arbitrio propos. 10. pag. 309. & id fatetur Aluarez lib. 1. responsionum cap. 1. num. 30. §. *Quod dictum est.* Quare & Driedum æque ac Tappetum concedit nobis Ledesma locis citatis.

Vndecimo ex eisdem Louaniensibus falsò citatur Cunerus Episcopus Leouardiensis. Audi illum tract. de libero arbitrio cap. 9. *Fit quidem, vt positis iisdem fidei & conuersionis principiis, similibus Spiritus sancti illustrationibus, suasionibus, & inspirationibus: vnus sua libera voluntate eas reiiciat, & non credat; alius sequatur & credat; cæterum qui conuertitur non ex sola voluntatis virtute hos instinctus sequitur, sed Deo generaliter & Patre misericordiarum cooperante, & Spiritus Sancti inspiratione comitante. His tamen non obstantibus potuit is, qui credidit, hoc facere, quod fecit is, qui in infidelitate permansit; & is idem id ipsum potuit facere, quod fecit is qui acquieuit; quoniam positis huiusmodi præuenientibus adiutoriis, ipsa diuina & Spiritus Sancti cooperatio ex Dei benignitate in ipso hominis arbitrio quoque posita est, vt ex Deo operari possit, & ex se cessare. Quo casu verissimum esse cernimus, quod inter hos diuersitas ex libero nascitur arbitrio; quoniam qui resistit, ex eisdem gratiis acquiescere potuit; & is qui locum dedit Spiritui Sancto, similiter resistere potuit.* Hæc ille, quibus integrum scientiæ mediæ fundamentum perspicuè continetur. 353

Duodecimo, Falsò etiam citatur Stapletonius; nostram enim sententiam expresse tenet in Antidotis Apostolicis in Epist. ad Romanos cap.9. vers. 11. §. *Deū altitudine intellectus sui.* Vbi præmissa distinctione triplicis scientiæ, scilicet possibilium, absolute futurorum, & sub conditione, paulo post ita scribit. *In hac ergo æterna sua præscientia* (scilicet conditionatorum) 354

natorum) *Deus videns quid quisque hominum facturus esset, si talis rerum ordo & cursus poneretur, ipsisque hominibus talia & talia gratia sua auxilia Deus impartiret; cum quosdam videret talibus auxiliis gratia sua, si darentur, per ipsius gratia adiutorium, liberique arbitrij concursum, recte & perseueranter vsuros, hac auxilia ex suo beneplacito praparauit, & conferre statuit: & hac praparatio pradestinatio eorum erat, quos per prascientiam illam hypotheticam nouerat ex illis auxiliis salutem adepturos. Non vti dixi quod talis prascientia fuerit aliqua causa pradestinationis facta (nam habita illa prascientia ex hypothesi pro sua tantum libera voluntate, & ex suo solo beneplacito decreuit Deus dare bene vsuris illa media atque auxilia gratia sufficientia & congrua, & consequenter ad vitam quoque aternam pradestinauit) sed ipsam pradestinationem talis prascientia necessario antecessit. Cuius hac certa & perspicua causa dari potest. Sicut talis prascientia in Deo non fuisset absque futuro de facto bono vsu talis gratia, si daretur (non enim quia futurum bonum vsum prasciuit Deus, ideo futurus erat, sed quia talis vsus ex libero voluntatis influxu vere futurus erat, ideo eum futurum Deus prasciuit) sic aliqua prascientia eiusdem boni vsus praparatio eorum auxiliorum non sortiretur rationem pradestinationis circa ipsos pradestinatos, sed solius prouidentia rationem retineret. Nam sola ratio conferendi his & illis talia media & auxilia gratia, absque praeuiso ipso eorum vsu, qualis futurus sit, est tantum prouidentia Dei circa homines ad beatitudinem perducendos. Pradestinatio vero, qua superaddit prouidentia prascientiam illam futuri certi vsus, certique rerum exitus includit, vt vbi bonus vsus prascitur; & ex puro Dei beneplacito acceptatur, pradestinatio consequatur. Facit ergo hac prascientia in Deo, vt qua ex solo suo beneplacito ad beatitudinem media conferre determinat, pradestinationis rationem habeant.* Hæc Stapletonius, hoc testimonium irrefragabile pro scientia Media.

Idem stabiliuit magnus ille Doctor multis aliis locis, præsertim in antidotis Euangelicis in cap. 11. Matth. vers. 12 & in acta Apostolorum cap. 9. vers. 6. & in cap. 15. Ioan. vers. 9. & in promptuario Catholico Feria 6. hebdomadæ 1. Quadrag. vers. 2. 355

Decimotertio. Falso citatur Magister Lorca in quo etiam deceptus est Didacus Aluarez. Clarissime enim multis in locis nostram tenet sententiam. Maxime tom. 1. in 3. part. quæst. 1. art. 3. disp. 10 memb. 2. num. 26. inbibito etiam in illo n. 27. in illud S. Thomæ, *Ad quartum dicendum, quod pradestinatio supponit prascientiam futurorum, &c.* Vbi ita scribit. *Ex quibus S. Thoma verbis constat prascientiam illam, quam dicit supponi ad pradestinationem, non esse scientiam simplicis intelligentia nec scientiam visiones, sed scientiam, quam vocant Mediam, qua est de futuris contingentibus conditionatis: qua ex hoc loco S. Thoma manifeste adstruitur.* Et in calce idem iterum inculcat Magister Lorca inquiens. *Non dicit peccatum illud* (scilicet originale) *fuisse praeuisum ante pradestinationem scientia absoluta, quoniam hac scientia posterior fuit pradestinatione Christi. Loquitur ergo de scientia conditionata, qua est prior omni decreto productionis, & Media inter scientiam possibilium, & scientiam eorum, qua absolute futura sunt, qua scientia Deus cognoscit non solum quod est possibile, sed etiam quod foret, & esset in omni* 356

euentu , & ordine rerum, & supposita quacumque conditione dependente à voluntate sua vel aliorum , & à quacumque suppositione. Quid clarius ?

357 Decimoquarto , Falsò citatur ex Salmantinis Curial. Nam licet 3. p. quæst. 11. de scientia Christi ad 1. art. negauerit propositionibus de futuro contingenti determinatam veritatem : re tamen melius considerata vltimo vitæ suæ controuersiarum opere , ea sententia tetractata, nostram amplexus est , controu.7. alias 1.in cap.4.Sapientiæ art.4. n. 1. & controu. 2. in cap. 1. Epist. 2. B.Petri in illud , *satagite vt per bona opera* , &c.à num.208.

358 Denique falsò citatur Básilius Legionensis. Nam tractatu vltimo vitæ suæ de auxiliis disp. 5. toto dubio 3. physicam insequitur Præmotionem, & impense eam reiicit. Nec huius rei nos testes sumus , sed Angelus Manrique, qui antecessores habuit in primaria Salmanticensi Cathedra Curielem, Antolinez,Basilium & Cornejū hic autor , qui nec Dominicanus est, nec Iesuita volumine fere integro pro scientia media Typographis iam missο,vt testatur P.Henao ventilatione 3. num.19.fine lib.3.controuers.25.c.4. num.8.postquam Curielem pro sciētia media militantem exposuit : Circa Basilium & Cornejum subdit. *Tertius à primo Basilius Legionensis publicauit eandem,scilicet scientiam Mediam, in suis quod libeticis quæstionibus Salmantica excusis.Et tandem quartus,& cui nos successimus Franciscus Cornejo, eandem scientiam publice dictauit, cuius nos testes sumus. Nec inficiamur, quod aliqui eorum retractare dicuntur. Sed de retractatione nobis non constat: de sententia non licet dubitare.*

359 Hæc , quæ ex maiori parte multis abhinc annis prælo excusa ferebantur , videre Viues debuisset , & respondere. Scriptoris enim non est authores sine lege congerere , sed eos, quos pro opposita sententia citatos reperit , pro sua non sine probatione allegare. Hæc nobis sufficiant , vt firma fides Catalogo à Viues composito à nemine adhibeatur.

SECTIO IV.

Authoritas domestica sententia Patrum Societatis Iesu.

HOc discrimen aduertendum est inter Patres Prædicatores & Iesuitas , quod illi quatuor iam sæcula consummata à fundatione clarissimi sui Ordinis numerant ; nos vero vnicum tantum. Quare computatis sæculis , si quartam partem authorum, quos ex magni Dominici familia citat Viues , dederimus è Societate , æquales erimus. Si vero tot fuerint de Societate , quot Dominicani , multis excedemus. Si autem fuerint multo plures , continget Minimæ Societati, quod minimo Beniamin , qui fratres suos maiores in donis à Ioseph acceptis quinque partibus excedebat. 360

Pro scientia ergo conditionatorum ante decretum actu & formaliter existens in Deo , siue Media,à Deo constantes & concordes militarunt omnes Doctores Societatis , vt ex mille & quingentis , qui in prima centuria à Societate nata scripta sua prælo commendarunt, quos omnes refert in sua Bibliotheca noster Philippus Allegambe ; præter innumeros alios,qui post primam centuriam consummatam 361

matam prodiere; nec vnus est qui dissentiat. Nec fides adhibenda Ioanni Martinez de Prado Dominicano 2. parte controuersiarum Metaphys. controuers. 12. art. 3. §. 3. num. 45. allegauti contra scientiam Mediam è Societatis Doctoribus P. Henriquez P Pereiram P. Michaëlem Marcos P. Azorium, & Ferdinandum de la Bastida. Hos enim Doctores ab hac impostura vendicarunt Paulus Leonardus 2. part. sect. 15. vbi etiam Cardinalis Toletus & Bellarminus ab eadem impostura vendicatos videas. Idem præstiterunt P. Fasolus 1. part. quæst. 14. art. 13. num. 184. Et nouissime P. Henao ventilatione 5. Qui vero eam scientiam post rem diligenter agitatam diserte tuentur, sunt de Societate.

362 P. Ludouicus Molina 1. part. quæst. 14. conclus. 1. & in concordia quæst. 14. art. 13. disp. 50. §. *Triplicem sententiam*. Et quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 9. §. *& quidem Deus*, & memb. vlt. P. Fonseca lib. 6. Metaphys. tom 3. cap. 2. quæst. 4. sect. 8. §. *Vnde apertè*, & sect. 10 ad tertium. P. Franciscus Soarius in opusculis lib. 2. de scientia conditionata cap. 7. num. 15. & cap. 8. num. 8. Et 1. parte de gratia prolog. 2. cap. 5. Et 2. parte prolog. altero P. Gregorius de Valencia tom. 1. quæst. 14. disput. 1 punct. 5. §. 2. vers. *Secundum est*, & vers. *Nunc his ita explicatis*. P. Gabriel Vasquez tom. 1. in 1. part. disp. 67. cap. 4. num. 21. Cardinalis Robertus Bellarminus lib. 2. de amissione gratiæ cap. 17. ad primam rationem. Et lib. 4. de gratia & libero arbitrio cap. 12. & 13. Cardinalis Ioannes de Lugo de Incarnatione disp. 20. sect 2. num. 33. fine. P. Becanus 1. parte tr. 1. cap. 19. quæst. 9. concl. 1. & quæst. 11. num. 2. & quæst. 12. conclus. 1. P. Coninx 2. 2. disp. 2. dub. 7. num. 107. P. Turrianus 2. 2. disp. 75. dub. 3. P. Rubius 2. physicorum tract. 4. quæst. 8. PP. Connimbricenses ibidem cap. 5. quæst. 13. P. Ruitz de Montoya de scientia Dei disp. 70. & sequentibus P. Arrubal. 1. p. disp. 42. c. 3. & disp. 46. cap. 1. P. Herize tractat. 1. de scientia Dei disp. 7. cap. 7. P. Granadus tract. 5. de scientia conditionata disp. 4. n. 4. & disp. 8. sect. 1. n. 7. & sect. 2 num. 10. P. Albertinus tom. 1 quæst. 4. Theologica in 4. corollarium dub. 1. assertione 2. num. 15. & dubit. 2. num. 4. P. Meratius tom. 1. tract. de Deo disp. 28. sect. 4. *Ex his constat* & sect. 5. concl. 3. P. Tannerus 1. parte disp. 2. quæst. 6. dub. 8. assertione 3. P. Fassolus tom. 2. in 1. partem quæst. 14. art. 13. dubit. 17. num. 283. P. Lessius in Apologetico de gratia efficaci cap. 19. num. 18. & l. 6. de diuinis perfectionibus cap. 2. n. 22. P. Alarcon 1. p. tract. 2. de scientia Dei disp. 4. c. 6. P. Ioannes de Salas tom. 1. in 1. 2. tract. 3. disp. 1 sect. 6. & tract. 5. disp. 3. sect. 2. P. Dionysius Petauius tom. 1. Theologicorum dogmatum lib. 4. cap. 8. P. Marcus Antonius Palumbus 1 part. quæst. 14. Doctrina 4. P. Antonius Perez 1. part. num. 88. P. Iulius Cæsar Recupitus tom. 2. in 1. part. lib. 1. quæst. 17. & 18. P. Franciscus Gonzalez de sancta Cruz P. Bartholomæus Amicus & P. Baltazar Tellez in physicis P. Sfortia Palauicinus 1. part. & 1. 2. P. Antonius Ricardus disp. de libero arbitrio, & in responsione ad obiectiones Vincentianas P. Petrus Hurtado disp. 9. de anima, & de Incarnatione disp. 55. sect. 2. n. 54. P. Gaspar Hurtado de scientia Dei diffic. 10. P. Monçeus disputationibus Theologicis disput. 3. cap. 9. §. *Iam ostendo*, & cap. 16. §. *At imprimis*. P. Raguza de Incarnatione disputation. 30. §. 5. P. Raynaudus in Theologia naturali distinct. 8. quæst. 1.

art. 2. num. 37. & de noua libertate parte 2. cap. 8. num. 3. P. Martinus Bresserus lib. 6. de conscientia cap. 19. à num. 257. P. Gualterius in Chronologia sæculo1. quarta veritate §. 24. & sæculo 4. veritate 4. §. 13. P. Salazar de Conceptione cap. 9. num. 32. & cap. 24. numer. 60. P. Burghesius continentia Christiana cap. 11. & 12. P. Ioannes Martinez de Ripalda de ente supernaturali disputat. 103. *P*. Franciscus Amicus de scientia Dei disputat. 12. sect. 12. numer. 200. & sequentibus *P*. Ioannes *P*ræpositus dissertatiuncula de scientia Media dubio 2. *P*. Arriaga disputat. 8. de Anima sectio 3. subsect. 2. & de scientia Dei disputatio. 21. sectio 2. *P*. Zuniga de Trinitate quæstio. 34. disputatio 9. dubio 7. membro 2. numer. 8. *P*. Hemelman tom. 2. titulo 13. disputatio 1. capit. 4. numer. 26. & titulo 14. disputatio 2. cap. 3. numer. 7. *P*. VVadignus de Incarnatione disputatione 9. dubio 4. numer. 21. *P*. *P*erlin Apologia Scholastica pro Conceptione Virginis distinct. 4. capite 11. numer. 2. & capite 4. num. 1. *P*. Franciscus de Lugo lib. 1. in 1. parte disputatio. 32. ante cap. 1. & disputatio 37. de prædestinatione capite 1. numer. 7 & sequentibus *P*. Martinon de scientia Dei disputatio. 10. sectio 10. *P*. Alphonsus 2. physicorum. Tres primarii in nostro Collegio Valentino Theologiæ *P*rofessores. Scilicet *P*. Augustinus Bernal de Incarnatione disputatio. 18. sectio. 3. numer. 53. *P*. Ludouicus de Ribas de Scientia Dei disputatio 6. cap. 5. numer. 44. *P*. Martinus *P*erez ab Vnanoa de Incarnatione disputatio. 13. sectio. 2. numer. 8. *P*. Aldrete de Incarnatione tom. 1. disputatio. 21. sect.o. 1. *P*. Gaspar Ribadeneyra de prædestinatione à disput. 3. & de scientia Dei disputatio 20. & 21. *P*. Christophorus de Vega in Theologia Mariana *P*alæstra 2. certamine 3. & 4. *P*. Carleton in sua *P*hilosophia disputatio 46. sectio 4. *P*. Ildephonsus de *P*ennafiel disputatio 5. de posteriori resolutione ordine 14. quæstio. 1. num. 10. & quæstio. vltima disputatio 9. à sectio. 3. *P*. Franciscus Annatus integro tomo pro defensione scientiæ Mediæ *P*. Richardus Lynceus. tom. 1. *P*hilosophiæ lib. 10. tractat. 4. cap. vltimo *P*. Azor tom. 1. lib. 1. capite 21. quæst. 8. *P*. Bernaldus de Quiros in 1. parte *P*. Gaspar de Henao sua scientia Media historicè propugnata, & alij apud ipsum.

Ex sacrorum Bibliorum interpretibus Cardinalis Toletus in capite 10. Lucæ annotatione 18. notabili 5. *P*. Alphonsus Salmeron tom. 4. in Euangelia parte 3. tractat. 14. §. *ad secundam quæstionem* *P*. Cornelius à Lapide in capite 38. Ieremiæ vers. 17. & in Epistolam 2. ad Timotheum cap. 2. vers. 19. *P*. Lorinus in cap. 4. sapientiæ vers. 11. & in capite 11. vers. 18. *P*. Iustinianus in cap. 3. ad Ephesios vers. 11. *P*. Ioannes Mariana. *P*. Gaspar Sanchez & *P*. Ioannes Rodolphus de Cordoua apud *P*. Henao ventilatione 17. *P*. Canisius in appendice Catechismi de hominis lapsu & iustificatione cap. 5. *P*. Maldonatus in Euangelia in cap. 6. Ioannis ad illa verba. *Nisi Pater meus traxerit eum* num. 67. & in cap. 15. eiusdem Ioannis ad illa verba *Manete in me, & ego in vobis*. num. 4. *P*. Barradas tom. 3. cap. 11. ad illa verba Lucæ: *Væ tibi Bethsaida P*. Antonius Fernandez de visionibus veteris testamenti visione 6. capite 3. Commentar.

mentar. 1. sect. 1. num. 1. Franciscus de Mendoza tom. 3. in lib. 1. regum cap. 11. num. 26. in expositione literæ annotatione. 1. circa litterã n. 1. P. Iacobus Pintus de Christo cruxifixo lib. 2. titulo 1. loco 1. num. 13. P. Tirinus in Epist. 2. Beati Petri cap. 1. versu 13. P. Contzen in epist. ad Rom. cap. 9. vers. 11. quæst. 7. §. 6. P. Gabriel Aluarez tom. 2. in Isaiam cap. 40. ver. 11. num. 299. & cap. 41. ver. 22. num. 256. P. Gordonus in cap. 4. Sapientiæ. ver. 11. & in 2. ad Timotheum cap 3. vers. 19. P. Vincentius Regius tom. 1. concordiæ in euangel. lib. 4. cap. 10. theorica. 1. num. 1. P. Bonarcius in cap. 16. Ecclesiastici ver. 16. P. Didacus de Baeza tom. 3. commentariorum moralium lib. 14. cap. 16. P. Didacus de Baeza tom. 3. commentariorum moralium lib. 14. cap. 16. §. 35. P. Ioannes Philippæus tom. 1. in Oseam cap. 2. ver. 13. cap. 4. & 11. P. Viegas & P. Guetara apud Ripaldam de ente supernaturali disp. 113. num. 25. P. Antonius de Escobar tom. 1. problematum moralium. lib. 1. num. 5. P. Sherlogus tom. 1. in cantica anteloquio 4. sect. 1. num. 7. P. Delrius in cap. 6. Genesis vers. 8. num. 21. & in cap. 50. ver. 19. num. 11. P. Ludouicus à Ponte tom. 1. in cantica exhortatione 6. §. 1. P. Masuzius in vita S. Pauli lib. 2. cap. 6. P. Ioannes Vvalterius de triplici cœna Christi, cœna. 2. cap. 13. P. Crombecius de studio perfectionis lib. 1. cap. 4. num 11. P. Salianus tom. 2. anno Mundi 2543. num. 52. P. Velasquez in epist. ad Philippenses cap. 1. ver. 21. annotatione 15. morali num. 8. P. Andræas Pintus Ramirez de conceptione num. 6.

363. Habes mi Lector pro scientia Media centum authores de Societate vnica tantũ eius centuria consummata, contra paucos Dominicanos quarta iam centuria eorum expleta pro scientia conditionatarum in decreto militantes. Vnde concordiæ Patris Molinæ opportune aptauit P. Henao, quod de Cibele cecinit Poëta.

Felix prole virum centum complexa nepotes.

Quis quem in hac parte vincat otiosum est inquirere. Ad authores externos, qui nec Dominicani sunt nec Iesuitæ procedamus.

SECTIO VI.

Authoritas externa sententiæ Societatis Iesu.

NOn Soli in stadio scientiæ Mediæ currimus Iesuitæ, sed ingentibus & validissimis stipati copiis. Nec id dirigimus ad plausum populorum, & inanem fastum; sed vt more iustitiæ tribuatur vnicuique quod suum est. Ex his, qui ad patrocinium scientiæ Mediæ ingenij sui, vt cum Marone de Apibus loquar. 364.

Spicula quæ exacuunt rostris aptantque lacertos.

Adstipulantur nobis.

Primo ex vniuersitate Parisiensi Petrus à sancto Iosepho è Congregatione Fuliensi tract. De diuina gratia disp. 7. sect. 3. num. 3. Et opere de suaui cõcordia humanæ libertatis disp. 4. sect. 4. num. 4. Abra de Raconis in Philosoph. tract. de principiis sect. 3. quæst. 1. in fine primæ propositionis §. *Respondeo ad maiorem.* Philippus Gamachæus 1. 2. quæst. 111. cap. 6. de gratia efficaci cõclus. 2. responsione ad 4 vbi §. *Vbi obserua.* Andræas Duuallius tract. de actionibus humanis tit. *Vtrum præfinitio &c.* §. *hoc autem.* Et tit. *Quomodo concilietur.* Et tract. de gratia quæst. 6. ad 4. argumentum. Et quæst. 365.

quæst.7.ad 4. etiam argumentum. Nicolaus Yzamberrus, & Geruasius Bijonius apud P. Henao vẽtilatione 3.n.20.

366 Secundo ex vniuersitate Salmantina. Augustinus Antolinez primarius Salmãticensis, & postea Archiepiscopus Compostellanus lectura de auxiliis diffic. 3. §. *Tertio dicendum.* Franciscus Corneio etiam primarius, Lectura de scientia Dei disp. 5. dub. 3. Alf. Curiel primarius quoque controu. 7. aliàs 1. in cap.4. sapientiæ art.4. nu.1. Et controu.2. in cap.1. epist 2. B. Petri in illud, *satagite vt per bona opera*, à numer. 208. vt probatum à nobis est sect. 3. à n.... Angelus Manrique similiter primarius lectura publica de auxiliis diff.6. cap.1. vbi postquam supponit non posse negari Deo scientiam de futuris contingẽtibus certam & infallibilem, ait. *Secundo etiam ex dictis præsuppono, non cognosci in decreto. Tum quia in eo mihi certum est peccata vt minimum cognosci nequaquam posse, quippe quæ à Deo non nisi ad exigentiam arbitrij decernuntur; & tamen nullus hactenus distinxit inter bona & mala, vt hæc nisi absolute futura non cognoscantur, secus illa: Tum quia decretum illud absolutum & antecedens tolleret libertatem, aut saltem diminueret nimium, vt iam ostendimus: Tum denique quia admirabile proculdubio est, & sola necessitate cogente dictum, Deum, circa quemcunque hominem ex infinitis poßibilibus infinities infinita decreta multiplicare, quæ nulli prorsus vsui sunt futura.* Quæ fusius prosequitur de scientia Dei diffic.7.

367 Idem esto de vespertinis professoribus Salmantinis. Hi sunt: Alfonsus de Mendoza, in quodlib. quæst. 7. scholastica numer.4. & 16. ad 3, argumentum. ibidem §. *ex his expedita*, & §. *non vt vulgaris.* Ibidemque conclus.5. numer.13. §. *Adde*, physicas prædeterminationes vocat ille *fictitias & chimaricas.* Ioannes de Queuara teste eodem Mendoza quæst. illa 7. fine. Ioannes Marquez epist. ad R. P. Baptistam Piambinum die 28. septemb. anno 1600. quam videas apud Paulum Leonardum, eruditissimo suo opere responsionum ad expostulationes contra scientiam Mediam. 1. parte sect. 10. num. 43.

Tertio ex Academia Complutensi Ludouicus Tena Episcopus Dertusensis in epist. ad Hebræos cap. 4. diffic.6. & clarius in expositione litteræ c.12. num.59. §. *ex quo contra.* Ludouicus Montesinus tom.2. in 1. 2. quæst. 19. art.2 disp.10. q.3. §. *ad confirmationẽ Durãdi.* Et ad quæst. 111. art 3. disp. 31. quæst. 2. num. 44. Petrus Lorca in 3. part. quæst. 1. art. 5. disp. 10. memb. 2. num.26. Andræas Hẽriquez de Villegas in suis de Deo vno controuersiis controu. 4. de scientia conditionata liberorum sub hypothesi futurorum cap.3. fine. Martinus de Albi tract. 1. de scientia Dei disp. 7. sect.5. num. 6. & sect. vlt. 368

Quartò ex Academia Louaniensi, principes illius. Ruardus Tapperus Decanus Louaniensis. Ioãnes Driedo. Cunerus, & Stapletonius, vt fuse à nobis probatum est sect. 3. insuper Ioannes Malderus Episcopus Antuerpiensis 1.2. quæst. 111. art.3. Postquam enim in dissertatione de gratia dubit.10. memb. 1. & 2. eadem fuse de gratia diuinorum auxiliorum præscripsit, quæ Societatis Doctores tradiderunt, memb.3. & 4. scientiam mediam late stabiliuit, quo memb.4. post recensita aduersariorum fundamenta subnectit. *Verum tota hac operosa argumentorum mole neque satis ostenditur inutilitas, imo neque tollitur necessitas præscientiæ conditionatæ in explicanda gratia efficacia; imo probabilius* 369

est

est, recte & secundum mentem veterum, Recentiores quosdam, eosque non paucos, neque obscuros, neque in vnius schola sententiam iuratos; per hanc praescientiam conditionatam explicare complementum quasi vltimum, & omni gratiae efficaci commune. Et paulo post veritatem huius scientiae commendat his verbis. *Quod per illam omnia, quae scriptura sacra & veteres Patres, praesertim Augustinus de gratia efficaci dixerunt, rectè explicentur; & quod alius modus hactenus repertus non sit, quo aequè commode & clarè explicari queat concordia gratiae & liberi arbitrij.* Insuper Ioannes Vuijgers 1. 2. quaest. 111, art. 3. Quaesito 2. à num. 33.

370 Quinto idem esto iudicium de aliis academiis, nobis scilicet potius quam Thomistis fauere, vt de Pinciana, Moguntina, Hipetbolensi, Siguntina, Granatensi & aliis conuincit Paulus Leonardus 3. part. responsionum sect. 6. Nam ex omnibus solam Louaniensem aduocat Viues in sui auxilium, praecipuis eius Doctoribus falso allegatis, vt probatum est sect. 3. signum ergo est nullam aliam sibi propitiam inuenisse. Hoc mihi & omnibus certum & indubitatum est, in Academia Valentina vix vllum esse Theologiae professorem, praeter Dominicanos, qui scientiam Mediam multis non stabiliat. Ex Dominis Praepositis, qui potissima sunt huius academiae lumina, Reuerendissimus Dominus D. Ludouicus Crespi pietate & sapientia nulli secundus; & nunc non humana industria, sed impellentibus meritis, vel inuitus, ad infulas Otiolésis episcopatus assumptus, lectura de auxiliis diuinae gratiae, de praedestinatione, & scientia Dei. Iosephus Verge primarius etiam, vir ingenio celebr & doctrina clarus Lectura de auxiliis, de praedestinatione, & scientia Dei. Melchior Fuster, ingenio laudabilis, tract. excusso de voluntate Dei num. 583. Bonauētura Querau, vir infinitae pene eruditionis, in vtraque Theologiae versatissimus. Chrysostomus Royo & Castelui nuper assūptus, sed spectabilis ingenio, lectura de sciētia Dei.

Sexto nostrae sententiae auxiliares habemus illustrissimas sacrarum religionum copias. Ex foecundissima seraphici Francisci familia Hugo Cauellus lib. 2 disq. 37. quaest. 2. Scolastica ante §. *ad solutionem*, vbi ex Scotistis pro nostra sententia refert, Liquetum, Basolum, Tartaretum, Angles, Maiorem Herreram, & Vegam disserte lib. 1. sententiarum dist. 39. quaest. 5. in scolio post num. 22. §. *quantum ad secundum.* Clarissime tom. 3. editionis Lugdunensis in Scoti tract. de 1. principio cap. 4. conclus. 4. num. 8. schol. 3. & in supplemēto ad quaestiones librorum Scoti de anima disp. 3. sect. 14. & multis aliis locis dat nobis subtilissimum Scotum, quem plaudentes acceptamus. Philippus Faber. 1. sentent. dist. 39. disp. 54. cap. 4. num. 37. & cap. 5. num. 47. & 49. Hieronymus Tamarit à Tamaria in floribus Theologicis tract. de scientia Dei quaest. 2. Meurisse tom. 2. Meta. cap. 3. part. 5. quaest. 3. ante 1. conclus. vbi praeter Fabrum & Cauellum citat Caspēsem tom. 1. tract. de sciētia Dei disp. 6. s. 6. Ludouicus à Dola in disp. quadripartita part 1. cap. 3. num. 8. § *Quintò non potest.* & c 4. num. 2. §. *Hac enim praesupposita.* Insuper iure optimo nostris adscribendi sunt omnes illi, qui Physicas praemotiones ablegarunt: Antonius Delfinus Magister generalis vnus è Tridentinis Patribus lib. 5. de iustific § de multiplici gratia Dei. p. 105 & lib. 1. de salutis progressu pag. 14. Cartagena discursu 9 de praedest. p. 281 dist. 4. & dist. 10 dub. 2. p. 337. & multi alij. 371

 Ex

372 Ex Magni Augustini familia ad similitudinem Patris in sapientia genita, celebres illi Salmanticenses. Augustinus Antolinez. Alphonsus de Mendoza, Ioannes de Gueuara, & Ioannes Marquez. Insuper Ioannes Puteanus primarius in Academia Tholozana ad quæst. 14. 1. part. artic. 13. dubit. 2. §. *vltima sententia* & dubit. 3. §. *ad rationes*. Martinus de Albiz inter Complutenses numeratus. Gabriel Pennotus Canonicus regularis S. Aug. in suo propugnaculo humanæ libertatis lib. 3. cap. 28. 29. & 30. Nouissime Cælestinus Brunus in quodlibeticis disp. 13. de scientia Dei §. 8. ex Florentissimo Carmelo calceato, præcipui Magistri, qui in regali Valentinorum Conuentu Theologicis elucubrationibus cum laude inuigilatunt.

373 Ex militari ordine B. Mariæ de Mercede Zumel, & ex ordine S. Hieronymi Cabrera. Nam cum vterque ex vna parte Deo adscribat infallibilem conditionatorum scientiam, & ex alia fastidiat decreta illa conditionata Thomistarum, vt ostendimus sect. 3. num. 351. necesse est ipsos admittere scientiam conditionatorum ante decretum.

374 Ex illustri S S. Trinitatis ordine Marcus Antonius Alos, qui selectas disputationes de Attributis & Visione addidit, lectura de scientia Dei.

375 Ex familia Sanctissimi Francisci de Paula Ioannes Durulliæus in Dialecticotheca lib. 2. cap. 8. tit. *aliqua argumenta*, & tit. *Quomodo stent simul* §. *Amplius probatur*. Et tit. *soluitur quoddam* §. *infertur tandem*. Marinus Mersennus in cap. 1. Genes. vers. 1. a. 5. obi. 10. & 17. Claudius Rangolius in lib. 1. Regum cap. 13. vers. 4. tit. *Quomodo intelligendus sit*. §. *ex his sequitur.* Et §. *his ita explicatis*.

Ex Cisterciensi clarissimo Monachatu. Angelus Manrique inter Salmanticenses adscriptus, & Lorca inter Complutenses. Insuper Eustachius à Sancto Paulo 2. parte summæ Philosophiæ tract. 2. disp. 1. quæst. 3. §. *verum & libere*. Chrysostomus Cabetus de physica auscultatione tract. 2. disp. 4. num. 9. Petrus à Sancto Ioseph tract. de gratia disput. 7. sect. 9. num. 67. & tract. Suauis concordiæ humanæ libertatis tota disp. 4. 376

Ex Clericorum Minorum Sodalitio vnus pro multis Raphaël Auersa Præpositus generalis 1. 2. quæst. 1 o. de libertate voluntatis sect. 2. in 5. arg. & sect. 3. §. *in hac re*. 377

Denique ex Seruitarum familia Iellius Valionius libro de prædestinatione cap. 8. 378

Septimo integram nostram sententiam tuentur Illustrissimus Ferdinandus Mascarennas Algarbiorum Episcopus, & Inquisitor generalis in Lusitania tract. de diuinis auxiliis disp. 1. parte 3. num. 25. & parte 4. n. 27. & disp. 3. parte 4. num. 6. Reuerendissimus Franciscus Diotaleuius Episcopus S. Angeli, & legatus à latere in regno Poloniæ sub Paulo V. opusc. 2. de scientia conditionata cap. 5. in 3. & 4. probatione. Pesantius eques Romanus Theologiæ & vtriusque iuris Doctor 1. part. quæst. 14. art. 13. disp. 5. conclus. 4. & 5 & ad quæst. 23. art. 5. disp. 7. & 1. 2. quæst. 111. art. 5. disp. 4. notabili 2. Gundisaluus Sanchez de Luzero discursu 1. de Concept. B. V. cap. 5. Thomas Pius 1. part. quæst. 14. art. 13. dubit. 3. num. 5. & dubit. 4. nu. etiam 5. Eugenius Philadelphus in exercitatione Scholastica tripartita cap. 1. coroll. 36. & cap. 3. §. 8. versu *Quinto quod dicitur*. Nouissime Illustrissimus D. Ioannes Iannis de Echalas Episcopus nunc Calagurritanus 379

nus, tract.6 Logicæ disput.32.cap.3. numer.27.

380 Denique Abulensem & Vvaldensem donat nobis Zumel tom. 5. Variarum disp. 5. sect. 1. Philiarcum & Cameratium Herrera tom.1.in 1.sent. disp. 24. quæst. vnica. Ledesma vero de auxiliis donat nobis pag.7. Marsilium, Alensem, Bonauenturam, Gabrielem, Gregorium, Henricum, Driedum, Tapperum, Pyghium, Orozium, Sirenium, Sadoletum, Cordubensem, Vegam, Capreolum, Caietanum, & Carthagenam, quos apud illum citatos videas.



DISPVTATIO VI.

Scientia conditionatorum in decreto infringitur, ex Scriptura.

381 SI ex Scripturis probauerimus nulla esse in Deo decreta prædeterminantia, consequenter conuincemus, neque Deum cognoscere in illis futura conditionata. Argumentum ergo à nobis ex Scripturis vrgendum istud est. Deus ex Scriptura scit futura conditionata contingentia, vt ostendimus tota disput.4.& fatentur Thomistæ recentiores: ea autem non scit Deus in decreto prædeterminante: ergo in se ipsis, & propria eorum veritate, quod est scientia Media, cum medium non sit vt fatetur Viues, & ex Thomistis, qui rem bene norunt, & sæpius notauimus. Tota ergo difficultas est in probanda minori, quam sequentibus ostendo.

SECTIO I.

Deum non cognoscere futura contingentia in decreto prædeterminante ostenditur ex veteri testamento.

PRima probatio sumitur ex Iosue 24. vbi præmissis Dei beneficiis erga populum suum sic illum alloquitur vers.15. *Seruite Domino, sin autem malum vobis videtur, vt Domino seruiatis optio vobis datur, eligite hodie quod placet.* Quæ verba duo nostræ sententiæ ministrant argumenta. Primum est, quia homini data est optio ad electionem veri Dei præ gentium simulachris: non autem daretur homini optio si à Deo prædeterminaretur: ergo. Minor probatur, quia optio electionis esset decretum prædeterminans: hoc autem non est in potestate hominis, sed in solius Dei beneplacito: igitur neque esset in potestate hominis optio, sed in solius Dei arbitrio ad vnum præ alio prædeterminante. Maior est certa, quia nulla alia potest assignari optio, electionem antecedens in sententia aduersariorum. Minor nemini est dubia, cum decretum prædeterminans antecedat omnem arbitrij electionem, & dispositionem: ergo non est in potestate arbitrij. 382

Confirmatur, quia tunc dicitur dari optio alicui quando electio pendet ex illius beneplacito, & libero consensu; non autem quando impellitur ad eligendum: decretum autem prædeterminans impellit ad vnum, vt cum illo implicet alterius electio: ergo penitus euertit optionem arbitrij. Et sane quis prudens diceret arctissi- 383

mis

mis catenis vincto dari optionem libertatis: decretum autem prædeterminans ita alligat arbitrium ad vnũ, vt cum ipso implicet electio alterius non solum physice, qua ratione vinciunt catenæ, sed etiam metaphysicè, quod est vinculum omnium maius, & insolubilius: ergo.

384 Secundum argumentum dant vltima verba. *Eligite quod vobis placet*, quibus efficacia decreti tribuitur beneplacito volũtatis: si autem esset prædeterminans tribui non posset; tribueretur enim arbitrio, quod proprium esset solius diuinæ voluntatis, quare dicendum esset eligite nõ quod vobis placet, sed id ad quod à Deo prædeterminati estis: igitur efficacia diuini decreti non est à Deo prædeterminante, sed ab arbitrio viribus gratiæ consentiente. Confirmo: sentẽtia Societatis docet consensum Hebræorum fuisse ex beneplacito volũtatis; sententia Dominicanorum asserit fuisse ex decreto prædeterminante, Scriptura vero tribuit consensum, seu electionem beneplacito voluntatis. *Eligite quod vobis placet*. Vide igitur quænam sententia sit Scripturæ testimonio conformior.

Nec dicas ibi esse sermonem de decreto inefficaci, nam vocatio illa Hebræorum sortita fuit effectum, vt traditur vers 22. *Testes*, inquit Iosuë, *vos estis, quia ipsi elegeritis vobis Dominum, vt seruiatis ei: responderuntque, Testes*. Et vers. 16. *responditque populus, absit à nobis, vt relinquamus Dominum, & seruiamus Idolis:* igitur vocatio Hebræorum ad eligendum verum Deum, eiusque decretum efficax fuit

385 Secundam probationem affinem præcedenti dat liber Iudicum vbi c. 5. canticum Deboræ, & Barach post victoriam contra Sisaram ita habet vers. 9. *Cor meum diligit principes Israël, qui propria voluntate obtulistis vos discrimini*. Quo testimonio laudantur principes Israël, qui propria voluntate spontaneе se obtulerunt bellorum discrimini, id est proprio beneplacito, & nullo cogente, aut impellente, seu prædeterminante; aliter non proprio sed prædeterminantis beneplacito se obtulissent.

Tertia probatio ex primo Paralipomenon cap. 21. vers. 10. est. *Hæc dicit Dominus: trium tibi optionem do, vnum quod volueris elige*. Quibus verbis offensus Deus quod Dauid populum numerasset: tria parat supplicia, bellum, famem, & pestem, quorum trium dicit Deus, tibi optionem do, id est electionem vnius præ alio in tua libera voluntate constituo, apud arbitrium tuũ stat electio vnius præ alio, si autem Deus prædeterminaret, non staret electio penes arbitriũ Dauidis, sed penes arbitrium prædeterminantis Dei: ergo, &c. 386

Confirmatur, quia ridiculus & mendax esset superior, qui subditis proponeret se illis optionem dare eligendi vnum è duobus, quod placuerit; si aliunde illos ita ad vnum prædeterminaret, vt alterius electio implicaret. In sententia autem Thomistarum ita Deus prædeterminauit Dauidem ad vnius electionem, vt implicasset si alterius electio stitisset: ergo falsum esset datam Dauidi optionem eligendi. Quod si Deus voluisset optionem eligendi prohibere, qua via melius id præstitisset quam prædeterminando ad vnum, & negando concursum ad aliud: stantibus autem decretis prædeterminantibus ita se Deus gessisset: ergo, &c. 387

Confirmatur iterum, nam Deus diuersimode se habuit in determinatione supplicij,

supplicij, præ carentia illius; ac in determinatione talis supplicij, pestis v.g. præ aliis: at Deus prædeterminauit Dauidem ad supplicium, nec illi optionem dedit, nec libertatem reliquit ad carentiam illius, dedit vero optionem ad pestem, bellum, vel famem eligendam: ergo non illam prædetermiuauit ad pestem præ aliis eligendam; aliter non diuersimode se habuisset. Rursus. Vel Dauid æque fuit prædeterminatus ad eligendam pestem præ bello, & fame, ac fuit ad supplicium prę carentia illius, vel non? si æque fuit: at Dauid non habuit optionem supplicij præ carentia: ergo neque optionem habuit pestis, præ bello, & fame, quod est contra Scripturam. Si non æque: ergo non fuit Dauid prædeterminatus ad pestem, sicuti fuit ad supplicium eligendum: ergo.

388 Quarta probatio oppositæ sententiæ semper molesta sumitur ex c. 15. Ecclesiastici: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui, adiecit mandata & præcepta, si volueris mandata seruare, seruabunt te.* Et ibidem *apposui tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam.* Quod testimonium sic expendo. Deus adiectis mandatis, & requisitis reliquit hominem in manu consilij sui, id est in arbitrij sui beneplacito, vt si voluerit mandata seruet, si noluerit, non seruet: ergo actualis impletio mandatorum non est ex decreto prædeterminante, sed ex determinatione arbitrij creati. Consequentia probatur, quia tunc dicitur esse aliquid in manu alicuius, quando existentia, vel non existentia pendet à determinatione ipsius, & tunc dicitur non esse, quando aliud prædeterminat: sic damnans Iudex reum ad vnum è duobus suppliciis, quod reus elegerit, quia determinat supplicium non est in manu rei immunem euadere, quia tamen non determinat hoc supplicium præ alio, est in manu rei electio ipsius præ alio: ad impletio autem mandatorum est in manu arbitrij: ergo determinatio debet esse ab arbitrio adiuuante gratia, & non à Deo prædeterminante.

Confirmatur primo, quia Deus concessis auxiliis ad vtramq; partem id sibi volunt illa verba: apposui tibi aquam, addit: *Ad quod volueris porrige manum*: id est elige quod volueris, in tuo enim beneplacito constituta est electio: ergo non in decreto prædeterminante. Sed age vtramque sententiam cum proposito testimonio conferamus. Thomistæ asserunt nostrum consensum esse ex Deo prædeterminante, nos dicimus esse in manu arbitrij quod exprimitur in Scripturis: ergo. Confirmatur secundo nam ibidem dicitur, vers. 11. *Ne dixeris per Deum abest*, bona scilicet operatio: in opposita autem sententia dicendum est per Deum abesse bonam operationem, nam ideo abest, quia abest diuina prædeterminatio, quæ penes solam diuinam voluntatem stat. Tunc enim dicitur aliquid abesse per aliquem, quando ab illo omittitur medium à sola illius voluntate pendens & simpliciter requisitum ad positionem effectus: talis autem est diuina prædeterminatio: ergo per Deum abesset. 389

Denique Isaiæ 5. conqueritur Deus propter peccata populi sui, his verbis. *Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas*: id est expectaui bona opera, & dedit labruscas peccatorum. In opposita autem sententia frustra, & inepte expectaret Deus bonorum operum existentiam ex decreto inefficaci, cum sciret Deus non futura bona 390

opera ex eo decreto, sed etiam implicatura si essent; atque adeo expectans consensum ex decreto in efficaci expectaret ens rationis. Quod si implicat voluntatem determinare, & reddere efficax diuinum decretum, non debuisset Deus ab arbitrio expectare, vt consentiret, sed prædeterminare.

391 Confirmatur ad hominem contra Aluarez disp.95. de Auxiliis.§.3. expendens canonem 4. Concilij Arausicani contra Semipelagianos; ex eo infert Deum prædeterminare arbitrium, quia asserit non expectare nostram voluntatem, vt purgemur à vitiis: ergo si expectaret non prædeterminaret: arqui expectat Deus arbitrij consensum adiuuante gratia, vt patet ex prædicto testimonio, & vlterius cap.13. eiusdem Isaiæ dicitur: *Propterea expectat Dominus, vt misereatur vestri*: ergo Deus non prædeterminat. Concilium autem Arausicanum solum contendit Deum non expectare opera naturæ ad conferendam gratiam præuenientem efficacem.

SECTIO II.

Idem stabilitur ex nouo Testamento.

392 FAmiliarissimum est nostræ sententiæ testimonium illud Matth.11. & Lucæ 10. *Væ tibi Corozain, Væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ in te factæ sunt, olim in Silicio, & cinere pœnitentiam egissent.* Quibus verbis increpat Iudæos Christus, quod non egerint pœnitentiam cum eis virtutibus, & principiis, quibus Tyrij si præuenti fuissent, pœnitentiam egissent: ergo eadem principia, quæ fuerunt Iudæis inefficacia, fuissent Tyriis efficacia, & consequenter prædeterminantia esse non possunt. Maior in qua est difficultas probatur, aliter enim comparatiua increpatio Christi, primo esset iniusta, nam exemplo Tyriorum improperaret Iudæos, nec tamen istis concederet principia efficacia seu prædeterminantia Tyriorum ad actualem pœnitentiam simpliciter requisita, & à sola Dei voluntate pendentia. Secundo nullius esset efficaciæ redargutio Christi, facile enim occurrere Iudæi potuissent dicentes, Quid nos Domine improperas exemplo Tyriorum, da nobis virtutes, & principia, quibus illi egissent pœnitentiam, & nos quoque pœnitebimus; quibus si non egerimus pœnitentiam, tunc exemplo Tyriorum poteris nostram perfidiam, & impœnitentiam exprobrare. Tertio, esset ridicula reprehensio, ac si Rex militem improperaret, quod cum decem millibus non vicerit inimicum, quia alius illum cum viginti millibus profligauit. Et ratio omnium est, quia argumentum à comparatione debet supponere cætera paria in his, quæ non pendent à propria voluntate, vt tradidit Aristoteles libro 6.& 3. Topicorum cap. 3. alias enim ipsummet argumentum est suimet solutio.

Confirmatur, quia si ad actualem fidem, & pœnitentiam, necessarium esset decretum prædeterminans, mendax foret illa Christi loquutio, nam ex principiis Iudæorum, vtique minime prædeterminantibus in nullo vnquam foret pœnitentia: ergo falsum esset Tyrios consensuros virtutibus, 393

tutibus,& principiis Iudæorum. Hoc argumentum semper aduersariis molestum vices acuit occursionibus aduersariorum præclusis.

394 Occurrunt 1. Christum Dominum verbis illis non prædicere actualem Tyriorum pœnitentiam cum virtutibus Iudæorum, sed faciles futuros ad illam, ex qua facilitate, Tyriorum redarguit duritiem, & obstinationem Iudæorum. Antequam responsionem infringam, conferenda est vtraque sententia cum verbis Christi Christus asserit Tyrios acturos pœnitentiam cum virtutibus Iudæorum; Thomistæ inquiunt non acturos pœnitentiam, sed faciles futuros, nos firmiter tenemus acturos pœnitentiam. Perpende igitur quænam sententia conformior sit Christi verbis. Dominicanorumne, negantium Tyrios acturos pœnitentiam; an Societatis, asserentis cum Christo, Tyrios virtutibus Iudæorum ad fidem, & pœnitentiam reuocandos?

395 Displicet ergo solutio 1. quia opponitur proprietati verborum Christi: *Pœnitentiam egissent*. Quid enim sibi vult pœnitentiam agere, nisi actu pœnitere, & ad Deum conuerti: facile enim posse agere, non est agere pœnitentiam. Secundo, quia est contra literæ contextum, qui dirigitur ad increpandam actualem incredulitatem & impœnitentiam Iudæorum: ad id autem expediebat opponere actualem pœnitentiam Tyriorum: idcirco Christus Dominus illud asserit futurum in Tyriis, cuius omissionem reprehendit in Iudæis: in Iudæis auté reprehédit omissionem fidei, & pœnitentiæ actualis: ergo istas asserit Christus futuras apud Tyrios. Tertio quia est cótra innumeros Patres maxime Augustinum de bono perseuerantiæ c.9. cuius sæpe meminimus. *Nũquid*, ait, *possumus dicere etiam Tyrios, & Sidonios talibus apud se virtutibus factis*, scilicet Iudæorum, *credere noluisse, aut credituros non fuisse, cum ipse Dominus attestetur, quod acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam.* Quibus contra Christi testimonium existimat esse Augustinus negare futuram actualem fidem, & pœnitentiam Tyriorum, factis in illis virtutibus Iudæorum. Idem tenet in Enchiridio cap. 95.

Quarto falsam esse solutionem ex doctrina aduersariorum clare concluditur. Nam æque indurati, & obstinati fuissent Tyrij, cum virtutibus Iudæorum, ac ipsi Iudæi, ergo non fuissent Tyrij faciliores ad pœnitentiam, atque adeo nullius esset vis, & efficaciæ increpatio Christi. Antecedens probatur, nam ideo corda Iudæorum indurata, & obstinata fuere, quia restitetunt diuinæ voluntati inefficaci; efficaci enim nullus resistit, quantũuis Iudæus: Tyrij autem etiam restitissent eidem diuinæ volũtati inefficaci: ergo pariter indurati fuissent, nulla enim assignari potest ab aduersariis diuina voluntas, cui Iudæis resistentibus Tyrij quoque non restitissent. Maior nulli potest esse dubia. Minor probatur, nã si alicui voluntati diuinæ inefficaci Iudæis, consensissent Tyrij, eadem diuina voluntas foret inefficax Iudæis, & efficax Tyriis; atque adeo non prædeterminans, hæc enim in omnibus est efficax: ergo. 396

Occurrunt secundo, alij supponentes futuram actualem pœnitentiã Tyriorum cum virtutibus Iudæorum, asserunt tamen Christum Dominũ tantum agere de virtutibus externis scilicet miraculis, prędicatione, & exẽplis, non autem de principiis internis, aut decretis. Hæc tamen responsio magis displicet, quã præcedens. Primo, quia 397

pœnitentia fieri non potest cum solis virtutibus externis, vt contra Pelagium fuse disputat Augustinus: ergo increpatio Christi supponebat Tyrios, & Iudæos æquales non solum in virtutibus externis, sed etiam in internis & voluntate diuina seu decreto: aliter enim iniusta, & inefficax esset comparatiua increpatio Christi, vt constat ex argumento.

Secundo, quia iuxta hanc sententiam facile potuissent Iudæi querelas in Christum conuertere dicentes. Quid exaltas Tyrios? da nobis virtutes internas & decretum Tyriorum ad actualem pœnitentiam simpliciter requisita, & in manu nostra minimè posita, & nos quoque pœnitebimus: elargire insuper nostras virtutes internas, & externas, earumque decreta, & ipsorum corda indurabuntur, sicut & nostra. Quid ergo nostram incredulitatem, & impœnitentiam exprobras exemplo Tyriorum. Tertio, quia *tanta cura*, ait Chrysostomus, in præsens testimonium, *praeuenit Deus Iudaeos ad pœnitentiam, & fidem, vt nullam vmbram iusta excusationis reliquerit*. Iuxta illud Isaiæ 1. *Quid vltra debui facere vineæ meæ, & non feci.* si autem Iudæi æquales non fuissent in virtutibus internis, aliquam iustæ querelæ non solum vmbram sed occasionem reliquisset Christus: ergo &c.

398 Alij denique rem maturius considerata respondent, conferri quidem Iudæos & gentiles æquales non solum in virtutibus externis, sed etiam internis dempta diuina prædeterminatione, quæ Tyriis concessa fuisset, & negata Iudæis. Hæc tamen responsio non satisfacit, quia Iudæos constituit inæquales Tyriis in diuina prædeterminatione ad actualem pœnitentiam simpliciter requisita, & in solius Dei manu posita: etenim Tyrij si prædeterminati non fuissent, nec Christo credidissent, sicut nec Iudæi crediderunt: Quod si Iudæi prædeterminati fuissent credidissent sicut & Tyrij: ergo Iudæi nulla sunt reprehensione digni exemplo Tyriorum; cum Tyrij æque duræ ceruicis fuissent, & æque Deo restitissent, ac Iudæi dempta vtrisque diuina prædeterminatione.

Obiicies etiã in nostra sententia constitui Tyrios inæquales, Iudæis quo ad diuinam voluntatem, nam respectu Tyriorum fuisset efficax, respectu vero Iudæorum inefficax: ergo inæqualitas diuinæ prædeterminationis non eneruat Christi increpationem. Respondeo distinguens antecedens. Tyrij constituerentur inæquales inæqualitate antecedente omnem liberum consensum, & ab ipso independente, nego: inæqualitate pendente à libero consensu, concedo. Et nego consequentiam, quia cum in nostra sententia sit in potestate arbitrij reddere diuinam voluntatem efficacem aut inefficacem; efficacia est illi laudabilis, & inefficacia reprehensibilis; atque adeo iuste increpat Christus Iudæos, quia suo consensu non reddiderint diuinam voluntatem efficacem, quam Tyrij suo consensu reddidissent. In opposita autem sententia longe aliter cõtingit, nam efficacia diuinæ voluntaris est omnino antecedens, & independens à libero consensu, atque adeo arbitrium propter illam, nec dignum est laude, nec vituperio, & antecedenter ad consensum constituuntur Iudæi Tyriis inæquales; & inde probamus iniustam, & inefficacem comparatiuam increpationem Iudæorum, quia antecedenter non sunt cætera paria in his, quæ simpliciter requisita sunt ad actualem pœnitentiam, & in manu arbitrij Minime posita. 399

Instabis

400 Instabis primo, quia sine dubio præuidit Deus Iudæos in alio statu consensuros diuinæ voluntati, cui de facto dissenserunt, & similiter præuidit Tyrios in alio statu dissensuros diuinæ voluntati, cui de facto consensissent: ergo si increpatio Christi redditur iniusta & inefficax, quia, Tyrijs superaddita fuisset diuina prædeterminatio denegata Iudæis; similiter erit iniusta & inefficax, in nostra sententia, quia Tyriis superadditus fuisset status, in quo præuisi sunt à Deo consensuri: ergo similiter possent conqueri Iudæi dicentes Christo: da nobis virtutes Tyriorum in eo statu quo scis nos consensuros, sicut dedisses Tyriis, & nos quoque cum illis consentiemus. Quid ergo increpas nos exemplo Tyriorum?

401 Hæc tamen instantia altiori nostræ doctrinæ indiget intelligentia. Aliud enim est quærere cur Iudæi positi sint in eo statu in quo præuidentur dissensuri, & hoc in Dei manu est, nec ideo increpantur Iudæi exemplo Tyriorum, vt supponit instantia, format enim Iudæorum querelas in Christum ita: Cur scilicet non constituisti nos in eo statu quo præuidebamur cõcensuri sicut Tyrios constituisses? Si autem non suponantur Iudæi à Christo reprehensi, qui constituti sunt in eo statu in quo præuisi sunt dissensuri, non potest esse ad rem responsio illa Iudæorum, atque adeo aduersariorum instantia, vt ad rem sit necesse est supponat increpatos fuisse Iudæos à Christo, quia positi fuerunt in eo statu in quo præuidebantur dissensuri: In hoc autem deceptos fuisse aduersarios perspicuum est: si enim Iudæi à Christo reprehenderentur quia positi sunt in eo statu in quo præuidebantur dissensuri, de se ipso potius conquere-retur Christus, qui illos posuit, quam de Iudæis, qui se in eo statu non constituerunt.

Aliud est quærere cur Iudæi dissentiant in hoc statu, in quo positi sunt à Deo, cum tamen Tyrij consensissent, & hæc est materia præsentis increpationis Christi. Hoc autem stat penes arbitrium Iudæorum, & Tyriorum: Nam in hoc statu Iudæi si voluissent consensissent, quod autem noluerint, cum tamen Tyrij voluissent, ipsis imputandum, & increpandum. Nam ex parte Dei nihil desiderabatur simpliciter requisitum ad actualem pœnitentiam; nec priuilegium aliquod antecedens omnem consensum denegatum Iudæis concessum fuisset Tyriis, & tamen ipsi consensissent. Cur ergo vos Iudæi non consensistis? Si dicant Iudæi, Ideo non consentimus, quia denegatus est nobis status præscientiæ futuri consensus, concedendus Tyriis. Instat Christus. Vestrâ culpâ hic status in quo constituti estis non est status futuri consensus, si enim consensissetis sicut Tyrij, fuisset status præscientiæ vestri consensus, sicut est status præscientiæ consensus Tyriorum: ego enim ideo præuidi Tyrios consensuros, quia ipsi consensissent, non autem ideo consensissent, quia ego præuidi: Similiter ideo præuidi vos non consensuros, quia vos non consensistis non autem ideo non consensitis quia ego præuidi. Cur ergo non consensistis sicut & Tyrij & vestro consensu reddidissetis hunc statum statum præscientiæ futuri consensus, sicut & Tyrij reddidissent, vestra igitur est culpa. 402

In opposita autem sententia comparatiuæ increpationis iustitiæ lon- 403

gissime posita est. Primo quia non fuit in manu Iudæorum reddere statum in quo positi sunt à Deo efficacem, quia superaddita non fuit illis prædeterminatio superaddenda Tyriis. In nostra autem sententia fuit in potestate Iudæorum reddere illum statum efficacem & præscientiæ futuri consensus. Secundo quia Christus exigebat à Iudæis vt decreto efficaci diuiso à prædeterminatione simpliciter requisita ad consensum, & à solo Deo pendente coniungerent actualem consensum, quòd prorsus implicat in vestra sententia non minus, quam coniungere siue componere dissensum cum gratia efficaci: in nostra autem sententia nulla ratione implicat, nam decreto sufficienti diuiso ab omni prædeterminatione actu coniungitur consensus, quod si non coniungatur non est, quia status independens ab arbitrio cogat aut impellat, sed quia arbitrium pro sua libertate non vult.

404 Tertiò, quia reddere efficax decretum in sententia Thomistarum non fuit in manu Iudæorum, in nostra autem sententia fuit in arbitrio Iudæorum sicut fuisset in manu Tyriorum, ideoque isti fuissent laude digni, quia suo consensu voluntatem diuinam de se indifferentem reddidissent efficacem, & Iudæi increpatione dignissimi, quia suo dissensu inefficacem reddiderunt. Ex his capitibus arguitur à nobis futuram in vestra sententia iniustam, & inefficacem comparatiuam Christi increpationem, & nostri argumenti adhuc solutionem expectamus.

405 Quod iterum exemplo præmunio. Ponamus esse hominem inimicum Regis qui possit pusione occidi, actu tamen implicet occidi nisi gladius superaddatur: sit in manu solius Regis dare solum pusionem, cui voluerit, & gladium simul & pusionem, vni seruo, vt occidat inimicum. Det alteri solum pusionem, & alteri pusionem, & ensem occidat iste inimicum; alius non. Si Rex tunc ita illum increparet: serue nequam cur cum solo pusione implicante occidere, non occidisti inimicum, cum tamen alius seruus meus occiderit illum cum pusione simul, & ense simpliciter ad victoriam requisito, & cum illa connexo? Iniusta & ridicula increpatio. Cui seruus satisfaceret. Da mihi gladium simpliciter ad victoriam requisitum & connexum, & ego etiam occidam, quod si tunc non occiderim, tunc cum pares fuerimus in his, quæ simpliciter ad occidendum requiruntur, & à nostra voluntate non pendent, poteris me exemplo alterius increpare. Idem in reprehensione Christi contingeret: ergo iniusta, & ridicula esset increpatio.

Instabis secundo: Augustinus totam inæqualitatem inter Iudæos, & Gentiles, reuocat in voluntatem diuinam, non vero in consensum humanum. Nam de bono perseuerantiæ cap. 10. quærens cur non fecerit signa illa apud Tyrios credituros? respondet hoc reuocandum ad diuinam voluntatem, & cap. 14. *quia prædestinati, inquit, non erant, audiunt enim hæc, & non faciunt, quibus datum est; non autem, quibus non est datum.* Confirmatur, quia nostrum argumentum obiectum fuit Augustino à Pelagianis negantibus Deum suo efficaci auxilio, & decreto de nolentibus facere volentes, vt testatur Augustinus, de correptione, & gratia cap. 6. *Obedientiam, inquiunt,* (scilicet Pelagiani) *non accepimus. Quid itaque corripi* 406

corripimur, quasi eam nobis dare possimus? Quibus respondet Augustinus capite 7. *Perseuerantiam esse donum Dei, iuste tamen corripimus eos, qui non perseuerarunt, quippe in malam vitam sua voluntate mutati sunt*: hoc est iuste corripiuntur, non perseuerantes, quia sufficientes non perseuerant, sua culpa ab incepta via defecerunt: ergo sufficientes perseuerare iuste corripiuntur.

407 Hæc tamen instantia scopum non attingit; aliud enim est quærere cur Tyrij non fuerint absolute vocati, quod inquirit Augustinus, aliud vero cur saluarentur, si illis auxilia Iudæorum prouisa fuissent. Primum reuocat Augustinus in diuinam prouidentiam: secundum vero, non in decretum prædeterminans, sed in liberum Tyriorum arbitrium, quod nos etiam fatemur nam cap. 7. de correptione, & gratia ait Augustinus: *Homo in eo quod per Euangelium audieras, & tenueras perseuerabis si velis*: id est tuo consensu posito, aut negato efficacem reddes, aut inefficacem, & ideo non perseuerans correptione dignus eris.

408 Nec maioris est momenti confirmatio 1. Quia argumentũ Pelagianorum non obiicitur ex comparatione cum alio, sicut nostrum. Secundo quia intentum illorum erat inferre, actualem perseuerantiam haberi ab arbitrio solis viribus naturæ absque gratia interna per Christum, vt c. 6. clare explicat Augustinus. *Nam si dixerimus perseuerantiam sic esse hominis, vt ei non sit ex Deo, euacuamus gratiam Dei.* Quibus clare reuelat inimicitiam Pelagianorum cum gratia Dei: sed mittenda non sunt verba illa Augustini in subsidium aduersariorum adducta. *Ex bona quippe in malam vitam sua voluntate mutati sunt.* En quomodo Augustinus inefficaciam gratiæ & decreti diuini sumit non à prædeterminatione ad malum, sed à libero dissensu voluntatis.

Secundo probatur ex Matthæi 23. 409
Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Vbi conqueritur Christus, quod Iudæi restiterint diuinæ ipsius voluntati intendenti congregationem populi in vnitatem fidei, & doctrinæ suæ. Si autem diuina illa Christi voluntas fuisset prædeterminans dispersionem populi, frustranea fuisset, & inepta lamentatio Christi, eo quod Iudæi noluerint congregari; nam respondere Christo potuissent primo: Domine congregari non sumus; quia defuit nobis diuina prædeterminatio simpliciter ad congregationem requisita, quæque in nostra non erat potestate, & loco illius subrogata est prædeterminatio diuina ad dispersionem, cui impossibile nobis erat congregationẽ coniungere. Secundo, Domine quid ploras dispersionem nostram, qua diuina tua voluntas prædeterminans impleta est, & nos illi facti conformes: plorare potius debuisses congregationem, qua diuina illa tua voluntas intrinsece efficax frustrata fuisset, quod tibi iniuriosum est. Tertio. Quorsum Domine iactas te voluisse nos congregari, cum potius volueris dispergi, & nolueris congregari, idque efficacissime. Quis autem potissimum dicitur velle illud quod efficaciter intendit, & ad quod impellit, quam illud, quod efficaciter non vult: at tu Domine efficaciter voluisti dispersionem & noluisti congregationem idque antecedenter ad nostram voluntatem. Quid ergo clamas

clamas te voluisse congregare nos? Hæc omnia vrgenda sunt ex dictis.

SECTIO III.

Soluuntur obiectiones ex vtroque Testamento.

410 Obiiciuntur primo aliqua Scripturæ testimonia, quæ decreta prædeterminantia firmare videntur, & indifferentia infringere & consequenter scientiam Mediam, quale est illud Genesis 45. *Non vestro consilio sed Dei voluntate huc missus sum.* Vbi sermo est de venditione Ioseph; eam autem Dei voluntatem fuisse efficacem & prædefinitiuam constat ex cap. 50. vbi dicitur de illa. *Num Dei possumus resistere voluntati?* Exodi 4. & 7. de Pharaone ait Deus: *Ego indurabo cor eius.* 2. Regum 16. vbi ait Dauid: *dimitte eum* (scilicet Semei) *Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid.* Actorum 2. *Hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum.* Actor. 4. *conuenerunt enim vere in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus, & populis Israël facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri.* Romanorum 1. *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam.* Et iterum ibidem. *Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.* Tandem ibidem cap. 9. *cuius vult miseretur, & quem vult indurat.*

411 Respondeo in priori testimonio sermonem non esse de venditione Ioseph sed de effectu illius, scilicet transitu in Ægyptum, & exaltatione Ioseph à Pharaone, idcirco non dicitur Dei voluntate venditus sum, sed missus sum, qui effectus fuit venditionis. Sicut ergo Deus prædefinire potest pœnitentiam supposito peccato eiusque permissione, ita exaltationem Ioseph supposita venditione; & permissione illius. Vnde Genesis 50. dixit Ioseph fratribus suis: *Vos cogitastis de me mala, sed Deus vertit illud in bonum.* Addo, etiam si Deus posset prædefinire peccatum, non probari decreta prædeterminantia, nec excludi indifferentia: sicut etiam si prædefinire possit actus bonos, non probantur decreta prædeterminantia, nec indifferentia excluduntur; imò ista essentialiter imperantur à præfinitione, vt salua possit consistere libertas quia ipsa non causat actum prædefinitum, sed inducit illius principia indifferentia, quorum vnum est decretum.

Ad secundum respondeo, Verbum *præcepit*, idem valere, quod *permisit* omnes enim fatemur Deum non posse præcipere peccatum stricto, & proprio præcepto; aliter peccatum non dignum esset pœna, sed laude. Docet Augustinus expresse de gratia, & libero arbitrio cap. 20. *Sinite illum vt maledicat, quoniam dixit illi Deus; vt videat humilitatem meam, & retribuat mihi bona pro maledicto, etiam in die isto. Quomodo dixerit Dominus huic homini, vt malediceret Dauid, quis sapiens, & intelligit? non enim iubendo dixit, vbi obedientia laudaretur, sed quod eius voluntatem vitio suo malam in hoc peccatum iudicio suo iusto, & occulto inclinauit, ideo dictum est, dixit ei Dominus; nam si iubenti obtemperasset Deo, laudandus potius, quam puniendus esset: sicut ex hoc peccato nouimus postea esse punitum.* 412

Nec

Nec obstat Augustinum asserere Deum inclinasse voluntatem ad peccatum, quia id intelligendum monet de inclinatione positiua, sed negatiua, qua inclinare idem valet, ac non retrahere, sicut ex Augustino indurare idem est ac non emollire, de quo plura disputatione sequenti ad ea Pauli testimonia.

413 Ad illud Actorum Respondeo sermonem non esse de peccato Iudæorũ sed de effectu illius, scilicet morte Christi, & redemptione generis humani, quæ à Deo præfinita est, imo & præcepta Christo, permisso tantum peccato Iudæorum: mors enim Christi non pendebat à prædefinitione peccati occidentium, sed sufficiens illi erat permissio, & quamuis Deo non repugnaret prædefiniri peccatum, ostendimus iam id neque firmare decreta prædeterminantia, neque indifferentia excludere, & consequenter neque scientiam Mediam infringere, quod diligenter præ oculis habendum est.

SECTIO Vlt.

Achilles Thomistarum exarmatus.

414 Obiicitur secundo, ex 1. Corinth. 4. *Quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* si Diuina dona & decreta essent indifferentia, & cum eisdem omnino æqualibus, Petrus consentiret dissentiente Ioanne, Deus non discerneret bene operantem à non operante: id videtur contra Paulum: ergo &c. Maior probatur, quia inter omnino æquales nulla datur discretio: ex parte autem Dei Petrus, & Ioannes constituuntur omnino æquales: ergo ex parte Dei nulla staret discretio. Vnde interrogatus Petrus. Quis te discernit? respondere posset. Ego meo libero consensu me discerno, quo posset gloriari, & inflari aduersus Ioannem.

Responderi solet communiter, & optime. Paulum prædicto testimonio tantum statuere, arbitrium, non se discernere proprijs viribus, sed viribus gratiæ, & istam esse causam principalem efficientem discretionis, arbitrium vero obedientialem, & minus præcipuam. Quod clare demonstrant vltima verba. *Quid gloriaris quasi non acceperis?* id est Quid gloriaris quasi nihil acceperis à Deo, sed propriis viribus discretus fueris? Quæ solutio colligitur aperte ex eodem Apostolo 1. Corinth. 15. vbi discretionem sui in apostolatum tribuit gratiæ simul, & arbitrio, asserens non fuisse ex solis suis viribus, sed ex gratia præcipue, & ex arbitrio minus præcipue. *Non ego*, inquit, *sed gratia Dei mecum.* Vbi non excludit omnimode arbitrium à discretione in Apostolatum, sed factam inquit, gratia Dei meum. 415

Solutionem approbant scripturæ Sacræ, & Concilia. Nam 1. Esdræ 6. dicitur: *Filij Israel se separauerunt à coinquinatione gentium* & lib. 2. cap. 10. *se separauerunt de populis terrarum ad legem Dei* 2. Corinth. 6. monentur fideles: *Exite de medio eorum, & separamini dicit Dominus.* se autem separare quid est aliud, quam se discernere, viribus tamen gratiæ. Insuper homo cum Dei gratia ex Tridentino sessione 6. cap. 5. Et Senonensi 416

nensi decreto 15. *Conuertit se, præparat se.* 2. ad Timotheum. 2. *emundat se* Prima Ioannis. 3. *Castificat se* Psalmo.71. *iustificat se*: ergo & discernit se à non conuerso, à non præparato, ab immundo, à non casto, à non iusto.

417 Approbat Augustinus de prædestinatione Sanctorum. cap. 3. initio. *Non sic pius, atque humilis Doctor ille sapiebat, Cyprianum beatissimum loquor, qui dixit in nullo gloriandum quando nostrum nihil sit, quod vt ostenderet adhibuit Apostolum testem dicentem Quid autem habes quod non accepisti? si autem non accepisti quid gloriaris quasi non acceperis? Quo præcipue testimonio etiam ipse conuictus sum, cum similiter errarem circa fidem, qua in Deum credimus non esse donum Dei, sed à nobis (id est propriis viribus) & pro illa nos impetrare Dei dona, id est gratiam quibus temperanter & iuste, & pie viuamus in hoc seculo. Neque enim fidem putabam Dei gratia præueniri.*

418 Et cap.4. fine. *Hoc igitur Apostoli testimonium vbi ad reprimendam hominis inflationem dixit: Quid enim habes quod non accepisti? non sinit quemquam dicere, habeo fidem quam non accepi, reprimiturque omnino his Apostoli verbis tota huius responsionis elatio. Sed ne hoc quidem potest dici, quamuis non habeam perfectam fidem, habeo tamen ipsius initium, quo in Christum primitus credidi: quia & hic respondetur. Quid autem habes quod non accepisti?* En Augustinus ex eo testimonio totus est in necessitate gratiæ statuenda etiam ad initium fidei, & semipelagianismo confutando, à quo ipse discessit eo conuictus: ergo censet Augustinus Paulum eo testimonio accingi contra illos, qui discretionem arbitrio concedebant independenter à gratia.

Clariùs cap. 5. *Dona Dei naturalia suspicari..... nimis, quantum existimo, absurdum est, Nunquid enim per hæc dona, quæ omnibus communia sunt hominibus discernuntur homines ab hominibus? Hic autem prius dixit, Quis est, quis te discernit: & deinde addit: Quid autem habes, quod non accepisti? Posset quippe dicere homo inflatus aduersus alterum discernit me fides mea, iustitia mea, vel si quid aliud. Talibus occurrens cogitationibus bonus Doctor. Quid autem habes, inquit, quod non accepisti? à quo nisi ab illo qui te discernit ab alio, cui non donauit* (scilicet apposite, & opportune) *quod donauit tibi. Si autem, & accepisti ait, qui gloriaris quasi non acceperis? Nunquid quæso agit aliud, nisi, vt qui gloriatur in Domino glorietur. Nihil enim huic sensui tam contrarium est, quam de eius meritis quemquam gloriari tanquam ipse sibi ea fecerit, non gratia Dei.* Ecce quomodo Augustinus ex discretione solam infert necessitatem gratiæ. 419

Secundo respondeo Deum discernere radicaliter bene operantem à non operante, quia bene operanti dat gratiam, & dat apposite & opportune, quando, & vbi præuidetur homo consensurus, qua ratione non dat ei, qui non operatur. Vnde bona operatio tribuenda est Deo tanquam primæ radici, & fonti à quo descendit, & pro ea iure optimo gratiæ referendæ sunt Deo, sicut gratiarum actio debita est illi, qui te in eo statu constituit 420

ex

ex quo ad ingentem fortunam, vel dignitatem infallibiliter promouendus sis, & diceris, per illum ab altero discretus, quia te, & non alterum in eo statu constituit. Operans vero se discernit formaliter, non se solo, sed adiuuante Deo, quia positus in eo statu, pro suæ libertatis à Deo dominio, se & gratiam determinat ad bonam operationem, in qua stat formalis discretio. Nam vt ait Augustinus de prædestinatione Sanctorum cap. 5. circa finem. *Ipsa fides discernit ab infideli fidelem.... Non quia credere, vel non credere, non est in arbitrio voluntatis humanæ, sed in electis præparatur voluntas à Domino (scilicet in radice opportunæ donationis gratiæ) ideo ad ipsam quoque fidem, quæ in voluntate est pertinet. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti (scilicet in radice opportunæ vocationis?)* En quomodo Augustinus asserat ipsam fidem eatenus ad Deum pertinere, quatenus præparatur voluntas à Domino opportune vocante; eoque ait pertinere diuinam discretionem; non quia credere, vel non credere non sit in arbitrio voluntatis humanæ: ergo & discretio formalis erit ab arbitrio, se & gratiam determinante ad fidem.

121 Totam hanc doctrinam ebibimus ex Augustino lib. octoginta trium quæstionum quæst. 68. ita scribente. *Propterea etsi quisquam sibi tribuit, quod vocatus venit, non potest sibi tribuere, quod vocatus sit.* En quod homo apposite & opportune sit vocatus, Dei est discretio: quod autem ita vocatus venerit discretio est arbitrij. Idem docet de gratia Christi cap. 14. & de spiritu, & litera cap. 34. Ipsum velle credere (sanctam scilicet inspirationem) *operatur Deus in ipso homine: consentire autem vocationi, vel dissentire, propriæ voluntatis est.* Et tractatu. 4. in Ioannem. *Eo quod adiungis voluntatem tuam Deo castificas te ipsum casificas te non de te, sed illo qui velit, vt habitet in te: tamen quia agris ibi aliquid voluntate, ideo & aliquid tibi tributum est, ita vt dicas adiutor meus esto.* Et libro de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 21. *Initium ergo salutis nostræ Deo miserante habemus, vt acquiescamus salutiferæ inspirationi nostræ potestatis est:* Ergo ex Augustino discretio formalis bonæ operationis, supposita vocatione, arbitrij determinantis est Maxime cum loco illo de spiritu, & littera componat Augustinus illam suam sententiam cum testimonio illo Pauli ita scribens. *Quæ res non solum non infirmat quod dictum est. Quid enim habes quod non accepisti? verum etiam confirmat.*

Vnde Valentinus Theologiæ professor hac solutione tradita non deuorauit impauidus inconueniens. disp. 9. numero 31. fine, sed argumentum Thomistarum deuorauit, medulla Pauli intime penetrata.

Instat primo Viues num. 32. sequi ex nostra doctrina supposita vocatione Petrum se discernere à Paulo determinatione propriæ voluntatis, quæ non esset à Deo adhuc comitanter, quod nos non admittimus: ergo &c. Sequelam probat, quia tam vocatio, quam concursus indifferens diuinus supponunt determinationem creatam: ergo illam non efficiunt comitanter. Antecedens probatur, quia principium indifferens indiget determinatione voluntatis: ergo suppo- 122

nit illam. Respondeo distinguens antecedens: Quæ non esset à Deo determinante, concedo, efficiente, nego. Ad probationem nego antecedens, quia determinatio voluntatis pendet essentialiter à Deo, non determinante sed efficiente determinationem: non enim idem est efficere determinationem, & determinare: nam habitus efficiunt determinationem voluntatis, & non determinant voluntatem, etiam in sententia Thomistarum, sed potius determinantur ab illa. Vnde patet ad probationem. Nam eo quod principium indifferens indigeat determinatione non inde sequitur illam non efficere, vt patet in habitu.

423 Instat secundo num. 33. Quis enim dubitat Diuum Paulum non potuisse quærere an per vocationem discerneretur vnus ab alio, quasi eam non accepisset, sed à se haberet? Quis credat vocationem posse tribui creaturæ, quasi non acceptam à vocante? nunquam enim, quis vocat se ipsum: ergo vocatio accepta esse debuit, ac proinde non potuit esse discretio in vocatione, quasi non accepta, sed in consensu exhibito vocationi: & cum hanc discretionem neget Paulus esse ab homine, profectò vult consensum illum non discernere Petrum à Paulo, quasi ita sit à Petro, vt non sit à Deo.

Respondeo Paulum non potuisse quærere: An ex suppositione quod præcedat diuina vocatio, hæc sit à Deo, vel à nobis: certissimum enim est esse à Deo sine nobis. Intentum ergo Pauli, vt aiebat Cyprianus in nullo esse gloriandum de propriis viribus, quia nostrum nihil est sine gratia. Sed gloriandum in Domino à quo accepimus gratiam opportunam, qua discernit nos in quo nihil est, quod vel apicem doctrinæ nostræ conturbet.

Videamus nunc quid respondeat Viues auxiliaribus illis Augustini testimoniis à nobis adductis. Ad illud 83. quæstionum, quæst. 68. *Etsi quisquam sibi tribuit quod venit vocatus, non sibi potest tribuere, quod vocatus est*, ait num. 38. Augustinum in prima parte nihil asserere, sed tantum, sub conditione proponi, quasi dicat: dato quod quis sibi tribuit, quod venit vocatus, quod tamen nequit sibi tribuere; hoc vnum constat quod sibi nequit tribuere, quod vocatus est. Mouetur num. 39. quia fere immediate antea dixerat Augustinus. *Ad illam enim cœnam, quam Dominus dicit in Euangelio preparatam, non omnes, qui vocati sunt venire voluerunt; neque illi, qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere qui venerunt, quia vocati venerunt.* Incredibile ergo est contra hanc propositionem absolutam scripsisse Augustinum aliam illi oppositam; scilicet. *Etsi quisquam sibi tribuit, quod venit vocatus*, &c. Ergo Augustinus ea propositione nil de suo affirmat. 424

Cæterum ego non capio quæ oppositio sit inter istas propositiones: *Homo sibi tribuit quod vocatus venit: homo non sibi tribuit, nec tribuere potest, quod venit.* Etenim prima supponit gratiam opportunam, & sensus est: homo supposita opportuna vocatione sibi tribuit quod venit. Secunda vero non supponit gratiam opportunam, sed dari probat, & sensus est: Homo non sibi tribuit, nec tribuere potest, quod venit, propriis scilicet viribus, quia vocatus venit, id est quia Deus donauit illi gratiam præue- 425

præuenientem nullis suis meritis pręcedentibus, quod expressit Augustinus verbis fere immediate sequentibus: *Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur: Propterea etsi quisquam sibi tribuit quod vocatus venit*, &c. Itaque illud *quia vocatus venit* est ratio assignata ab Augustino propter quam homo sibi tribuere non potest, quod suis viribus venerit. Propositiones ergo Augustini istæ sunt: *Homo supposita gratia sibi tribuit quod venit: homo non supposita gratia non sibi tribuit nec tribuere potest, quod venit.* Inter istas autem propositiones, nec vestigium contrarietatis apparet: ergo Augustinus de suo ait: *Homo sibi tribuit, quia vocatus venit.* Nam si oppositum exprimere voluisset, non dixisset: homo sibi tribuere non potest, quod venit, sed addidisset, quod vocatus venit, qua tantum ratione secunda hæc propositio opponitur primæ.

426 Confirmatur, quia Augustinus asserit ex Pauli testimonio hoc vnum firmari, scilicet neminem sibi posse tribuere quod vocatus est: ergo censet Paulum non agere de discretione formali, qua vocatus consentit, sed de radicali qua vocatus est; aliter sicut ait firmari eo testimonio neminem posse tribuere sibi quod vocatus est, pariter dixisset firmari etiam neminem posse sibi tribuere, quod vocatus venerit, & id non conditionate, & indefinite dixisset, sicut nec aliud, sed assertiue vtrumque, quo habeo intentum, scilicet Paulum illo suo testimonio non agere de discretione formali, qua vocatus consentit, sed de radicali vocationis.

427 Aliis Augustini testimoniis collectiue respondet verum esse Petrum consentientem, & Paulum non consentientem, dum ambo vocantur, differre inter se, quia Petrus elicit actum consensus, Paulus vero actum dissensus, ac proinde in hoc esse discretionem Petri à Paulo. Vnde etiam in bono sensu dici posse, Petrum se discernere à Paulo in consensu, & tribuere posse discretionem, vt subiecto eam habente, & eam causante. Sicut enim Petrus re vera habet, & vult ac causat assensum vocationi, non vero Paulus; ita potest reuera tribui Petro, quod habet, & causat consensum, & in hac causalitate se discernit à Paulo, eo modo quo efficit assensum, & per quem habet differre à Paulo, & hoc sibi vult Augustinus illis testimoniis; non Petrum se discernere efficiendo immediate, & determinando ad consensum, quia hæc determinatio Dei est.

Libenter amplectimur solutionem, quo ad priorem partem, scilicet Petrum vocatum se discernere suo consensu à Paulo dissentiente, & id sibi posse tribuere. Inde impugno secundam, quia ille determinat consensum, qui discernit in consensu, sicut ille determinat in vocatione, qui discernit in vocatione; & in moralibus id apertissimum est, nam Iudex qui discernit in supplicio, determinat illud, & Rex qui discernit in dignitate, aut Episcopatu, determinat illum. Petrus autem vocatus se discernit in consensu: ergo & determinat illum: ergo non solum se discernit causando, & recipiendo consensum, sed etiam determinando. 428

Firmo, quia Paulus non agit de modo discretionis, sed de substantia illius; non enim ait: *Quis te discernit determinando? Quid habes quod non accepisti determinatus? si autem accepisti quid gloriaris, &c.* Sed simpliciter ait: *Quis te discernit? Quid* 429

habes quod non accepisti, &c. Ergo loquitur de discretione, quæ soli Deo, & nullo pacto, aut sensu creaturæ cōpetit: talis autem est sola discretio in vocatione: ergo de sola illa loquitur. Quorsum ergo nobis Paulum obiicit Viues. Denique dicat nobis hic recentior. Quomodo cum sua responsione cohæreat illa ipsius Glossa, quam Augustino coaptabat; scilicet dato quod quis sibi tribuit, quod venit vocatus, *quod tamen nequit sibi tribuere*, quomodo nunc in bono sensu iam potest vocatus sibi tribuere, cum tamen in Glossa non potuerit?

430 Instare posses. Voluntas potuit impedire suo dissensu ne Deus discerneret, & ne esset discretio ea vocatio, quæ de facto talis est: ergo Deum discernere in vocatione, & vocationem ipsam esse discretionem arbitrio tribuendum est. Antecedens probatur, quia voluntas suo dissensu potuit impedire præscientiam futuri consensus ex vocatione, si autem impediuisset, nec Deus discreuisset vocatione, qua de facto discernit, nec ista esset discretio: talis enim est à præscientia futuri ex illa consensus: ergo voluntas potuit impedire suo dissensu, ne Deus discerneret, & ne esset discretio, ea vocatio, quæ de facto talis est. Prima illa consequentia probatur, quia illi tribuitur aliqua operatio, qui potuit eam impedire, nec impedit: voluntas autem potuit impedire, ne Deus discerneret, & ne ea vocatio esset discretio, quæ de facto talis est: ergo, &c.

431 Respondeo concesso antecedente negans consequentiam, nam vt operatio aliqua tribuatur ei, qui impedire potuit, & non impedit, opus est vt teneatur eam impedire, aliter peccatum tribuendum esset Deo potenti, & non impedienti: homo autem etiam si impedire potuerit diuinam discretionem, non tamen tenetur, vt est per se notum, vnde discretio in vocatione soli Deo tribuenda est. Confirmo, quia plura possent etiam homines impedire, quæ tamen illis minime tribuuntur, nam legislatores impedire potuerunt peccata abrogantes legem, vel eam non ferentes, nec tamen ipsis peccata tribuuntur. Insuper etsi quis potuerit impedire electionem sui in Episcopatum ducendo vxorem, non tamen potest eam electionem sibi tribuere, etiam si statui clericali propria voluntate destinetur, quo se expeditum reddidit ad talem electionem. Similiter ergo, etiam si homo suo dissensu potuerit impedire ne discerneretur à Deo, & vocatio esset discretio, quia tamen suo consensu se in statu expedito constituerit, non inde sibi potest tribuere, quod discernatur à Deo.

Instare posses iterum: ergo etiam si homo non discernat in statu absoluto, se tamen discernet in statu conditionato. Probatur consequentia, quia in statu conditionato nulla præcedit præsciētia vnde discretio in vocatione talis est: ergo ipse *neque* se discernet in statu conditionato. Respondeo in statu conditionato nullam dari discretionem in vocatione, quia nulla datur discretio vnius ab altero in illa, nam quæcumque vocatio, & circumstantia est conditio respectu cuiusuis, cum sciat Deus quid vnusquisque sub quacumque vocatione, & circumstantia ageret. 432

Ad summum admitti posset aliqualis discretio in consensu, nam si vnus tali auxilio vocaretur consentiret, alter non: hæc autem discretio arbitrij est, vt constat ex dictis, est enim discretio, qua vocatus consentiret. 433

tiret. Dixi *aliqualis*, quia neque respectu consensus reperitur in statu conditionato discretio propria, nam Petrum se discernere à Paulo in consensu respectiue ad instans A. duo dicit: Petrum scilicet consentire huic vocationi in instanti A. & nulli alteri dissentire: Paulum vero dissentire eidem vocationi in eodem instāti A, & nulli alteri consentire: sic prædestinatus ad gloriam in statu absoluto stricte discernitur à reprobo, quia prædestinato ita hoc decreto destinata est gloria, vt nullo alio decreto prohibita sit, & reprobo ita vno decreto negata est gloria, vt nullo alio decreto concedatur; in statu autem conditionato, etiam si Petrus consensisset vni vocationi in instanti A & Paulus eidem dissensisset, tamen pro eodem instanti A, Petrus alteri vocationi dissensisset, cui consensisset Paulus. Vnde in statu conditionato etiam respectu eiusdem instantis determinari discretio stricta non est, sed permitio, non solum vnius cum alio, sed eiusdē etiam cum se ipso pro eodem instanti sub vna vocatione dissensuro, & consensuro sub alia. Alia quæ nobis obiiciuntur ex Paulo soluuntur disp. sequenti.



DISPVTATIO VII.

Mens Augustini pro scientia Media.

434 QVanti ponderis sit in præsenti controuersia mens Augustini, cæcus sit, qui non videat: Pars enim quæ suam sententiam Augustinianam conuicerit, gestire poterit: in vnius enim Augustini doctrina posita est victoria idcirco dum Romæ inter Doctores Dominicanos, & Iesuitas magnæ huius cōtrouersię feruebat opus, integra causa ex sedis Apostolicæ decreto ad Augustinum deuoluta est. Iudicem non recusamus, quem de nostra causa suspectum non habemus.

SECTIO I.

An Augustinus agnouerit scientiam Mediam.

PRior sententia affirmat Augustinum agnouisse scientiam Mediam 435
sed non illam approbasse. Ita Thomistæ teste Viues disp. 4. num. 5. vbi ait: Augustinum agnouisse scientiam Mediam, & illam non approbasse semper à nostris Doctoribus creditum est. Secunda sententia negat cognitam fuisse Augustino scientiam Mediam ita ex Patribus Societatis (ait Viues) Pater Molina in concordia Vlissippone impressa anno 1588. quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. vltimo. P. Vasquez 1. parte quæst. 14. disput. 67. cap. 4. in fine. Cæterum negamus nos, id dixisse Molinam, aut Vasquez, atque adeò omnes Authores Societatis stare pro sententia affirmante Augustinum agnouisse, & constanter approbasse scientiam Mediam.

Asseruo ergo Augustinum agnouisse 436
scientiam Mediam, & hanc scientiam fuisse omnium Doctorum Societatis. Prima pars probatione non indiget cum vltro, & spontanee donetur nobis à Thomistis. Secunda ostenditur, quia si qui dissenserint, maxime Vasquez, & Molina, isti enim tātum nobis obiiciuntur, eos autem non dissensisse conuincemus obiectionū solutione: Ergo.

Obiicit Viues disp. 4. n. 2. *mirum est* 436
inquit, quā vicissitudinē habuerit Authoritas August. apud Authores Societatis; nam

nam cum primum cœpit apud illos inuentum scientiæ Mediæ expresse pronuntiarunt eam ab ipsis inuentam, & in ipsa Societate ortam, & nutritam fuisse, ac proinde non solum ab Augustino non cognitam; sed etiam quod si S. Doctor percepisset, & explicasset, aut ea vsus fuisset ad conciliandam libertatem. Forte neque Pelagiana Hæresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrij nostri libertatem fuissent ausi negare, obtendentes cum diuina gratia, & prædestinatione coherere non posse. Neque ex Augustini opinione concertationibusque cum Pelagianis tot fideles turbati fuissent, ad Pelagianosque defecissent, & facile reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quarum in Epist. Prosperi, & Hilarij fit mentio, fuissent extinctæ. Verba sunt primi inuentoris, aut suscitatoris scientiæ Mediæ, Molina scilicet in concordia quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. vltimo. Cui plaudit Vasquez 1. parte quæst. 14. disp. 67. cap. 4. in fine dicens. Quod antiqui Scholastici, qui hactenus scripserunt tantum meminerint scientiæ simplicis intelligentiæ, & visionis parum interest, quia illi de hac scientia sub conditione nihil omnino disputararunt, aut meminerunt, quid igitur si nos aliam ponamus, cuius ipsi mentionem non fecerunt, neque negauerunt. Hæc obiectio iure hæreditario apud Thomistas transfunditur à Parentibus in filios, melius dixerim transcribitur à filiis ex Parentibus.

428 Respondeo citatum Vasquium ibi non agere de substantia præsentis controuersiæ, sed de circumstantia, An scilicet nostra conditionatorum sciētia dicenda sit Media, vel ad scientiam visionis aut simplicis intelligentiæ referenda, de quo non meminisse Antiquiores, sicut nec decreti conditionati quid infert? id inuenisset Viues si subsequentia immediatè Vasquij verba non suppressisset. *Demum*, inquit Vasquez *dissensio hac vocum est non rerum, atque in hac re varie loqui non multum refert. Ergo non est multum de illa curandum.* Quod recitauit Vasquez, cantauit Aluarez Dominicanus lib. 1. responsionum c. 5. num. 16. *Scholastici antiqui*, ait, *nihil omnino de scientia sub conditione disputarunt, aut meminerunt: Vnde non mirum quod nullam fecerint mentionem diuini decreti conditionati in quo infallibilitas futurorum conditionatorum innititur.* Vel ergo id sufficiens est fundamentum ad asserendum Augustinum non agnouisse decretum conditionatum, nec scientiam conditionatorum in illo, vel non? si primum: ergo Augustinus ex mente Aluarez non agnouit decretum conditionatum, & consequenter nec sciētiam conditionatorum in illo. Si secundum: ergo non bene infert Viues ex consimilibus Vasquij verbis, Augustinum ex mente Vasquij non agnouisse scientiam mediam.

Molina vero nunquam docuit, Augustinum non percepisse scientiam Mediam, vt ait Glossa, sed non omnino explicasse scriptis suis circumstantias omnes, & fundamenta illius scientiæ. De quibus omnibus ait Molina: *Quæ si data explicataque semper fuissent* (quæ verba substituit Viues) *forte neque Pelagiana Hæresis fuisset exorta, &c.* Ex eo autem quod scriptor non omnia suæ sententiæ fundamēta, & circumstantias omnino explicet; nec sequitur eum non percepisse suam sententiam, nec id iniuriosum illi est: nam si ea omnia ita diserte, vti poterant, explicuisset Augustinus, vnde tot subortæ fuissent difficultates circa illius mentem: nihil ergo dixit Molina, quod non dixerit Bannez 2. 2. quæst. 429

2. quæst. 1. art. 7. *Nouissimi Doctores fideles*, inquit, *Patrum vestigiis insistentes iuxta illud Ecclesiastici. 38. Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, in quibusdam expressiorem intelligentiam consequuntur, quam Antiqui Patres assequuti fuerint, excipimus Apostolos.* En comprehenso Augustino & exceptis Apostolis, ait Bannez recentes Doctores expressiorē in aliquibus intelligētiam consequutos.

430 Olim etiam nobis obiiciebant Thomistæ cum Aluares lib. 1. respons. c. 1. num. 24. Patrem Fonsecam eandem aleam cum Molina, & Vasquio iactasse, id tamen omisit Viues, quia ab ea calumnia vindicatum legerit Fonsecam cæterum ibidem vindicatos legere potuisset Molinam, & Vazquium, & ea, quæ à nobis responsa sunt infringere, & obiecta soluere: vtrumque omisit, nescio cur: vt ergo Thomistæ ab his obiectionibus in posterum abstineant, audi Fonsecam tom. 3. metaphysicæ lib. 6. cap. 2. quæst. 4. sect. 9. fine. *infinita*, inquit, *pene sunt loca, inquibus conditionatam præscientiam de liberis actibus futuris non solum Augustinus, sed etiam alij Patres asserunt: vsque adeo res in tota antiquitate perspicua erat, nec solum præscientia plane adstruitur à Patribus, sed etiam præcedere omne diuina voluntatis decretum, perspicuè traditur.* Quid euidentius.

431 Ex quibus collige quam sine fundamento scripserit Viues disp. 4 nu. 3. & 4. vel vt melius dicam transcripserit ex Ioanne à S. Thoma. In prioribus disputationibus Romæ habitis præcipua Societatis fundamenta eruta fuisse ex rationum naturalium pondere, & authoritate recentium Thologorum: postea verò quando ex sedis Apostolicæ decreto ad Augustinum deuoluta fuit controuersia, cœpisse nostros vbique terrarum docere scientiam Mediam ab Augustino cognitam, & passim approbatam. Hæc enim dicuntur, nec probantur, cum nullus fuerit in Societate IESV defensor scientię mediæ, qui scriptis suis Augustinum non aduocauerit Patronum, etiam ante illud Pontificis decretum. Id quod decennio iam antea cōcluserat contra Ioannem à Sancto Thoma eruditus noster Annatus in sua defensione sciētię MEDIÆ disp. 4. cap. 1. nu. 7. in eo tamen mirabilis est Viues, quod imposturam meram trāscribit, & claram nostram illius solutionem, & expugnationem recusat, nescio cur, tu mi Lector videas. Ego verbis Annati contra istam ad aduersariorum fabellam contentus gestio, ea sunt quæ sequuntur.

Sexto falluntur dum fingunt nostros 432 illà Pontificis obligatione ad disputandū ex Augustino, quòd sentirent se destitutos esse rationibus Philosophicis, *se cōuertisse* ad quęrēdaS. Augustini & S. Thomę testimonia, quasi vero vel antea solis vterentur rationibus naturalibus, vel tū demū de conciliādo sibi August. & Angelico Doctores cœperint esse solliciti. Legāt quęso Vasqueziū, qui diu ante disputationē hanc anno scilicet 1595. primū tomum in 1. partem absoluerat, in quo primam scientiæ mediæ probationē ex Scriptura, & Patribus, præsertim verò ex Augustino persequitur, quem dicit, *disertis verbis*, doctrinā hanc expressisse. Legant Fonsecam, qui vno post Vasquezium anno cum scriberet, vt ipse met dicit, & Augustini nominatim loca pleraq; citasset, ita loquitur, *infinita penè sunt loca in quibus vtramque præscientiam conditionatam de liberis actibus futuris non solum Augustinus, sed etiam alij Patres asserunt, quæ non est opus hoc loco referre: vsque adeò res in tota antiquitate perspicua erat; magisque comperta, nunc*

fuisset si Doctores scholastici eorum dicta attentius perpendissent, & ad propositam quæstionem expressius applicassent. Legant Suarem, qui aliquot etiam annis ante hanc disputationem edidit opuscula sua, in quibus postquam scientiã Mediam ex Scriptura probauit, ita eius probationem orditur ex Patribus. *Si varios loquendi modos in sanctis Patribus accurate obseruemus, non obscure, vt opinor, constabit, eos non minus certos fuisse de hac scientia Dei, quam de absoluta scientia futurorum contingentium?* Ac subinde catenam nectit Sanctorum Patrum; inter quos Augustinus non vnum annulum facit. Legãt etiam Molinam superbum illum, qui de ignorãtia totius antiquitatis insolenter triumphat: & videant, quàm sit parum id, quod ille sibi arrogat, cum colligit ex allatis a se Patrum testimoniis, scientiam Mediam ipsos, *si non nostris verbis, re tamen ipsa affirmare* dum se illam testimoniis SS. Patrum (inter quos numerandus etiam Augustinus) imo & scholasticorum corroborasse dicit, dum fatetur ingenue se *in labores aliorum ingressum, totque concertationibus, & egregiis aliorum dictis, atque inuentis illustratum, vt dilucidius aliquantulum radicem attingeret vnde hæc omnia consentirent, & difficultates omnes facile enodarentur.* Quî fieri potuit, vt qui tandiu ante, scientiam Mediam munierant authoritate Patrum, & præsertim Augustini, se comprehensos crediderint, cùm est intellectum sepositis rationibus Philosophicis ex Augustino esse disputandum: cœperintque tunc primum necessitate coacti se conuertere ad voluendos Augustini tractatus, vt pote aliis munitionibus iam pulsi? vide quam congrua sit, & quam probabilis narratio, rum missos Romam ad disputantes non solum manuscriptos sed editos etiam libros ab eminentibus Theologis Societatis, nempe quia iuuare poterant ad intelligendam Augustini sententiã. Adeò ne vero ignari erant, atque inexperti Gregorius de Valentia, quem Salmanticenses *eruditissimum* vocant *& in SS. Patrum lectione valde versatum*, & tres alij, quos etiam fatentur *eximios Theologos*, vt in hanc arenam descenderent iis auxiliis destituti, quæ parata iam erant editis à Societate libris? Non intellexerunt scientiam Mediam à nostris esse Augustini authoritate vallatam, extareque in luce publica editos super argumento illo libros? Et fuit adhibenda cursorum diligentia vt libri huiusmodi ex Hispania portarentur, qui vsui esse possent instanti discrimini? Quis non videt narrationem hanc haud satis fuisse meditatam? 433

Hoc vnum scio, vt irrefragabilibus testimoniis à me ostẽsum in superioribus est, Patres Dominicanos seniores totis sensibus reprobasse certam scientiam conditionatorum contingentium in decreto, & solam cognitionem cõiecturalem contingentium Deo supposuisse, idque ex mente Augustini, & Thomæ. Explicent nobis quisnam iste sit Augustinus, quisnam iste Thomas. Sunt ne illi ad quos ex decreto sedis Apostolicæ tota nostra controuersia deuoluta est? si ita est: ergo nouum Augustinum, & Thomam sibi fingunt recentes Thomistæ apud quos scientiam infallibilem conditionatorum contingentium compererunt. Si non est ille? ergo alium Augustinum & Thomam agnouerunt antiquiores Thomistæ, alium Pontifex. Quid ergo fieri potuit vnde Augustinus, & Thomas, inter Thomistas, ex se ipsis in alios transformati fuerint? Hæc sane mira est vicissitudo, peregrina metamorphosis.

SECTIO

SECTIO II.

Augustinus approbauit scientiam Mediam, & constanter defendit.

434 IMmensum esset omnia Augustini testimonia scientiæ Mediæ propitia recensere. Selectiora proferam, hæc quæ meo iudicio hactenus insoluta sunt. Id semper memineris nomine scientiæ Mediæ aliud non venire, quam scientiam conditionatorum ante decretum actu, & formaliter existens in Deo, id est independenter à tali decreto.

435 Probatur Primo conclusio ex libro de prædestinatione Sanctorum cap. 10. vbi ita scribit Augustinus. *Prædestinatio est, quæ sine præscientia esse non potest, potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præsciuit, quæ fuerat ipse facturus: vnde dictum est, fecit quæ futura sunt: præscire autem potest etiam, quæ ipse non facit, sicut quæcumque peccata.* Ex quibus ita disputo. Præscienria potest esse sine prædestinatione: Prædestinatio ex Augustino est decretum intrinsece efficax, mea opinione prædefiniés, Thomistarum opinione prædeterminans: ergo ex Augustino præscientia potest esse sine decreto intrinsece efficaci: atqui si Deus haberet præscientiam futurorum in decreto intrinsece efficaci, non posset esse sine decreto: ergo. Maior probatur, quia prędestinatio ex phrasi Augustini quid communne est non solum decreto efficaci dandi gloriam ex meritis, sed etiam decreto efficaci quamcumque creaturam producendi: ergo nomine prædestinationis intelligitur decretum intrinsece efficax. Antecedens probatur, tum quia apud Augustinum idem valet prædestinatio ac propositum. Propositum autem fatentibus aduersatiis idem valet, ac Decretum intrinsece efficax. Tum etiam, quia nomen prædestinationis promiscue sumitur ab Augustino circa creaturas rationales, & non rationales, vt videre licet libro de prædestinatione Dei, vbi Augustinus ita loquitur: *Prædestinauit vt cælum semper volueretur, terra immobilis circumuoluenti cœlo, loco centri haberetur....... Hæ predestinationes potentia sunt, & alligationes. Creauit Deus hominem & prædestinauit, vt sibi obediens esset &c. Hæc prædestinatio conditionis est & iustitiæ, non enim Deus ante casum hominis, sic eum per potentiam alligationis prædestinauit mori, vt necesse esset eum mori, sed sub ea conditione si peccaret*: Ergo apud Augustinum nomen prædestinationis idem valet ac decretum efficax.

Respondet Viues disp. 7. num. 29. 436
iactans, quod non inuenerit ea Augustini verba à nostris Doctoribus obiecta. Cæterum non inuenisse incuria ipsius fuit, si enim voluisset Societatis Authores inuenisset apud P. Annatum in definitione scientiæ Mediæ disp. 1. cap. 3. §. 3. numero, 10, & ordine 33. ad finem, qui libet nouem annis ante Viues excusus est Tolosæ, & toto orbe vulgatus. Respondet ergo nu 33. & 34. dupliciter vsurpari ab Augustino nomen prædestinationis. Primo generaliter pro quocumque decreto intrinsece efficaci, qua ratione vtitur Augustinus quoties ait præscientiam cognoscere, quæ Deus prædestinat. Secũdo stricte pro electione ad gloriam, cui nostris temporibus nomen prædestinationis appropriatum est, & ita vtitur Augustinus, quoties distinguit inter præscientiam, & prædestinationem, nec eas coniungit, quod præstitit

testimonio illo à nobis obiecto: vnde sensus Augustini est Deum omnia opera nostra præscire etiam mala, sed non prædestinare ad gloriam, eo modo, quo gratiam, & bona opera prædestinat, scilicet vt media primo, & immediate volita ex intentione tali, quod per se conferat ad gloriam.

437 Contra tamen, quia Augustini temporibus commune erat nomen prædestinationis tam electioni ad gloriam, quam cuicumque decreto intrinsece efficaci: ergo cum ex vna parte asserat Augustinus peccata præsciri, & non prædestinari, & ex alia nunquam asserat peccata prædestinari, cum tamen doceat cœlos, & terram prædestinari signum euidens est sensisse Augustinum nomen prædestinationis in nulla vsurpatione adaptari posse peccato. Confirmatur, quia non possumus nos cum fundamento asserere Augustinum strictius vsurpasse nomē prædestinationis, quam prædefinitionis siue decreti intrinsece efficacis, nisi constet ab eo negari prædestinationem alicuius, cuius tamen asseratur prædefinitio: ab Augustino autem nullius asseritur prædefinitio, cuius negetur prædestinatio: ergo.

Vrgeo quia ne apex quidem extat apud Augustinum vnde colligatur, illum permittere, posse dici prædefinita, quæ non possunt dici prædestinata: ex mente autem Augustini peccata non possunt dici prædestinata, cum ab ea locutione perpetuo abstineat, cum tamen alioqui familiarissima sit: ergo neque possunt dici prædefinita seu voluntate intrinsece efficaci decreta.

438 Probatur secundo ex libro de dono perseuerantiæ cap. 14. vbi ait Augustinus: *Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant.* In quibus Augustinus agnoscit esse aliquos homines, ita bene de virtute naturaliter sentientes, adeò dociles, & indolis virtutum operibus accommodatæ, qui si congrua suis mentibus vel audirent verba, vel signa conspicerent latenti sub illis verbis, aut signis Spiritus Sancti gratiæ consentirent credentes: ergo Augustinus in præscientia illius fidei sub conditione nullum agnouit decretum prædeterminans. Probatur consequentia, quia decretum prædeterminans in nullo frustraretur, sed in omnibus sortiretur effectum, etiam in illis qui munus illud intelligentiæ non haberent, & non stante tali decreto nullus consentiret, etiam eorum, qui tale munus intelligentiæ haberent: ergo præscientia illius fidei sub conditione frustra & inepte scrutaretur in homine bonam illam opinionem & indolem ad agnoscendum consensum, si tota congruitas, & efficacia in solo decreto posita esset.

Respondet primo citatus Viues 439
num. 18. Augustinum ibi non excludere decretum, nam munus illud naturalis intelligentiæ seu docilitatis dicitur ab Augustino diuinum, id est ex Dei omnipotentia, & decreto descendens. Hæc tamen responsio friuola est nec satisfacit, etenim non disserimus de præscientia muneris illius, seu docilitatis naturalis; quæ absolute existens vel futura descendit à decreto diuino, sed de præscientia fidei conditionatæ supernaturalis in eo, qui tale munus habebat, si congrua sibi verba audiret, vel signa vidisset. Quorsum, inquirimus, hæc præscientia inuestigaret munus illud intelligentiæ ad cognoscendum hominem crediturum, si tota securitas, & infallibilitas

fallibilitas fidei in decreto prædeterminante consensum posita esset.

450 Respondit secundo nunquam expressisse Augustinum munus illud esse ante decretum. Contra tamen, quia nos non agimus de præscientia muneris, sed fidei posito munere, neque nos intendimus esse munus ante decretum de ipso, sed independere à decreto prædeterminante consensum, & magis displicet, quod additur num. 21. scilicet Augustinum loquutum non fuisse de fide actuali infallibiliter sub conditione futura, sed de potestate credendi: Tum quia promoueri ad fidem non est posse credere, sed actu credere; sicut promoueri ad Episcopatum non est posse esse Episcopum, sed actu esse. Tum etiam quia sermo erat de Tyriis, & Sidoniis, quos infallibiliter crediturος si prædicationem Christi audiuissent, vel vidissent signa constanter censuit Augustinus cap. 9 eiusdem libri de dono perseuerantiæ ad illud: *Va tibi Corozain, &c. Numquid*, ait, *possumus dicere etiam Tyrios, & Sidonios, talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse si fierent, cum eis ipse Dominus attestetur, quod acturi essent magna humilitatis pœnitentiam.* Tum denique quia sine illis signis stetit potestas credendi, aliter non credentes, qui signa illa non vidissent, nec peccassent, quod dici non potest: ergo Augustinus non de potestate credendi, sed de fide actuali loquutus est.

451 Respondet tertio num. 24. Augustinum eo testimonio non fauere sciẽtiæ mediæ, quia illius Authores non constituunt congruitatẽ diuinæ vocationis in illa coaptatione ad tale ingenium, sed in denominatione extrinseca à consensu voluntatis: ad quid ergo scrutatur Deus illud ingenium, vt consensum cognoscat. Contra tamen, quia etiam si coaptatio ipsa non sit ratio infallibiliter connexa cum consensu, vnde à nobis illi soli congruitas, & efficacia negatur, tamen est valde conducens, nam voluntas, quæ cum illa pro sua libertate consentiret, sine illa pro sua etiam libertate non consentiret, sed dissentiret: vnde præscientia consensus iure optimo eam coaptationem ingenij perscrutatur, sine qua voluntas minime consentiret. In sententia autem aduersariorum eodem modo consentiret voluntas cum ea coaptatione, ac sine illa, dummodo prædeterminaretur, & eodem modo dissentiret si non prædeterminaretur: ergo præscientia futuri consensus inepte, & inutiliter ad eam coaptationem attenderet.

Probatur tertio ex quæstione 2. lib. 1. ad Simplicium, vbi Augustinus. 452 *Quamuis multi vno modo vocati sunt, tamen, quia non omnes vno modo affecti sunt, illi soli sequuntur vocationem, quia ei capienda reperiuntur idonei, & illud non minus verum sit, igitur non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocauit, quando aptum erat eis, qui sequuti sunt vocationem.* Sensus est: quamuis multi vno modo, id est vna, & æquali gratia in entitate vocati sunt, tamen quia non omnes erga illam vno modo affecti sunt, illi soli sequuntur vocationem, qui ei capiendæ, id est acceptandæ repetiuntur, siue cognoscuntur idonei, id est præsciuntur consensuri, non præcisè, quia erga gratiam bene affecti sunt, sed quia pro libera sua voluntate, qui ita bene affecti sunt non dissentiunt: vnde non est volentis, neque currentis sed miserentis Dei, qui hoc modo

vocauit, quando, id est tempore, & circumstantiis, quibus homo factus idoneus consensurus præuidebatur, quæ omnia licet non vocabulo, te tamen nihil aliud sunt, quam scientia Media.

453 Iterum ibidem infra Augustinus. *Quod si vellet etiam ipsorum misereri posset, ita vocare quando illis aptum esset vt & mouerentur, & intelligerent, & sequerentur. Verum est ergo multi vocati, pauci vero electi: illi enim electi, qui congruenter vocati, illi autem qui non congruebant, nec contemperabantur vocationi, non electi, quia non sequuti quamuis vocati. Item verum est non est volentis, neque currentis sed miserentis est Dei, quia etiam si multos vocet eorum, tamen miseretur, quos ita vocat quo modo eis vocari aptum est, vt sequantur.* Præter ea, quæ numero præcedenti pro arbitrij contemperatione cum diuina vocatione expendebamus, quæ iterum inculcat Augustinus signanda sunt verba illa: *Illi autem electi qui congruenter vocati: illi autem qui non congruebant nec contemperabantur vocationi non electi, quia non sequuti, quamuis vocati*, id est, illi enim electi, quia vocati sunt ex præscientia futuri consensus, à voluntate coaptata, & contemperata vocationi: illi autem non electi, quia vocati sunt ex præscientia futuri dissensus à voluntate mini me coaptata, & contemperata vocationi *Idcirco*, ait Augustinus, *hos non electos, quia non sunt sequuti, quamuis vocati*, non ait quia non sunt prædeterminati, sed quia non sunt sequuti: ergo censet Augustinus eandem vocationem esse electionem in eo, cui donatur cum præscientia futuri consensus; & non esse in eo cui donatur cum simili præscientia: illa autem præscientia est antecedens, & independens à quocumque decreto prædeterminante, aliter decretum vocationis non à præscientia, sed à se solo esset electio.

Inferius iterum ibidem Augustinus: *Cum ergo alius sic, alius autem sic moueatur ad fidem eademque res sæpe alio modo dicta moueat, alio modo dicta non moueat, aliumque moueat alium non moueat, quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esaü ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque coniungeret, in quo Iacob iustificatus est.* Quibus apertissimè reuelat Augustinus quam aliena fuerit illius mens à prædeterminantibus decretis, etenim si vocatio esset à decreto prædeterminante consensum, quocumque modo & quemcumque moueret ad fidem: vnde ridicula essent verba illa Augustini ad efficaciam diuinæ vocationis explicandam, scilicet. *Eadem res sæpe alio modo dicta mouet, alio modo dicta non mouet, aliumque moueat, alium non moueat.* Denique vltimis verbis mirifice concludit Augustinus Deum non applicare nostram voluntatem ad fidem, sed voluntatem semel vocatam se ipsam applicare. *Quis audeat*, inquit, *dicere defuisse Deo modum vocandi quo etiam Esaü ad eam fidem mentem applicaret voluntatemque coniungeret in quo Iacob iustificatus est.* Decretis autem prædeterminantibus voluntas non se applicat ad fidem, sed applicatur à Deo, sicut non se determinat voluntas sed determinatur à Deo: ergo præscientia conditionatorum ex Augustino non habetur in decreto prædeterminante 454

Respondet Viues num. 26. verum quidem esse Deum mouere, & vocare vocatione congrua, & quomodo scit vocato congruere, quia scilicet ille ita affectus est, vt quæ vocatio alium 455

alium sic non affectum non moueat ipsum sic affectum, moueat, non quia ea vocatio ex se habeat congruitatem illam, aut quia illa affectio hominis vocati sit aliquid se tenens ex parte eius ante Dei dona, & ante Dei decretum de dando illo affectu, sed quia ex Dei decreto & operatione habet illam affectionem. Contra tamen quia nos non disputamus an ea affectio descendat à decreto Dei absoluto, & si nullum inuoluat actum liberum creaturæ, admittimus descendere à decreto intrinsece, & antecedenter efficaci, sicut vocatio descendit. Quod intendimus est Deum certissime scire absque vllo extrinseco adminiculo decreti actu, & formaliter existentis in ipso. Quod si homo ita affectus, & contemperatus vocationi vocaretur, consentiret, quia nihil aliud exigitur ab Augustino ad eam præscientiam. Prætetea etiam si illa affectio descendat à decreto, vnde inferri potest ex Augustino descendere à decreto prædeterminante consensum, cum istius præscientia referatur ab Augustino in voluntatem contemperatam, nulla vel leui habita mentione decreti. Alia testimonia his similia habet Augustinus 1. de gratia Christi cap. 13. & 14. & in Enchiridio cap. 95.

456 Probatur quarto ex lib. de prædestinatione & gratia cap. 15. vbi comparans Augustinus Nabuchodonosorem, & Pharaonem, ambos homines, ambos reges, ambos populum Dei possidentes, ambos flagellis clementer admonitos, ait: *Fines ipsorum ex libero arbitrio fuisse diuersos.* Et de correptione, & gratia ait de Angelis: *Cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium alij steterunt.* Si autem Deus creatum arbitriũ decretis prædeterminantibus vrgeret, fines eorum regum diuersi non fuissent ex libero arbitrio, sed ex diuino decreto. Insuper lib. 3. de libero arbitrio cap. 14. ait Augustinus. *Si laboriosum est omnia mandare memoria, hoc breuissimum tene. Quacumque ista causa est voluntatis si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur, si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur.* Decretum autem prædeterminans est causa cui resisti non potest, cum sit voluntas intrinsece efficax: ergo negat Augustinus præcedere actum liberum, cum censeat, tali decreto stante ad peccatum, excusandos esse a culpa, qui illi cederent, siue succumberent: ergo ex Augustino conditionatorum præscientia non innititur decreto prædeterminante.

SECTIO III.

In eadem sententia constans Augustinus.

PRobatur quinto, quia Deus ex Augustino certo scit peccata sub conditione futura: non in decreto prædeterminante: ergo in se ipsis, quæ est scientia Media, medium autem non est vt fatetur Viues, nam physica futurorum præsentia in æternitate, ad quam quidam Recentiores Thomistæ, qui rem non bene norunt, confugiebant teste Aluarez disp. 10. de auxiliis, non potest esse medium cognoscendi futura conditionata, quæ nunquam erunt, nam in æternitate non existunt physice nisi ea futura, quæ erunt in aliqua differentia temporis: medium autem cognoscendi futura conditionata idem est pro omnibus: ergo non potest esse præsentia in æternitate. Consequentia illa bona est. Maior conceditur ab aduersariis, 457

sarij, si minorem probauerimus actum erit de tota controuersia. Probatur ergo minor primo ex Augustino lib. de spiritu, & litera cap. 31. dicente: *Nusquam legimus, non est voluntas nisi à Deo, & ideo non scriptum est, quia verum non est:* ergo est voluntas quæ non sit à Deo: non nisi mala: ergo. Insuper Epist. 120. cap. 19. ait *Deum prædicere peccata hominum, non facere*, & nequis putaret aliquo modo pertinere ad Deum prædeterminantem, id excludit omnino addens: *Quamuis mala inferat; mala, non peccata, sed supplicia*, in quibus negat Deo voluntatem illatiuam peccati, qualis esset quæcumque prædeterminans vel antecedenter efficax, & solum concedit voluntatem pœnæ posito peccato.

458 Præterea lib. 5. cap. 9. de Ciuitate Dei: *Sicut omnium naturarum creator est Deus; ita omnium potestatum dator, non voluntatum; mala quippe voluntas ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est.* Quid euidentius? Insuper cap. 10. *Neque ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum præsciuit, ideo non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia ille cuius præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed illum peccaturum esse præsciuit.* Si ergo non præsciuit peccatum in fato, neque in fortuna, neque in aliquo alio: ergo neque in decreto, sed in se ipso. Rursus lib. 13. de Ciuitate Dei cap. 15. *Anima non deserta est vt desereret; sed vt desereretur deseruit. Ad malum quippe eius prior est voluntas eius, ad bonum vero prior voluntas creatoris eius.* Si autem Deus prædeterminaret ad malum, prior esset voluntas Dei, quam creata: vnde prius desereretur, quam desereret. Clarissime lib. de prædestinatione, non tamen è contra, immediate addit. *Prædeterminatione quippe Deus præsciuit, quæ fuerat ipse facturus: Vnde dictum est, fecit quæ futura sunt. Præscire autem potest etiam quæ ipse non facit sicut quæcumque peccata.* Si autem Deus prædeterminaret ad peccatum faceret illud sine dubio sicut facit cætera omnia quæ prædeterminat.

Denique de prædestinatione, & gratia cap. 4. ad illud Rom. 9. *Quem vult indurat* ita scribit. *Non ita intelligendum est, quasi Deus in homine, ipsam, quæ non esset, duritiam cordis operetur. Quid enim aliud est duritia quam Dei obuiare mandatis, quam qui à Deo fieri, putat propter quod dictum est: Quẽ vult indurat, ipsum præuaricationis intueatur exordium, & Deo donante mandatum, per quod transgreßionis culpam in corde fuerit operatus attendat, quamuis ne ab ipso quidem si negaret assensum potuit tentatore compelli: ergo quidquid post illam præuaricationem natus supplicij homo patitur iustè reddi, meritoque fateatur. Indurare enim Deus dicitur eum quem mollire noluerit. Sic etiam execare dicitur eum, quem illuminare noluerit. Sic etiam repellere eum, quem vocare noluerit.*

Eadem docet aliis in locis in quibus apertissime docet Deum non operari indurationem, nec compellere hominem ad peccatum. In sententia autem Thomistarum, & Viues disp. 7. à num. 35. operari in durationem, & ad peccata compellere idem est, ac prædeterminare: ergo negante Augustino Deum operari indurationem, & ad peccata compellere; clare negat decreta pecatum prædeterminantia. Quod iterum explicat vltimis verbis, asserens Deum indurare non operando & compellendo ad peccatum, sed non emolliendo, id est substrahendo auxilia efficacia, quibus peccatoris 459

cor

cor emolliretur, ad consensum.

460 Respondet, Viues disp. 7. dist. 3. Augustinum non negare prædictis locis prædeterminationem diuinam ad materiale peccati, sed tātum ad formalem illius malitiam, ducitur, quia tom. 7. lib. 5. contra Iulianum cap. 3. expresse ait Augustinus testimonio sectione sequenti à nobis expēdendo, Deū compellere hominem ad peccatum, tradere illum in passiones ignominiæ, indurare, & obcæcare.

Contra tamen primò, quia Augustinus eiusmodi loquutiones explicās nunquam recurrit ad prædeterminationem entitatis peccati, sed ad subtractionem gratiæ efficacis. *Indurare enim*, inquit Augustinus, *dicitur eum, quem mollire noluerit; excæcare, quem illuminare noluerit, &c.* ergo ea prædeterminatio nullum habet fundamētum in Augustino. Contra secundo, quia Augustinus licet vtatur eo modo loquendi in ordine ad peccatum subsequens, nusquam tamen eo vtitur in ordine ad peccatum antecedens: ergo nullum est fundamentum in Augustino ad asserendum Deum prædeterminare, etiam quoad entitatem, antecedens peccatum. Huius autem negari non; postest ex Augustino præscientia: ergo stat præscientia sine prædeterminatione.

461 Nec soluit Viues respondens n. 51. satis esse quod precedens peccatum sit originale. Tum quia de isto fuit præscientia, & non impulsus, siue prædeterminatio: ergo &c. Tum etiam, quia ea responsio est contra Augustinum, qui enumerans peccata præcedentia propter quos tradidit illos Deus in passiones ignominiæ, non meminit peccati originalis, sed plurium actualium. *Et coluerunt* inquit Augustinus, *& seruierunt cratura potius quam creatori, qui est benedictus in secula amen .... propter hoc tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.* Est contra S. Paulū qui in c. 1. Epist. Rom. 1. similiter referens peccata præcedentia propter quæ tradidit illos Deus in passiones ignominiæ, ait: *Quia cum cognouissent Deū non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerūt in cogitationibus suis, & obscuratum est incipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum & serpentum propter quod tradidit illos Deus, &c.* Est contra. S. Thomam qui in cap. 1. Epist. ad Rom. locum illum Pauli circa peccatum antecedens ita interpretatur lect. 7. *Culpa quidem eorum fuit, quod quantum in ipsis erat honorem diuinum in alium transtulerunt secundum illud Ieremiæ 2. Populus meus mutauit gloriam suam in idolum ..... mutauerunt gloriam ..... cum cultum Deo debitum exhibuerunt alijs.* Et inferius. *Et quod est abominabilius, homo gloriam Dei transtulit, non solum in hominem qui est ad imaginem Dei, sed etiam ad ea quæ sunt infra hominem. Vnde,* subdit, *& volucrum quantum ad volatilia, & quadrupedum quantum ad gressibilia, & serpentum quantum ad reptibilia.* Et circa finem *coluerunt; & seruierunt creaturæ potius* &c. *colebant enim cælestia corpora, & aërem, & aquam, & alia eiusmodi.*

Contra tertio, quia etiam si daremus Augustinum admisisse prædeterminationem ad materiale peccati, constans autem est apud omnes nullatenus admisisse prædeterminare Deum ad finalem illius malitiam, præsciuit autem illam: ergo non in decreto prędeterminante: ergo ex Augustino stat præscientia absque prædeterminatione. 462

R SECTIO

SECTIO IV.

Scientia Media obiectionum solutione firmior in Augustino.

463 Obiiciebat olim Aluarez lib.3. de auxiliis disp.24.num.16.S Augustinum lib.2. de libero arbitrio cap. 19. asserentem. *Sed tu fortassis quæsiturus es, quoniam mouetur voluntas cum se auertit ab incorruptibili bono, ad mutabile bonum. Vnde & iste modus exsistit? qui profecto malus est.* Et cap.20. ad quæstionem respondens inquit. *Omne bonum ex Deo, nulla ergo natura est, quæ non sit ex Deo, motus ergo ille auersionis, quem fatemur esse peccatum, quoniam defectiuus motus est, omnis autem defectus ex nihilo est. Vide quò pertineat, & ad Deum, pertinere non dubites:* Ergo ex mente Augustini motus peccati est à Deo prædeterminante, quo ruit scientia media decretis indifferentibus innixa. Respondeo imprimis falso citari Augustinum cap. 19. non habentur illa nisi cap. 20. Deinde conueniamus cũ Aluarez loqui Augustinum de prædeterminatione ad materiale peccati. Infert igitur Aluarez ex mente Augustini Deum Prædeterminare decreto suo efficaci ad materiale peccati, quia Augustinus ait, *motum defectiuum ad Deum pertinere non dubites:* ergo si oppositum teneat Augustinus nostra erit victoria: Augustinum autem tenere oppositum perspicuum est, & sole clarius, non enim ait *ad Deum pertinere non dubitas*, sed *ad Deum non pertinere ne dubites.* Vidi, & legi sæpius & deprehendi labores aduersariorum esse nobis adeò proficuos, vt quæ antea erat obiectio nunc sit firma pro scientia Media probatio. Nam ex Augustino citato nulla est ad materiale peccati prædeterminatio: est autem præscientia: ergo stat præscientia sine prædeterminatione.

Obijcit secundo Viues disp.7.ânum. 464
37.S.Augustinum tom.7.lib.5.contra Iulianũ c.3.cui nẽpe Iuliano non placuerat sentẽtia Augustini, scilicet vnũ peccatum esse pœnam alterius, ita ergo illum redarguit. *Quod ergo in aliis opusculis meis legisse te dicis, atque id frustra refutare conatus es, esse nonnulla peccata quæ pœnæ sint etiam peccatorum, deposito vincendi studio diligenter attende, & inuenies esse verissimum secundum ea, quæ de cordis cæcitate tractata sunt.* Nempe circa Pauli verba ad Romanos. 1. *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant, quæ non conueniunt,* & iterum, *& coluerunt & seruierunt creaturæ potius quam creatori, propter hoc tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.* Duo, inquit citatus Viues, probat Augustinus contra Iulianum. Primum est Paulum non fuisse loquutum hyperbolice sed cum omni rigore & proprietate, & absque excessu aliquo. Secundum est peccata, quæ sunt pœnæ aliorum peccatorum, non tantum dici esse à Deo pure permittente, siue per patientiam diuinam eos in sensu reprobo relinquentem, sed etiam, quia per diuinam potentiam sunt in peccata compulsi, & consequenter prædeterminati.

Primum ostendit verbis illis: *Tradidit illos Deus in reprobum, &c. hoc enim voluisti videri hyperbolicos dictum, quod fit cum ad permouendos animos fidem rerum, qui sermocinatur excedit. Vbi ergo id Apostolus fecerit non grauaris ostendere. Cum inueheretur, inquis, in impiorum crimina, pœnarum ea nominibus aggrauauit, quantum, que pectori suo virtutum omnium domicilio turpitudo horreret ostendens,* 465 *non*

non tam reos, quam damnatos sibi tales, ait, videri. Imo sicut ipse loquitur, non sicut tu loqui fingis, & damnatos demonstrauit reos, nec solum de præteritis reos, propter quæ damnatos; sed inde etiam reos, vnde etiam damnatos, nam reos ostendit vbi ait: Et coluerunt, & seruierunt creaturæ potius quam creatori, qui est benedictus in sæcula amen, deinde damnatos propter reatum. Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.

466 Secundum probat verbis paulò post sequentibus. *Quid est quod dicis cùm desideriis suis traditi dicuntur relicti per diuinam patientiam intelligendi non per potentiam in peccata compulsi, quasi non simul posuerit hæc duo idem Apostolus, & patientiam, & potentiam vbi ait: Si autem volens Deus ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem. Quid horum tu dicis esse quod scriptum est; & propheta si errauerit, & loquutus fuerit; Ego Dominus seduxi prophetam illum & extendam manum meam super eum, & exterminabo eum de medio populi mei Israël, patientia est an patientia?* Insuper lib. de gratia, & libero arbitrio postquam cap. 20. plura ex Scripturis collegeat testimonia. V. g. Pharaonis, cuius cor induratum est, Semel cui Dominus præceperat vt malediceret Dauid, Iudæ proditoris, & alia sequenti cap. 20. & ita loquitur. *His, & talibus testimoniis diuinorum eloquiorum, quæ omnia commemorare nimis longum esset, satis quantum existimo manifestatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinadas eorum voluntates quocunque voluerit, siue ad bona pro sua misericordia, siue ad mala pro meritis eorum. Iudicio vtique suo aliquando aperto, aliquando occuculto, semper autem iusto.*

Denique de correptione, & gratia cap. 7. *Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est? illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per iudicium: illos vero elegit ad obtinendum regnum suum, illum vero ad effundendum sanguinem suum.* En quomodo Augustinus vtatur nomine electionis etiam respectu Iudæ ad effundendum Christi sanguinem. 466

Huic obiectioni, quæ recens non est, sed plena dierum; ad illud electionis Iudæ ad effundendum Christi sanguinem; respondebat Soarius in opusculis lib. 2. de concursu Dei cap. 5. num. 4. verbum illud Augustini pie esse exponendum, nam mens Augustini tam ex illo loco, quam ex multis aliis est clarissima, verba autem sunt duriuscula, & minus propria: Deus ergo præuidens futuram malitiam Iudæ si illum permitteret suo arbitrio, & voluntate vti, æterno consilio decreuit id permittere, & mala illa voluntate ad bonum vti, & voluntatem permittendi peccatum Iudæ, & ordinandi illam ad tale bonum vocauit Augustinus electionem ad effundendum sanguinem: non quia Deus per se intenderet maleficium Iudæ, sed quia intendebat bonum effectum ad quem ita seruiebat illa permissio, ac si esset præfinitio, ac electio. Huiusmodi autem loquutiones non sunt à nobis vsurpandæ, nedum extendendæ, ne occasionem erroris vel scandali tribuamus. 468

Instat Viues disp. 7. num. 4. Ecce inquit, qui scādalizātur ex verbis & doctrina Augustini, & in eis occasionem erroris, impropriètatem, & duritiem inueniunt non sunt Thomistæ, sed 469

fautores scientiæ mediæ, quibus sicut non placet doctrina hactenus ex Augustino transcripta, nempe Deum esse causam illius peccati, quod est pœna alterius peccati, quinimo hanc propositionem omnino esse vitandam tenet Suarez l.2. citato c.8. num.8. sic etiam displicet, quod Augustinus dixerit Christum elegisse Iudam ad effundēdum suum sanguinem in aliorū peccatorum pœnam. Egregia sane respōdendi subtilitas in quæstione de mēte Augustini. Si Authoritas est nimis clara, & verba nimium premant, ipsa verba duriuscula & impropria dicere, & adeo censoria fronte notare, vt ea ne scandali, & erroris occasionem aliis tribuant minime vsurpanda, sed esse pie exponenda censeantur. Sane si ita licet insurgere contra Augustinum, quando eius verba nobis obiiciuntur non erit tanta eius authoritas in hac causa, quantam Ecclesia profitetur, & insipienter summus Pontifex decreuisset in disputationibus Romæ habitis vt argumentorum momenta ad mentem Augustini, & Thomæ tantum reducerentur: At verba illa duriuscula non sunt, nec occasionem præbent erroris, aut scandali, sed veram sententiam continent hactenus explicatam, & Soarij opinioni contrariam. Vide Molinam in concordia disp.33. in fine vbi relatis testimoniis adductis contra Iulianum ex libro de correptione, & gratia, inquit: Non esse concedēdum aliquos impelli à Deo ad peccandū, & addit. *Nescio tamen vtrū Augustinus contra Iulianum, & de gratia, & libero arbitrio locis citatis aliquid amplius velit, quod plane, vel admittendū non est, vel ex aliis locis eiusdem Patris pie exponendum.* Egregium sane Augustini discipulum, & defensorem, qui non admittendum ducit si Augustinus amplius velit, quā ipse vult: Hęc Viues.

470 Quam facile tot exclamationes, & virulentos stimulos euitasset Viues si tranquilla mente, & animo Molinæ, & Soarij verba meditatus esset. Molina enim nunquam voluit, non admittendum esse, si quid amplius velit Augustinus; sed, non admittendum esse Augustinum aliquid amplius voluisse: perspicuus enim sensus est *Nescio vtrum Augustinus aliquid amplius velit, quod* (aliquid nempe amplius voluisse) *plane vel admittendum non est, vel* (si admittatur amplius voluisse) *ex aliis locis eiusdem Patris pie exponendum est* Hæc adeo clara sunt vt longiori meditatione non indigeāt. Quid hic contra Augustinum? Deinde non curo de truncata à Viues responsione Soarii, collectis enim periodis prima, & vltima mediam inter illas solutionem subticet; arcem quæstionis non impetit, & suburbia solis admirationibus inuadit, quæ tandem ad imposturas deuenere. Soarius enim non scandalizatur, verbis, & doctrina Augustini, nec in eis occasionem erroris, improprietatem, & duritiem inuenit. Etenim non ait verba illa Augustini esse dura sed duriuscula, nec esse impropria sed minus propria, quod valde minuit. Nec item ait illa verba in Augustino parere scandalū, aut occasionem erroris, sed non esse à nobis vsurpanda, nedum extendenda, ne vel occasionem erroris, vel scandali tribuamus: occasio autem erroris, vel scandali non ponitur à Soario in præcisis verbis Augustini, sed in eorum extensione, & circumstantia personæ, quæ lenioris sit authoritatis, quod non militat in Augustino.

471 Respondeo ergo P. Molinam & Sorium longe maiori obsequio & reuerentia veneratos esse Augustinum, quam Sixtū Senensem & Catherinum Dominicanos, nam eruditissimus Sixtus

tus Senensis præfatione in lib. 5. Bibliothecæ sanctæ. §. *sunt deinde alij.* ita scribit. *Sic Diuus Augustinus dum toto spiritu ac verborum ardore pro defensione diuinæ gratiæ pugnat aduersus Pelagianos liberum arbitriam cum iniuria diuina praextollentes in alteram quasi foueam delabi videtur, minusque interdum tribuere, quam par sit liberæ hominis voluntati.* Ecce qui Augustinum in foueam præcipitant non sunt fautores scientiæ mediæ, sed Thomistæ. Præterea Ambrosius Catherinus etiam Dominicanus, ita scribit referente Bannez 1. parte qu. 23. art. 7. in commentario §. *propter hoc. Contra sacras literas affirmari, quod soli prædestinati soluantur, & quod soli reprobi condemnantur, & subiungere opinionem hac in parte assertam ab Augustino, & Thoma esse crudelem, & truculentam, & homines in desperationem impellere.* Ecce qui doctrinam Augustini & Thomæ crudelem, truculentam, & homines in desperationem impellentem suggillant non sunt fautores scientiæ Mediæ, sed Catherinus Thomista. Egregij sane Augustini discipuli, quorum vnus magistrum in foueam præcipitat, alter vero eius, & Thomæ doctrinam, non solum censoria fronte notat, sed intolerabili petulantia vocat crudelem, truculentam; & in desperationem impellentem. Quid cum his vocare verba Augustini duriuscula, & minus propria?

472 Ad argumentum igitur respondeo Augustinum diuersimode considerare in peccato subsequente & rationem pœnæ, & rationem peccati; istä enim intrinseca est, illa extrinseca denominatio à negatione auxiliorum efficacium, & collatione sufficientium. Vnde tradere hominem in reprobum sensum, & in passiones ignominiæ compellere aliud non est, quam per patientiam permittere peccata, & per potentiam substrahere auxilia, quæ efficacia præuisa sunt, & quæ præuisa sunt inefficacia seu sufficientia concedere. Quod est tradere non positiue, & directe, sed negatiue, & indirecte, non impediendo peccatum. Ducor, quia Augustinus supra à nobis adductus ita interpretatur illud Pauli Romanorum 9. *Quem vult indurat.* inquiens lib. de prædestinatione, & gratia: *Indurare enim Deus dicitur eum, quem emollire noluerit, sic etiam excæcare dicitur eum, quem illuminare noluerit.* Augustinum autem ex Augustino interpretari quis fastidiat? sicut ergo ipse intelligit Deum indurare permittendo peccatum per patientiam, & per potentiam subtrahendo auxilia efficacia, quæ peccatum demeretur, & sufficientia concedendo, eodem nos modo dicimus, intelligendum esse dum dicit; Deum tradere hominem in passiones ignominiæ per patientiam, & potentiam; & Deum elegisse Iudam ad effundendum suum sanguinem, id est non impediuisse illius peccatum.

Tota hæc nostra doctrina est expressa S. Thomæ 1. 2. quæst. 79. art. 3. corpore ita scribens. *Respondeo dicendum, quod excæcatio, & obduratio duo important, quorum vnum, est motus animi humani inhærentis malo, & auersi à diuino lumine, & quantum ad hoc Deus non est causa excæcationis, & obdurationis, sicut non est causa peccati, aliud autem est substractio gratiæ ex qua sequitur, quod mens diuinitus non illuminetur ad recte videndum, & quantum ad hoc Deus est causa excæcationis, & obdurationis.* Et ibidem art. 1. ad 1. Quod est argumentum nobis obiectum ita respondet S. Thomas. *Ad primum ergo dicendum,* 473

quod quantum ad verba Apostoli ex ipso textu patet solutio : si enim Deus tradidit aliquos in reprobum sensum: ergo iam reprobum sensum habent ad faciendum ea , quæ non conueniunt. Dicitur ergo tradere eos in reprobum sensum , in quantum non prohibet eos, quin suum sensum reprobum sequantur, sicut dicimur exponere illos quos non tuemur. Quod autem Augustinus dicit in libro de gratia & libero arbitrio, vnde sumpta est Glossa, quod Deus inclinat voluntates hominum in bonum, & malum ,sic intelligendum est , quod in bonum quidem directe inclinat voluntatem; in malum autem in quantum non prohibet.

474 Eandem doctrinam tradidit S. Thomas expresse in cap. 9. Epist. ad Romanos lect. 3. vbi præmissis illis Augustini verbis lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 20. Quod Deus operatur in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit , siue ad bona pro sua misericordia , siue ad mala pro meritis eorum , subdit S.Thomas*: Aliter tamen ad bona, aliter ad mala , nam ad bona inclinat hominum voluntates directe , & per se tanquam actor bonorum ; ad malum autem dicitur inclinare , vel suscitare homines occasionaliter , in quantum scilicet Deus homini aliquid proponit vel interius , quod quantum est de se est inductiuum ad bonum , sed homo propter suam malitiam peruerse vtitur ad malum. Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ? secundum autem duritiam tuam , & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ, & Iob 24. dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbia , & similiter Deus quantum est ex se interius instigat hominem ad bonum , puta regem ad defendendum iura regni sui , vel ad puniendum rebelles , sed hoc instinctu bono malus homo abutitur secundum malitiam cordis sui. Et patet Isaia. 10. vbi dicitur de Assur : Ad gentem fallacem mittam eum , contra populum furoris mei , mandabo illi vt auferat spolia , &c. Et post: ipse autem non sic arbitrabitur , & cor eius non ita æstimabit , sed ad conterendum erit cor eius: & hoc modo circa Pharaonem accidit , qui cum à Deo excitaretur ad regni sui tutelam, abusus est hac excitatione in crudelitatem* (Et paulo post) *posui te , id est ordinaui malitiam tuam ad gloriam meam , Deus enim malitiam ordinat , non causat* (& iterum inferius) *Deus non dicitur indurare quasi immittendo malitiam , sed non apponendo gratiam.* Quid nostræ doctrinæ conformius non solum excogitari , sed nec fingi poterat?

Idem tradiderat S. Doctor in c. 1. ejusdem Epistolæ ad Rom. ad illud: 475
Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum , in immunditiam. Vbi lect. 7. scribit : *dicendum est quod Deus non dicitur tradere homines in immunditiam directe inclinando affectum hominis ad malum, quia Deus omnia ordinat in se ipsum Prouerb. 16. omnia propter se ipsum operatus est Dominus. Peccatum autem est aliquid per auersionem ab eo. Sed indirecte tradit homines in peccatum in quantum iuste subtrahit gratiam per quam homines continebantur, ne peccarent : sicut si aliquis alicuius sustentaculum tolleret diceretur facere casum eius.* Hæc attente meditentur Thomistæ , & dicant nobis vbi nam impressum appareat vestigium impulsus , aut prædeterminationis etiam ad entitatem illius peccati , quod est pœna præcedentis, negari autem non potest præscientia : ergo ex Magno Thoma stat præscientia sine prædeterminatione.

SEC.

SECTIO VIt.

Reliquæ obiectiones dissipatæ.

476 Obiicit tertio Viues disp.4. & sequentibus, id quod ante illum opposuerat Ioannes à SanctoThoma: nam sancti Prosper, & Hilarius in suis Epistolis quæ extant ante librum de prædestinatione Sanctorum, proponunt Augustino scientiam conditionatorum ante decretum, siue Mediam, quam admittebant Massilienses in Gallia, eo modo quo nos absque vllo abusu: Augustinus autem respondens illis Epistolis duobus libris de prædestinatione Sanctorum,& dono perseuerantiæ, negat eam præscientiam ante decretum diuinæ voluntatis: ergo scientia media non est ex mente Augustini. Maior & minor, quas negamus probandæ sunt. Maiorem ergo probat disput. 4. à num. 21. nam imprimis Prosper in secunda parte suæ Epistolæ refert Massilienses asserentes: *Neminem per opera sua, sed per Dei gratiam, regeneratione saluari, vniuersis tamen hominibus propitiationem, quæ est in sacramento sanguinis Christi sine exceptione esse propositam, vt quicumque ad fidem, & ad baptismum accedere voluerint, salui esse possint*: ergo isti Massilienses, infert Viues num. 22.admittebant auxilium sufficiens omnibus oblatum, & sine exceptione propositum, in quo à nobis non discedunt.

477 Respondeo distinguens consequés, admittebant auxilium sufficiens internum (nam de externo non curo in præsenti) illis scilicet, qui se ad illud disponerent desiderio fidei, & baptismi solis viribus naturæ elicito concedo; elicito viribus gratiæ, nego. Sensus ergo eorum verborum est: Neminem per sua opera, id est viribus naturæ tantum elicita, sed per Dei gratiam posse saluari; vniuersis tamen hominibus propitiationem, quæ est in sacramento sanguinis Christi sine exceptione esse propositam, scilicet cognitione naturali; vt quicumque ad fidem, & ad baptismum accedere voluerint, nempe desiderio naturali; salui esse possint, scilicet per gratiam illi merito seu desiderio naturali retribuendam; in quo non conuenimus cum illis Massiliensibus.

Præterea instat Viues, Massilienses 478 illi admittebant præscientiam conditionatam ante prædestinationem, vt istam componerent cum libertate creata, quod nos etiam admittimus. Id probat Viues à num 23. ex Prospero ita referente: *Qui autem credituri sunt, quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sit adiuuanda mansuri sunt præsciisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse, in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros prævideret: ideoque omnem hominem ad credendum, & operandum diuinis institutionibus admoneri, ne de apprehendenda vita æterna desperet cum voluntaria deuotioni remuneratio sit parata.*

Respondeo ibi non esse sermonem 479 de præscientia conditionata, sed de absoluta complectente initium fidei à sola natura, & perfectam fidem, & vlteriorem iustificationem à gratia: Propter quæ omnia merita absolute præuisa, aiebant Massilienses Deum eos homines prædestinasse, in quo non conuenimus. Massilienses autem illi non componebant prædestinatio-

nem

nem cum libertate creata ex eo præcise quod antecederet præscientia prædestinationem, sed quia præcedebat præscientia de initio fidei facultate naturali elicito; ipsi enim ideo existimabant necessitatem gratiæ ad initium etiam salutis destruere libertatem, quia sine gratia nihil poterat homo; aliunde prima gratia non erat in eius potestate: inde inferebant destrui libertatem quandiu gratiæ acquisitio non poneretur in manu arbitrij suis se viribus ad illam disponentis. Inde turbati sunt Massilienses doctrina Augustini de necessitate gratiæ ad omne opus salutis, & sibi visi sunt inducere homines in desperationem, si prima gratia non subiiceretur merito naturali. Quod satis innuit Concilium Senonense decreto 15. huic obiectioni occurrens his verbis. *Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præiudicat arbitrio; cum illa semper sit in promptu, nec momentum quid prætereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset cui si quis aperuerit ianuam intrabit ad illum.* Nec aliud cum fundamento colligi potest ex Epistolis Prosperi, & Hilarij. Quo sponte ruunt, quæ multiplicat Viues à disp. 4. vsque ad 8. quæ omnia contra Ioannem à S. Thoma soluta fuerant à nostro Annato disputat. 4. cap. 2. Quæ nec citantur, nec impugnantur à Viues.

480 Itaque tria asserebant illi Massilienses. Primum componi libertatem creatam cum diuina prædestinatione ex præscientia, non qualicumque, sed ex præscientia absoluta actionum à diuina gratia independentium saltem quoad initium, quia sic constituta erat gratia ad perfectam fidem & vlteriorem iustificationem in manu arbitrij. Secundum in paruulis ante vsum rationis raptis, cum talia merita non essent absolute futura confugiebant ad præscientiam conditionatam, non nostram, sed operum naturalium à gratia similiter independentium saltem quoad initium, & aiebant vnum paruulum rapi ante baptismum, propter ea demerita præuisa, & alium post baptismum propter similia merita. Tertium quando illis obiiciebantur adulti, cur scilicet his, & non aliis prædicatum sit Euangelium; similiter confugiebant ad præscientiam conditionatam, non nostram, sed qua Deus præuidebat eos ex facultate naturæ ad gratiam disponendos, si eis Euangelium prædicaretur: Aliis vero quia præuidit non ita consensuros, substraxisse prædicationem. Hæc sunt quæ Augustino & nobis displicent; quæque impugnat lib. de Prædestinatione sanctorum, & de dono perseuerantiæ.

Si autem inquiras vnde hæc infetam? Respondeo, quia illi Massilienses erant Semipelagiani, seu reliquiæ Pelagianorum, vt ait Prosper, istos autem non admisisse gratiam ad initium salutis definitum est ab Innocentio X. anno 1653. Inter quinque enim propositiones Augustini Iansenij ab Innocentio damnatas, damnatur & ista: *Hæreticum est dicere quod Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus etiam ad initium fidei.* Nec diuersos esse Massilienses qui in prima, secunda & tertia parte Epistolæ Prosperi, & Hilarij continentur, sed omnino eosdem, mihi exploratum est, quia nullum in illis Epistolis huius rei continetur fundamentum, sed diuersitas erat propositionum quarum supra meminimus. 481

Sed non omittamus ea, quibus primam illam minorem probare tentat Viues, scilicet Augustinum disputasse 482

disputasse cum Massiliensibus de nostra præscientia conditionatorum, eamque repudiasse. Obiicit ergo primo disp.5.dist.3. Augustinum de prædestinatione sanctorum cap.8. illi dubio respondentem: Quare Deus aliquos, & non omnes vocat. Scilicet efficaciter, & recurrendum ait Augustinus ad occultissimam voluntatem diuinam, quæ vni dat actu operari non vero alteri: ergo Augustinus impugnat præscientiam conditionatam ante decretum. Cæterum dicito mihi quid ibi sit vnde admittatur post decretum. Si voluntas illa occultissima, ea non est conditionata ex parte obiecti, sed absoluta, qua Deus actu dat vni operari, non vero alteri: vbi est ergo tua conditionatorum scientia in Augustino? nec item est absolute prædeterminans consensum, sed prædeterminans vocationem cum præscientia futuri ex illa consensus, quam vocat Augustinus occultissimam, non quia ibi scintillet prædeterminationis igniculum, sed quia rationes illius inuestigare non possumus.

483 Obiicit secundo ibidem à num.15. Augustinum cap.9. illi dubio: cur Christus post tam longa tempora venit, his & non alijs prædicauerit, ita respondentem. *Quod dixi tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & vbi sciebat, & vbi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri. Posset etiam sic dici: Tunc voluisse hominibus apparere Christum & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & vbi sciebat esse, qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem*: ergo Augustinus non admittit præscientiam nisi dependenter ab electione, siue decreto diuinæ voluntatis.

Respódeo Augustinum eo testimonio vel supponere Patres meruisse 484 circunstantias temporis, & loci incarnationis; Vnde ait Christum non venisse his temporibus præ aliis propter merita tantum conditionata, sed propter absoluta, & à diuina electione, sine decreto pendentia, quia ista, & non illa apta sunt ad merendum. Quid autem inde contra scientiam Mediam? vel loquitur Augustinus de præscientia fidei naturalis, saltem quoad initium, & hoc reiicit statuens Christum non venisse propter eiusmodi fidem, sed propter eam, quæ est à gratia, etiam quoad initium, non tantum conditionate, sed absolute futuram. Nec inde quidquam contra scientiam Mediam. Deinde ostendat nobis vnde in Augustino subodorauerit præscientiam suam conditionatorum in decreto, aut quid illa iuuet, vt Christus tali tempore appareret, cum huius rei causa non fuerit fides conditionata siue in se, siue in decreto præuisa. Quibus soluta sunt quæ obiicit dist. 4. vsque ad 8. Nam Augustinus, ibi impugnat merita conditionata, & statuit absoluta, non quæ initium sumant à facultate naturali, sed quæ vndequaque proficiscantur à gratia, propter quæ Christus tali tempore venit, in quibus omnibus nec syllaba est, quæ præscientiam nostram conditionatorum vel retractet, vel infirmet; imo constanter eam supponit Augustinus.

Obiicit tertio dist. 8. num.61. à ratione. Quæ enim ex Augustino affert cap.10. momenti non sunt, nam 485 ibi totus est Augustinus probaturus fidem vndequaque esse Dei donum, & non à nobis sine gratia, etiam quoad initium. Si necessaria esset præscientia nostri consensus liberi

ad hoc vt actus noster liberè & infallibiliter fiat, quia alias infallibilitas tolleret libertatem: ergo non esset in potestate Dei promittere nostrum actum liberum, aut promissum non posset certo producere, sed ad summum præscire, & prædicere, quia scilicet illa libera denominatio nostra, vt à nobis præsciri posset à Deo, sed non prædestinari: hoc autem est contra Augustinum cap. 10. de prædestinatione Sanctorum: ergo &c. Ante omnia hæc obiectio multa implicat à nobis prorsus aliena, videlicet præsciẽtiam conditionatorum exigi à nobis, vt consensus libere fiat, aut infallibiliter fiat; ad neutrum enim exigitur à nobis, nam libere fieri consensum nostrum, & infallibiliter fieri habetur independenter à præscientia. Deinde Respondeo negans consequentiam, nam potens est Deus facere, vt infallibiliter exsistat quicumque actus liber, non prædeterminando ad illum, sed ponendo illud auxilium, quod in te efficax est, & vt tale repræsentatur à præscientia: quod sufficit vt Deus promittere possit quemlibet actum liberum creatum, sicut sufficiens est vt illum prædefiniat.

486 Obiicit quarto. ex cap. 12. Augustinum ita arguentem contra præscientiam cõditionatam ad quam in paruulis Massilienses illi confugiebant, rationem redditurі, cur vnus ante, alter vero post baptismum raperetur. *Sed vnde hoc talibus viris in mentem venerit nescio, vt futura quæ non sunt futura puniantur, aut honorentur meri a paruulorum:* ergo supponit Augustinus ea futura conditionata ad quæ confugiebant Massilienses non esse vera futura, sed fictitia. Cærum si futura conditionata apud Augustinum fictitia sunt, quale apud ipsum erit decretum conditionatum. Respondeo Augustinum ibi non increpare præscientiam conditionanam sed abusum illius. Semipelagiani enim asserebant Deum vni paruulo concedere baptismum, eumque alteri negare propter merita vel demerita conditionata, illa scilicet, quæ si vixissent operati fuissent. Sensus ergo Augustini est. Sed vnde hoc talibus viris in mentem venerit nescio, vt futura, scilicet conditionata quæ futura non sunt, id est absolute, qua ratione ad meritũ exiguntur, puniantur, aut honorentur merita paruulorũ. Alia quæ ibidem obiicit ex c. 14. soluta à nobis sunt disp. 6. sect. 4.

Obiicit quinto n. 68. Eodem modo se gessit Deus in hominum prædestinatione, quo in prædestinatione Dei hominis: sed in hac nulla præcessit scientia conditionata cõsensus liberi eliciti ab humanitate: ergo in nostra prædestinatione non præcessit præsciẽtia aliqua conditionata nostri consensus. 487
Maiorem probare tentat ex Augustino c. 15. Sed quæ profe
runtur nihil probant. Retorque. in prædestinatione Christi nullus præcessit cõsensus humanitatis conditionatus: ergo neque decretum conditionatum: ergo neque scientia conditionata ex decreto: ergo neque in nobis præcessit illa scientia conditionata: ergo nulla est præsciẽtia conditionatorum in decreto. Respondeo ergo negãs maiorem in ordine ad præscientiam. Ratio est, quia vnio hypostatica prædestinata est seu decreta independenter à consensu humanitatis: gloria vero nostra cum sit corona meritorum prædestinata non est independenter à nostro consensu. Vnde nihil mirum, quod nostram prædestinationem præcesserit præscientia conditionata consensus sub tali auxilio, quamuis in Christo non præcesserit.

Obiicit sexto n. 89. Augustinũ c. 16. 488
asserentem vocationem præstinari esse ab

ab intrinseco efficacem, & dari ex diuino proposito seu decreto: ergo respuit Augustinus præscientiam ante decretum. Antecedens probatur quia Augustinus ibi distinguit vocationem prædestinati, à vocatione non prædestinati: ergo quia vna est intrinsece efficax, non vero altera. Respondeo negans antecedẽs, quoad primam partem. ad probationem concesso antecedente nego consequentiam, quia vocatio prædestinati sufficienter distinguitur à vocatione non prædestinati ratione præscientiæ futuri consensus in illo, non vero in isto.

489 Quod autem obiicit ex Augustino à cap. 17. vsque ad finem libri de prædestinatione sanctorum libens omitto, quia non sunt ad præsentem controuersiam. Ibi enim duo displicent Augustino in Pelagianis. Primum, Deum propter merita conditionata elegisse prædestinatos ad gloriam. Secundum, ea merita conditionata esse solis naturæ viribus elicita.

Obiicit septimo disp. 6. num. 5. ex libro de dono perseuerantiæ cap. 2. vbi Augustinus ita scribit. *Hanc enim* (scilicet perseuerãtiam) *promittit Deus dicens Ieremiæ 32. Timorem meum dabo in cor eorum, vt à me non recedãt. Quod quid aliud est, quam talis, ac tantus erit timor meus, quem dabo in cor eorum, vt mihi perseueranter adhæreant.* Vbi efficaciam doni perseuerantiæ non refert Augustinus in præscientiam, sed in magnitudinem & qualitatem timoris: ergo agnouit donum ex se intrinsece efficax seorsim, & independenter à præscientia. Respondeo distinguens antecedens. Refert in magnitudinem timoris diuisi à præscientia, nego: coniuncti cum illa concedo, & nego consequentiam.

490 Obiicit octauo à numer. 8. Augustinum cap. 6. contra Semipelagianos (asserẽtes donum perseuerantiæ posse ab homine amitti, & retineri propria voluntate,) probantem tale donum non posse amitti. *Quomodo enim*, inquit Augustinus, *potest amitti, per quod fit vt non amittatur, etiam quod posset amitti*: ergo Augustinus plane supponit donum perseuerantiæ esse ab intrinseco efficax, & non à præscientia futuri ex illo consensus vsque ad finem. Non video, qua connexione ex illo antecedente inferatur hæc consequentia, Augustinus enim non ait donum perseuerantiæ non posse amitti, id est fustrari antecedenter; aliter enim non posset stare cum tali dono libertas, sed tantum consequenter, & hoc optime componitur cum præscientia futuri ex tali dono consensus finalis, nam ex suppositione, quod donetur à Deo cum tali præscientia inamissibile est potentiâ consequente liberum consensum conditionatum à Deo ex tali dono præuisũ. Neque nos negamus donum perseuerantiæ esse ex Dei proposito, seu voluntate intrinsece efficaci respectu ipsius doni, sed descendere tale donum ex voluntate intrinsece & antecedenter efficaci respectu consensus, quo irrita fiunt, quæ obiicit ille vsque ad numerum 15. similiter etiam, quæ obiicit tota distinctione 2. à cap. 8. libri de dono perseuerantiæ, vsque ad 13. ibi enim Augustinus statuta præscientia his verbis: *certe poterat illos Deus præsciens esse lapsuros antequam id fieret auferre de hac vita.* solum increpat abusum, Deum scilicet vnum saluare propter merita conditionata, & alium reprobare propter similia demerita.

Cetera, quæ tribus sequentibus distinctionibus referuntur à Viues, libens omitto, quia nihil in eis difficultatis reperio. 491



DISPVTATIO VIII.

Mens sancti Thomæ pro Scientia Media.

SECTIO I.

Sanctus Thomas perpetuus scientiæ Mediæ fautor & defensor.

492 PRobatur primo, quia S.Thomas expresse propugnat maximum, & præcipuum fundamentum scientiæ Mediæ, scilicet voluntatem nostrãm non à Deo, sed à se ipsa determinari ad operandum, quod ostendo primo. Nam in 2. sententiarum dist.39.quæst.1.art.1. corpore ita habet S.Thomas. *Ipsa potentia quantum est in se indifferens est ad plura, sed quod determinate exeat in hunc actum, vel illum non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate.* Secundo ait S.Thomas ibidem quæst. 1.art.1. corpore. *Sed sciendum, quod aliquis actus est ab aliquo dupliciter, vno modo tam secundum substantiam actus, quam secundum determinationem agentis ad actum, & hoc proprie in potestate agentis esse dicitur, vt est in voluntate.* Tertio ibidem art.2. *Ratio enim culpæ in actu deformi est, ex eo quod procedit ab eo', qui habet dominium sui actus: hoc autem est in homine secundum illam potentiam quæ ad plura se habet, nec ad aliquod eorum determinatur, nisi ex se ipsa, quod tantum voluntati conuenit.*

Quarto idem confirmat in 2. sententiarum, vbi ex professo disputat de libero arbitrio dist.25. quæst.1.art.1. vbi ait: *Et inde est, quod iudicium de actione propria est solum in habentibus intellectum, quasi in potestate eorum constitutum sit eligere hanc actionem vel illam, vnde & dominium sui actus habere dicuntur & propter hoc in solum intellectum habentibus liberum arbitrium inuenitur, non autem in illis quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus, sed à quibusdam aliis causis prioribus.* Et ibidem ad tertium. *Ad tertium dicendum quod Deus operatur in omnibus, ita tamen, quod in vnoquoque secundum eius conditionem. Vnde in rebus naturalibus operatur sicut determinans naturam ad talem actionem. In libero autem arbitrio hoc modo agit, vt virtutem agendi sibi ministret, & ipso operante liberum arbitrium agat; sed tamen determinatio actionis, & finis in potestate liberi arbitrij constituitur, vnde remanet sibi dominium sui actus.* Quis hæc attente meditetur, qui non videat S.Thomam clarissime tenuisse præcipuum fundamentum scientiæ Mediæ, scilicet voluntatem creatam, non à Deo sed à se ipsa determinari. 493

Probatur secundo ex 3.parte quæst. 1.art.3.ad 4.vbi ait S.Doctor: *Prædestinatio supponit præscientiam futurorum*: Non præscientiam absolute futurorum, vt respondet Viues disp.8. num.32.& 33.ergo conditionate futurorum. Minor probatur, quia S.Thomas eo articulo inquirit, *An Deus incarnatus fuerit Adamo non peccante*, & negatiue respondet ea generali propositione, quia scilicet *prædestinatio supponit præscientiam*, & inde infert incarnationem neque hoc, neque alio decreto exituram: ergo censet quamcumque prædestinationem 494

vnio

vnionis hypostaticæ supponere illam præscientiam: quęcumque autem possibilis prædestinatio vnionis hypostaticæ non supponit præscientiam absolute futurorum: ergo præscientia illa non est absolute futurorum. Minor probatur, quia non peccante Adamo potuisset Deus prædestinare vnionem hypostaticam, ex motiuo à quocumque futuro absoluto independente, ergo.

495 Sed demus prædestinationem Christi de facto supponere peccatum absolute futurum in cuius remedium venit Christus, aliter non venturus. Probo eam præscientiam non haberi in decreto prædeterminante, quia Christus venit in remedium peccati, vt malum est, & præuisum à Deo: ad peccatum autem vt malum est, nulla est possibilis prædeterminatio diuina: ergo neque præscientia in decreto prædeterminante: ergo præscientia ibi admissa à S. Thoma non est præscientia Thomistarum, sed nostra.

496 Probatur tertio ex quæstione 12. de veritate art. 10. corpore, vbi ait S. Thomas: *Impletio Ordinis causarum fit dupliciter, quandoquidem ex sola operatione diuina virtutis, vt suscitatio Lazari, & conceptio Christi, & huiusmodi, & secundum hoc est prophetia prædestinationis, quia vt dicit Damascenus, ea, quæ Deus prædestinat non sunt in nobis, vnde & prædestinatio, quasi quædam Dei præparatio dicitur: hoc autem aliquis præparat, quod facturus est ipse, non quod alius. Quædam vero explentur operatione causarum aliarum, siue naturalium, siue voluntariarum, & hæc in quantum per alias causas explentur, non sunt prædestinata, sunt autem præscita. Vnde horum dicitur esse prophetia secundum præscientiam:* ergo Deus independenter à decreto prædeterminationis suæ cognoscit operationes creaturarum atque adeò per scientiam mediam.

Respondebat olim Ioannes à S. Thoma Angelicum Doctorem non negare præscire Deum operationes creaturarum in decreto suæ prædestinationis prout sunt à Deo, sed pro vt sunt à nobis. Contra, quia S. Thomas clare distinguit inter operationes, quæ à Deo solo sunt, & prædestinatæ, vt resurrectio Lazari, & conceptio Christi, & operationes quæ sunt à Deo simul, & creatura quas asserit præscitas, & non prædestinatas. Tum etiam, quia modo quo operationes creaturarum negantur prædestinatæ, asseruntur præscitæ: ergo non in decreto prædestinationis. Qua instantia adeò territus est Viues, vt Ioannem à S. Thoma deseruerit. 497

Respondit ergo Viues S. Doctorem loqui de prædestinatione, vt est præparatio eorum, quæ à solo Deo fiunt, & tantum negare opera creaturarum præsciri à Deo in prædestinatione eorum, quæ à solo Deo fiunt, non autem in prædestinatione eorum, quæ simul à Deo, & creatura fiunt. Contra primo. Quia S. Thomas expresse, & absolute asserit, ea, quæ à Deo simul, & creatura fiunt, non prædestinari, sed tantum ea, quæ à solo Deo fiunt, asserit tamen præsciri: ergo. Secundo, quia si ea interpretatio subsisteret dici posset operationes creaturarum non esse à Deo, & capax esset hæc propositio similis interpretationis, scilicet non esse à Deo eo modo, aut actione, qua fiunt effectus à solo Deo pendentes. Similiter absolute dici posset opera salutaria non esse à voluntate, & gratia: & interpretari, eo scilicet modo & actione, qua fiunt naturalia, quod absurdum esset. 498

499 Contra tertio, quia ea interpretatio ridiculum reddit S. Thomam motose distinguentem inter operationes, quæ à solo Deo sunt, & quæ sunt à Deo simul, & creatura: si rationem redderet, quia quæ sunt à Deo simul, & creatura non fiunt actione à solo Deo manante. Quis de hoc dubitet? Et quæ necessitas id scribendi Thomam compulisset? sane siquis hanc thesem scriberet: *amphora est opus figuli, non vero olla*, & postea interrogatus explicaret, se tantum velle ollam non esse opus figuli, eo modo quo amphora, sine dubio cachinno digna esset interpretatio: nihil autem ab ea distat, quæ appingitur S. Thomæ: ergo. Quarto, quia si illius interpretationis esset S. Thomas, eadem veritate contradictorium scribere potuisset, scilicet operationes causarum secundarum prædestinari à Deo, non vero operationes solius Dei, ita verum est etiam operationes solius Dei non prædestinari, eo modo, quo operationes causæ secundæ: ergo sicut verum est Deum prædestinare, quæ solus facit, non quæ cum creatura; ita verum esset prædestinare, quæ facit cum creatura, non quæ solus.

500 Sed dices S. Thomas eodé modo negat prædestinari à Deo causas naturales, siue necessarias, ac liberas, & tamé negari non potest necessarias decreto efficaci prædestinari à Deo: ergo non negat illis absolutam prædestinationem, sed eam quæ à solo Deo est. Respondeo S. Thomam sub nomine prædestinationis versare quæstionem illam videlicet à quo sit determinatio quoad speciem? & respondet in operationibus quæ fiunt à solo Deo determinationem esse Dei, in operationibus vero causarum secundarum non ita, quia tam causæ naturales, quam liberæ à se ipsis determinantur quo ad speciem, & hæc est plana mens S. Thomæ.

Probatur quarto ex 1. parte quæst. 14. art. 13. *Quicumque cognoscit effectum contingentem in sua causa tantum, non habet de eo nisi coniecturalem cognitionem: Deus autem cognoscit omnia contingentia non solum prout sunt in suis causis, sed etiam prout vnumquodque est actu in se ipso.* Si autem daretur aliqua causa infallibiliter connexa cum futuro contingenti, contra S. Thomam, in causis posset non solum coniecturaliter, sed certo, & infallibiliter cognosci: ergo nulla est causa vel decretum connexum cum futuro contingenti, in quo istud certo cognosci valeat. Notanda sunt vltima verba, scilicet *Deus autem cognoscit omnia contingentia non solum pro vt sunt in suis causis, sed etiam pro vt vnumquodque est actu in se ipso*: ergo futura contingentia certo cognoscuntur à Deo in se ipsis, quæ est scientia Media. 501

Probatur quinto, nam S. Thomas perpetuo negat, aut prædeterminare peccatum, cum tamen asserat præscire: ergo ex S. Thoma stat præscientia absque prædeterminatione. Maior probatur. Nã 1. p. q. 19. art. 9. cuius titulus est: Vtrum voluntas Dei sit malorum? quo ad malum culpę negatiue respondet his verbis: *Malum culpæ quod priuat ordinem ad bonum diuinum, Deus nullo modo vult.* Et 1. 2. quæst. 80. art. 1. ad 3 ita scribit. *Ad tertium dicendum, quod Deus est vniuersale principium omnis interioris motus humani, sed quod determinetur ad malum consilium voluntas humana, hoc directe quidem est ex voluntate humana.* Vide quomodo S. Thomas concesso vniuersali concursu comitante ad motum omnem voluntatis tribuat determinationem ad peccatum non Deo, 502

Deo, sed voluntati. Et in 1. sentent. dist. 46. art. 4. corpore ait. *Vnde sequitur, quod non vult mala fieri, sed vult permittere mala fieri, vult etiam bonum consequens, ex quo malum ordinatur. Ex quo sequitur quod velit mala facta ordinare, non autem quod velit ea fieri.* Et ibidem ad 1. *Decor diuinæ Sapientiæ apparet in permissione malorum, & ordinatione, quorum vtrumque vult Deus; sed non malum fieri.* Et ad 4. *Pœnam vult inferri, sed culpam non vult fieri.* Et in 2. sentent. dist. 37. quæst. 3. art. 1. corpore. *Dicendum est pœnas à Deo esse, nullo autem modo culpam à Deo esse.*

503 Dices S.Thomam non negare prędeterminationem ad materiale peccati, sed tantum ad formalem malitiam. Contra primo. Quia nullibi id asseritur à S.Thoma, vt fatentur plures Thomistæ quos dedimus disp... sect.. Contra secundo. Quia S.Thomas exponens illud Pauli: Tradidit illos in passiones ignominiæ, vbi nata erat occasio ad illam doctrinam insinuandam, nunquam recurrit ad materiale peccati, nec ad eius diuinam determinationem, sed ad substractionem gratiæ, vt vidimus soluentes obiectiones pro mente Augustini. In eademque sententia constans est in 2. sentent. dist. 37. q. 2. art. 1. ad 1. his verbis. *Ad primum ergo dicendum quod Deus non eodem modo inclinat voluntatem in bonum, & in malum; inclinat siquidem voluntatem in bonum administrando virtutem agendi, & directe mouendo ad bonum, sed ad malum dicitur inclinare inquantum gratiam non præbet, per quam quis à malo retraheretur, & non quia directe voluntatem in malum ordinet.* Contra tertio. Quia ea responsio non soluit argumentum, nam ex S.Thoma fatentibus Thomistis stat præscientia formalis malitiæ, non autem stat prædeterminatio, vt ait responsio: ergo stat præscientia sine prædeterminatione.

SECTIO II. & Vlt.

Solutis obiectionibus clarior Thomas pro Scientia Media.

Obiicit primo Viues disp. 8. dist. 1. S.Thomam 3. p. q. 1. art. 5. ad 2. vbi cum Augustino reprobat sententiam illam eiusdem Augustini lib. de sex quæstionibus paganorum, scilicet: Tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando, & vbi sciebat esse qui in eum fuerant credituri. Vbi Augustinus scientiam Mediam approbauerat, postea tamen eam retractauit libro de dono perseuerantiæ & S. Thomas approbat retractationē his verbis: *Sed hanc responsionem reprobans idem Augustinus in libro de perseuerantia dicit: Nunquid possumus dicere Tyrios, & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse si fierent, cum ipse Dominus attestetur eis quod acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent diuinarum illa signa virtutum, proinde vt ipse soluens subdit: Non est volentis, neque currentis sed Dei miserentis, qui eos quos præuidit si apud eos facta essent, his miraculis credituros, quibus voluit subuenit, aliis autem nō subuenit: de quibus in sua prædestinatione occulte quidē, sed aliud iuste iudicauit:* ergo S.Th. & August. vnanimes scientiam Mediam reprobarunt, & scientiam in decreto commendarunt 504

mendarunt

mendarunt illis verbis: *De quibus in sua prædestinatione occulte quidem sed aliud iuste indicauit.*

505 Plaudentes acceptamus donum aduersariorum, scilicet Augustinum lib. de sex quæstionibus paganorum scientiam Mediam tenuisse illis verbis: *Tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando, & vbi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri* ipsorum nunc erit ostendere nobis eam propositionem quo ad scientiam cōditionatorum Augustinum retractasse, quod negamus. Probant ergo, quia Augustinus lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 9. & de dono perseuerantiæ cap. 9. mentem suam explicans circa eam propositionem ait se loquutum *excepta altitudine Sapientiæ Dei, & sine præiudicio latentis consilij Dei, aliarumque causarum*, Et decernit. *Tunc voluisse apparere Christum quando sciebat, & vbi sciebat esse, qui electi fuerant, &c.* Ergo Augustinus statuit præscientiam inniti electione, siue decreto.

506 Respondeo negans consequentiam, nam ea propositio Augustini tria continebat. Primum, Deum scire, qui & quando essent credituri, si illis appareret, & prædicaret Christus, & huius partis nec syllabam retractauit Augustinus, imo refirmat illis verbis relatis à S. Thoma: *Nunquid possumus dicere Tyrios, & Sidonios talibus apud se virtutibus factis, credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent, cum ipse Dominus attestetur eis quod acturi essent magnæ humilitatis, pœnitentiam, si in eis facta fuissent diuinarum illa signa virtutum?* Et illis aliis: *non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, qui his quos præuidit, si apud eos facta essent suis miraculis credituros*, &c. Secūdū, ideo apparuisse, & prædicasse his, & nō illis, quia illi & non isti præuidebantur consensuri, & hoc retractat exemplo Tyriorum, qui præuidebantur consensuri, nec tamen eis prædicatum est. Tertium motiuum apparendi, & prædicandi his, præ aliis fuisse consensum conditionate præuisum, & hoc etiam retractat, nam similis consensus præuisus est in Tyriis, nec tamen illis prædicatum est: vnde concludit Christum apparuisse & prædicasse his potius, quam aliis, cum tamen vtrosque præuideret conditionate consensuros, referendum esse in voluntatem diuinam occultam, eligentem hos, & relinquentem illos quod nos libenter amplectimur. Id apertissime exprimunt verba illa relata à S. Thoma: *Proinde vt ipse* (nempe Augustinus) *soluens subdit, non est volentis, nempe currentis, sed miserentis Dei, qui his quos præuidit si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus voluit subuenit, aliis autem non subuenit.* Illa autem quæ addit S. Thomas: *de quibus in sua prædestinatione occulte quidem sed aliud iuste indicauit.* Non probant præscientiam conditionatorum haberi in decreto, sensus enim est, Deum in sua prædestinatione, id est ad prædestinandum habuisse motiua nobis occulta sed iusta, quod velint, nolint, fateri tenentur aduersarij, nam si occultum illud iudicium ex quo Deus prædestinauit hos & non alios fuisset præscientia consensus conditionati in decreto, quam inferunt aduersarij: cur non prædestinauit Deus Tyrios, circa quos tale iudicium habuit; cum eos in decreto, vt vos vultis præuiderit consensuros? Constans ergo est Augustinum nihil circa scientiam conditionatorum retractasse, & consequenter, neque Thomam ab ea discessisse.

cessisse. Ex his solutum est aliud testimonium quod obiicit aduersarius à num. 10.

507 Obiicit secundo Viues à num. 14. S.Thomam quæst.6.de veritate art.3. vbi inquirens modum, quomodo certitudo prædestinationis absoluta sit, & cum libertate nostra componatur, subiungit responsionem, quæ exhiberi posset, scilicet quod prædestinationis certitudo ad effectum est cum præsuppositione causæ secundæ. In qua responsione (ait Viues) fit recursus ad scientiam Mediam supponentem causam secundam, scilicet voluntatem sub conditione consensuram, à qua præscientia prædestinatio certa sit, & salua libertas. Eam tamen responsionem impugnat S. Thomas, *Quia omnis certitudo, quæ est cum suppositione alicuius, non est certitudo absoluta, sed conditionalis, sicut non est certum, si Sol causet fructum in planta, nisi cum hac conditione, si virtus generatiua in planta fuerit bene disposita, propter hoc quod dispositio solis ad effectum prædictum supponit virtutem plantæ, quasi causam secundam. Si igitur certitudo prædestinationis sit cum suppositione causæ secundæ, non est certitudo absoluta, sed conditionalis tantum: sicut in me est certitudo, quod Socrates mouetur si currit, & quod iste saluabitur si præparabit se: & ita non est in diuina prædestinatione alia certitudo de saluandis quam in me, quod est absurdum.* Ergo S.Thomas clare negat, & impugnat scientiam mediam, quæ est cum præsuppositione voluntatis sub conditione consensuræ.

508 Confirmatur nam ad 4 ait S.Thomas ibidem, *Quod causa secunda quam oportet supponere ad inducendum prædestinationis effectum, etiam ordini prædestinationis subiacet: non autem est ita in virtutibus inferioribus respectu alicuius superioris virtutis agentis, & ideo ordo diuinæ prædestinationis quamuis sit cum suppositione voluntatis humanæ, nihilominus tamen absolutam habet certitudinem, etsi in exemplo adducto contrarium appareat.* Ergo voluntas creata etiam eo modo quo supponitur ad prædestinationem subiacet ordinationi, seu decreto diuino.

Hoc argumentum obiecerat antea Ioannes à Sancto Thoma iactans se in eo comperisse manifestam iugulationem scientiæ Mediæ. Respondeo igitur in ea responsione quam impugnandam suscipit S. Thomas, non tam fieri recursum ad scientiam Mediam, quam ad carentiam purificationis conditionis, & hanc solam impugnat S.Thomas, non scientiam Mediam. Itaque sensus illius responsionis est. Prædestinationis certitudinem ad effectum esse cum suppositione causæ secundæ, si præparetur. Quod impugnat S.Thomas, quia pendente hac conditione: *Si præparetur.* Non potest esse certitudo absoluta, sed conditionata, sicut hæc, si Socrates currit, mouetur: & hæc alia, homo saluabitur, si præparauerit se, & ista alia, Sol causabit fructum in planta, si hæc fuerit bene disposita. Certitudo autem prædestinationis apud Authores scientiæ Mediæ non est illa, sed ista alia: Petrus saluabitur, & præparabitur, quæ absoluta est sicut hæc alia: Socrates currit, & mouetur. Et ratio est quia prædestinatio se ipsa præparat subiectum purificando conditionem, ponendo gratiam illam sub qua voluntatem præuiderat Deus consensuram: vnde certitudo quæ ante prædestinationem erat conditionata positione conditionis ex prædestinatione fit absoluta. Quid ergo 509

inde contra scientiam Mediam.

510 * Ad confirmationem respondeo legitimam intelligentiam illius loci istam esse, quod causa secunda, quam oportet supponere ad inducendum prædestinationis effectum etiam ordini prædestinationis subiacet, non in consensu conditionato, sed in eo tantum, quod si transituta sit causa secunda à consensu conditionato in absolutum, egeat prædestinatione purificante conditionem. Quod aliter contingit in virtutibus inferioribus respectu alicuius virtutis superioris agentis v. g. in planta respectu solis, quod exemplum exhibuerat S. Thomas. Nam Sol non purificat conditionem, videlicet, *Si planta fuerit bene dispostta.* Vnde existentia solis de se non habet certitudinem fructus absolutam: prædestinatio autem purificat conditionem, vnde, & de se habet certitudinem absolutam præcedente illam consensu conditionato.

511 * Cæterum vt aduersantium tela nostræ victoriæ sint arma, & triumphi spolia, argumentum obiectum in eos retundamus. Ita dissero primo ex illis verbis. *Si igitur certitudo prædestinationis sit cum præsuppositione causæ secundæ, non est certitudo absoluta sed conditionalis tantum:* ergo in causa secunda præsupposita ad prædestinationem agnouit S. Thomas certitudinem conditionalem: ergo ante decretum, siue prædestinationem. Nonne hæc mi Ioannes à S. Thoma manifesta iugulatio incertitudinis conditionatorum ante decretum? * Iterum dissero 2. ex illis verbis, *Et ideo ordo diuinæ prædestinationis, quamuis sit cum suppositione voluntatis humanæ nihilominus tamen absolutam habet certitudinem.* En mi Ioannes à S. Thoma, quomodo meus potius, quam tuus Thomas, non negat præsuppositionem humanæ voluntatis ad prædestinationem, in qua, vt aiebat Vives recursus fiebat ad scientiam mediam, sed cum ea præsuppositione componit certitudinem prædestinationis. Nonne vides iugulum tuum in te conuersum? * Rursus dissero tertio ex illis aliis in corpore obiecti articuli. *Liberum enim arbitrium deficere potest de salute, tamen in eo, quem Deus prædestinat, tot alia adminicula præparat, quod vel non cadat, vel si cadat quod resurgat, sicut exhortationes, & suffragia orationum, donum gratiæ, & alia huiusmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad salutem.* Dicant nobis Thomistæ vbi inter adminicula à suo magistro Thoma numerata appareat prædeterminatio, cum tamen in eorum sententia sit præcipuum adminiculum, sine quo cætera omnia vacua omnino sunt. Sane hæc omissio, quamuis negatiuum, magnum est contra iugulum argumentum. * Denique dissero quarto ex aliis eiusdem articuli verbis in corpore, vbi ait S. Thomas: *Præscientiam Dei non importare vniuersaliter habitudinem causæ, respectu horum, quorum est: & prædestinationem addere præscientiæ habitudinem causæ ad ea, quorum est:* importare autem habitudinem causæ, aliud non est quam importare decretum actu existens, & causam: ergo cum præscientia vniuersaliter, id est in ordine ad omnia obiecta, non importet, id est non coniungatur cum habitudine causæ, neque coniuncta erit decreto, quod aliud non est, quam esse multa præscita, quæ non sunt prædestinata, seu decreta. Nonne his iugulum prorsus hebetatur. 512

* Obiicit tertio num. 29. S. Thomam pluribus in locis asserentem futura contingentia non posse certo cognosci

ci nisi in decreto. Respondeo negans tale vnquam dixisse S.Thomam. Verba enim, quæ citat aduersarius sola ista sunt. *Contingens certitudini cognitionis non repugnat nisi vt futurum: non autem vt præsens est.* Vnde infert Viues generaliter docere S.Thomam nullum futurum contingens posse certo cognosci, quousque extra futuritionem est in sua existentia. Cæterum si hæc est doctrina S.Thomę, quomodo cum ea componi potest scire Deum futura contingentia in decreto, antequam extra futuritionem sint in sua existentia? Intelligendus ergo est S.Thomas de cognitione futuri in causis proximis, vt expendebamus in calce sectionis præcedentis.



DISPVTATIO IX.

Ex fundamentis Thomistarum infringitur scientia conditionatorum in decreto, & media stabilitur.

513 Dixi ex fundamentis Thomistarū. Quia huius disputationis scopus non dirigitur contra decreta prædeterminantia; sed, illis permissis, eo tendit, vt ex ipsis aduersariorum fundamentis ostendatur, tum inutilitas decreti conditionati ex parte obiecti prædeterminantis ad infallibilē diuinam scientiam conditionatorum: Tū etiam, huiusmodi scientiam præcedere omne decretum actu, & formaliter existens in Deo: id est, esse independentem ab eo, quod Deus actu libera sua voluntate decernat tam circa futura contingentia absoluta, quam conditionata; etiamsi nullum decretum indifferens esset in Deo.

SECTIO I.

Fudamenta Thomistarum præmittuntur.

PRimo. Patres Dominicani recentiores in ordine ad futura contingentia creata tā conditionata quā absoluta nullū agnoscunt in Deo decretū indifferens: quia existimant huiusmodi decreta penitus derogare primarui diuinæ libertatis, & nimis extollere creatum arbitrium. Quare omnia diuina decreta, etiam circa futura contingentia libera, aiunt esse intrinsece efficacia, & infallibiliter connexa cum effectu; non infallibilitate, & connexione qualicumque, sed omnium maxima, videlicet metaphysica; aliter scientia diuina futurorum contingentium metaphysicam infallibilitatem haurire non posset à decreto. Id quod bene nouit, & libenter concedit Viues disp. 1. num. 3. & 4. & disp. 2. n. 35. & alibi sæpius. 514

Secundo docent. Decreta circa futurum conditionarum hoc distingui à decretis circa futurum absolutū: Quod decreta circa futurum conditionatū, licet sint intrinsece efficacia & prædeterminantia, id tamen habent dependenter à conditione ex parte obiecti: v.g. volo Tyrios pœnitere si virtutes Bethsaiditarum fierent apud illos. Decreta vero diuina circa futura absoluta à nulla conditione dependent ex parte obiecti, sed sunt omnino absoluta tā ex parte actus, quā ex parte obiecti. 515

Tertio docet Viues disp. 2. n. 31. 32. Deum ante omne decretum absolutū ex parte actus; id est, actu & formaliter existens in ipso: certo scire futurum conditionatum iuxta modū, quo 516

conditio illud infert. Si enim conditio futurum conditionatum inferat physicè, Deus certo scit, quod posita conditione, physice ex illa sequeretur euentus: Si autem conditio probabiliter, aut contingenter, vel coniecturaliter tantum sit illatiua effectus, Deus certo scit, quod posita conditione probabiliter tantum, seu contingenter, aut coniecturaliter sequeretur effectus. Si denique conditio infallibiliter sit illatiua effectus, Deus certo scit, quod posita conditione infallibiliter sequeretur euentus; Physice, si infallibilitas conditionis physica sit; moraliter, si moralis; & Metaphysica: quas omnes scientias certissimas, & infallibiles habet Deus ex parte subjecti, id est ex parte sui ante omne decretum absolutum ex parte actus; id est ante omne decretum actu & formaliter existens in ipso.

517 Ne tamen alicui videatur nos id fingere, & consequenter inania nostris argumentis parare fundamenta, aduersarij conclusiones præfatæ disp. 2. producemus. Numero ergo 31. ait Viues. *Difficultas non est, vtrum ex conditione physice connexa cum euentu, cognoscatur infallibili cognitione euentus, si ponatur conditio, ante omne Dei decretum. Affirmandum enim fore nemo vnquam dubitauit. Quia principium illud physice connexum cum euentu, ita illum inducit, vt physice implicet non inducere, ac proinde euidenti consequentia infertur euentus ex positione illius conditionis,*

518 Insuper num. 33. ait. *Sit conclusio. Futura contingentia conditionata connexa moraliter, vel etiam infallibiliter cum conditione, cognoscentur à Deo ante omne decretum ex vi conditionis certo & infallibiliter, certitudine physica ex parte subiecti, morali verò certitudine vel infallibilitate ex parte obiecti.* Inuerso ordine loquutus est hic author, in quo deceptos legi aliquos Thomistas assumentes connexionem futuri cum conditione, cum tamen connexionem conditionis cum futuro scribere debuissent, quam intendebant, quippe necessariam, vt in illa futurum cognoscantur.

Pergit Viues númer. 35. contra aliquos Thomistas, qui suam illam conclusionem limitandam censuerunt, 519 his verbis *Nihilominus nescio, quare limitatur illa conclusio, & non admittatur; quod ante decretum cognosceretur euentus certo infallibiliter absolute ex conditione omnino infallibiliter inducente euentum: quia hæc est sufficiens principium respectu talis cognitionis; sicut habet cum euentu connexionem absolute infallibilem. Vnde hæc propositio: Si Deus moueat efficaciter prædeterminando, aut congrua motione ad assensum, erit assensus: proculdubio absolute infallibiliter cognoscitur ante omne decretum.* Hæc Viues ex quibus aperte constat, fidelissime nos fundamentum Thomistarum exposuisse.

Quarto docent Thomistæ. Physicam prædeterminationem creatam esse 520 infallibiliter connexam cum effectu, non vtcunque sed infallibilitate & certitudine omnium maxima, scilicet Metaphysica: concordes enim docent implicare hæc duo, Physica prædeterminatio ad consensum est, & consensus non est, quod absque omnino infallibili connexione cum effectu stare non potest.

Quinto commune est inter Thomistas, præcedere aliquos actus volun- 521 tatis tam creatæ, quam diuinæ, imperium intellectus, his vocibus correspondens: *Fac hoc.* Quod imperium præcedere necessario in intellectu saltem ad actum voluntatis, qui dicitur, *vsus*, docent communiter omnes Thomistæ,

mistæ in materia de Prouidentia & Prædestinatione. Et expresse tenent Capreolus in 3. dist. 36. quæst. vnica 3. §. 6. Caietanus & Medina quæst. 17. art. 3. immo illud imperium, quamuis non intentioni, anteponere videntur electioni Caietanus 1. 2. quæst. 58. art. 4. & quæst. 66. art. 3. Et 2. 2. quæst. 47. art. 6. & 7. Et Medina quæst. 13. art. vlt. & quæst. 17. art. 3. Nobis tamen sat est, quod aliquem actum voluntatis liberum præcedat.

522 Circa naturam autem huiusmodi imperij docent illius assertores cogere omnimoda certitudine & infallibilitate, immo & necessitate voluntatem ad suum actum, quem imperat & consequenter esse omnimoda certitudine & infallibilitate cum eo connexum. Quomodo autem stet libertas actus imperati cum ea imperij præcedentis connexione, videant ipsius authores; nobis autem in præsenti sufficit connexio illa imperij cum actu imperato.

SECTIO II.

Stabilitur scientia conditionatorum ante omne decretum existens in Deo.

523 Deus ante omne decretum cognoscit futurum conditionatum iuxta modum, quo conditio connectitur cum illo: sed in sententia Thomistarũ datur conditio certo & omnino infallibiliter connexa cũ futuro conditionato: ergo Deus ante omne decretum cognoscit certo & omnino infallibiliter futurum conditionatum, certitudine non solum ex parte subiecti, sed etiam ex parte obiecti. Consequentia bona est tũ ex præmissis, tũ etiam quia certitudo futuri ex cõditione cum illo omnino infallibiliter cõnexa se tenet ex parte obiecti. Maior autem est expressa doctrina Thomistarum, & constat ex dictis.

Minor in qua tota voluitur difficultas probatur, quia physica prædeterminatio ad consensum habet certam & omnino infallibilem connexionem cum consensu, vt omnes Thomistæ concordes & vnanimes fatentur, dicentes 1. Deum in physica prædeterminatione certo & omnino infallibiliter cognoscere nostros actus liberos. 2. implicare contradictionem hæc duo: Physica prædeterminatio ad consensum est, & consensus non existit: connexio autem minor metaphysicâ eam contradictionem non importat. 3. tantam connexionem habere physicam prædeterminationem cum consensu quam decretum prædeterminans; istius autem connexio certa est & omnino infallibilis: quia in sententia Thomistarum datur conditio certo & omnino infallibiliter connexa cum euentu conditionato: quia Deus in eorum sententia certo & omnino infallibiliter, ante omne decretum cognoscit hoc futurum conditionatum: si esset physica prædeterminatio ad consensum, esset consensus. 524

Confirmo: quando conditio habet necessariam connexionẽ cum effectu, Deus ante omne decretum cognoscit, quod posita conditione, necessario sequeretur effectus: ergo quando conditio habet moralem connexionem cum effectu, Deus ante omne decretum cognosceret, quod posita conditione moraliter ex illa sequeretur effectus; & quando conditio habet probabilem vel contingentem connexionem cum effectu, 525

ctus, Deus ante omne decretum cognoscet, quod posita conditione probabiliter vel contingenter sequeretur effectus, qua ratione impulsus est Viuesad admittendam consequentiã: ergo quando conditio est certo & omnino infallibiliter connexa cum effectu, Deus ante omne decretum cognoscet, quod posita cõditione certo & omnino infallibiliter sequeretur effectus: talis autem per vos est physica prædeterminatio: ergo. Hæc ratio tam certa mihi est & infallibilis, quam certum & infallibile est, quod posita physica prædeterminatione ad consensum, poneretur consensus, in sententia Thomistarum.

526 Vrges Nam ex suppositione quod physica prædeterminatio compossibilis sit cum libertate creata, quod nũc supponimus, certo noscimus certitudine ex parte obiecti infallibili, quod si esset physica prædeterminatio ad consensum, esset consensus: ergo id certo etiam sciet Deus, aliter primatus diuinæ intellectualitatis deprimeretur, & intellectualitas creaturæ animo insolescere posset, eo quod veritatem Deo occultam comperisset: veritas autem certa & infallibilis ex suppositione conditionis cognoscitur à Deo ante omne decretum: ergo & futurus consensus si physica promotio ad illum poneretur.

527 Probabatur 2. quia etiam si physica prædeterminatio certam & infallibilem connexionem non haberet cum consensu; illam sine dubio habet decretum absolute prædeterminans ex parte obiecti, cum ab eo decreto futura absoluta contingentia habeant certitudinem & infallibilitatem ad existendum postea, & in eo decreto in sententia Thomistarum Deus certo & infallibiliter cognoscat futura absoluta contingentia: ergo Deus ante omne decretum cognoscit certo infallibiliter ex parte subiecti & obiecti, quod si decretum absolute prædeterminans Iudæ pœnitentiã extitisset, quoque fuisset pœnitẽtia Iudæ. Quæ ratio ex dictis vrgenda est contra Thomistas, maxime contra Viues, cuius expugnationem nos suscepimus, & applicando imperio illi Thomistico, nam eadem est contra illud. 528

Ex dictis collige quam superflue & sine fundo constituatur in Deo à Thomistis decretum conditionatum ad scientiam conditionatorum certam & infallibilem in Deo constituendam, quæ vnica causa fuit ad infinita decreta conditionata pro infinitis combinationibus possibilibus admittenda, cum in eorum sententia decretum absolute prædeterminans ex parte obiecti, & conditionate existens ex parte actus sit medium superabundans ad certam & infallibilem scientiam conditionatorum.

Nec dicas 1. decreta diuina non posse à Deò cognosci per modum 529 conditionis. Tum quia id omnino liberum est. Tum etiam quia possunt ita à nobis attingi, & nos certo scimus quod si tale decretum esset in Deo, certo & infallibiliter esset consensus, vnde fieret veritatem aliquam infallibilem, & nobis notam, ignorari à Deo. Tum etiam quia Deus certo scit, An si Spiritus S. non procederet à Filio distingueretur ab illo. Si ergo Spiritus S. attingi potest à Deo sub conditione impossibili, cur non poterit decretum sub conditione possibili. Tum denique quia omnis veritas possibilis, absoluta & conditionata, si certa sit & infallibilis potest vt talis cognosci à Deo: hæc autem est veritas certa & infallibilis, si esset decretum absolute prædeterminans

minans consensum esset consensus: ergo nota debet esse Deo. Nec dicas 2. eas omnes scientias esse quidem in Deo ante omne decretum actu existentes non tamen esse scientias liberas, sed naturales siue necessarias. Non inquam dicas, quia ex illis conditionibus non sequitur effectus naturalis siue necessarius, sed contingens & liber: ergo illæ scientiæ non sunt naturales siue necessariæ, sed contingentes, & obiecti liberi: aliter quomodo ex physica præmotione & decreto sequeretur consensus liber?

SECTIO III.

Ostenditur in sententia Thomistarum Deum non posse certo scire futura conditionata in decreto illo absoluto ex parte actus & conditionato ex parte obiecti.

531 Suppono nunc id, quod alta mente repostum insidet præcordiis Thomistarum, quodque non sine plausu circunfertur inter illos. Scilicet decretum absolute vel conditionate prædeterminans non solum non euertere creati arbitrij libertate, sed illam perficere, & fouere, cum eam perpetuo amicitiæ fœdere fortiter & suauiter conciliari. Id nos quoque libentes nunc supponimus vt fundamentis fundamenta comprobemus: videlicet creatam voluntatem vna cum decreto prædeterminante esse liberam, posse operari & non operari; posse consentire & non consentire; posse dissentire & non dissentire, in quocumque sensu id sit siue diuiso siue composito, de quo nunc non disputo. Hoc posito.

532 Ita argumentor: res aliqua non potest esse medium cognoscendi aliam nisi eo pacto, quo illi connectitur: decretum autem absolute vel conditionate prædeterminans non connectitur cum futuro modo sufficienti & requisito ad cognitionem certam & omnino infallibilem futuri: ergo Deus in decreto conditionate vel absolute prædeterminante non potest certo & & omnino infallibiliter cognoscere futurum. Consequētia clara est ex præmissis. Maior & minor probandæ sunt. Et antequam id præstem aduerto dupliciter posse vnum in alio cognosci. 1 apprehensiue, & quatenus est terminus respectus, quin sit ratio sufficiens inferendi aut affirmādi terminū re ipsa esse, aut non esse: sic in actu probabili de existenta Petri, cognoscitur Petrus apprehensiue quatenus est terminus actus respicientis ipsum; non tamen cognoscis Petrum re ipsa existere, nec id ex vi medij affirmare potes. Similiter in carentia existentiæ Pauli, apprehendis quidem existentiam Pauli, non autem affirmare potes, Paulum re ipsa existere. 2. potest vnum in alio cognosci assertiue vel illatiue, id est affirmando vel inferendo terminum re ipsa esse, iuxta modum quo medium connectitur cum illo. Et de hoc 2. modo procedit tota nostra argumentatio: nam Thomistæ non asserunt Deum in decreto cognoscere apprehensiue tantum futurum, sed re ipsa esse futurum.

Probatur ergo maior illa: quia modo quo vna res alteri non connectitur, neque esse potest medium cognoscēdi illam. Inde docent omnes scientiam simplicis intelligentiæ non esse medium ad cognoscenda futura, esse tamen medium cognoscendi possibilia si cum illis connectatur. Insuper decretum & auxilium indifferens non esse medium ad cognoscendum con- 533

sensum

sensum re ipsa futurum vel existentem, quia cum illo non connectitur. præterea actum probabilem de existentia Petri non esse medium ad Petrum re ipsa existentem cognoscendum: Idemque est de omni alio medio inconnexo: ergo res aliqua non potest esse medium cognoscendi aliã, nisi eo modo, quo illi connectitur. Confir. nam vt expendebamus sect. præcedenti contra Viues, ideo Deus ante omne decretum in medio tantum moraliter connexo cum effectu non potest in illo scire effectum physice futurum quia non connectitur illi physice, & potest scire moraliter futurum, quia moraliter est cum illo connexum. Et ideo in medio physice tantum connexo non potest scire ex illo metaphysice esse futurum, quia illi physicè connectitur: ergo nulla res potest esse medium cognoscendi aliam, nisi eo pacto quo connectitur illi.

534 Minor ergo illa 1. syllogismi, in qua potissima est difficultas; scilicet decretum absolute vel conditionate prædeterminans non connecti cum futuro modo sufficienti & requisito ad cognitionem certam & omnino infallibilem futuri. Probatur, quia decretum prædeterminans v. g. consensum potest existere quin existat vel exiturus sit consensus non solum metaphysice sed etiam physice: ergo neque metaphysice connectitur cum consensu existente vel futuro: ergo Deus in eo decreto neque certitudine physica neque metaphysica potest cognoscere consensum reipsa existentem vel futurum: atque adeo neque omnino infallibiliter, ad quod sola certitudo metaphysica sufficiens est & requisita. Vltima consequentia bona est, & 1. indubitata, quia eo pacto quo vna res potest esse sine altera, non connectitur illi, cum connexio sit alligatio existentiæ vnius cum existentia vel futurorum aut possibilitate alterius iuxta naturam rei connexæ: alia enim connectitur cum possibilitate termini, alia cum futuritione, alia vero cum existentia. Antecedens vero probatur, quia voluntas creata vna cum decreto prædeterminante est libera non solum metaphysice sed etiam physice, vt pleno ore celebrant Thomistæ: ergo physice & metaphysice potest consentire & non consentire: ergo physice & metaphysice decretum prædeterminans potest existere quin existat vel exiturus sit consensus. Hæc ratio, quæ validissima est, aptari etiam potest physicæ prædeterminationi, nam similiter Patres Dominicani componunt cum illa physicam arbitrij libertatem.

Nec confugere possunt aduersarij ad connexionem moralem decreti cum futuro. 1. quia in ea connexione potest quidem Deus cognoscere quod posita conditione certitudine morali ponetur effectus, non tamen scire potest re ipsa exiturum effectum, quin ea notitia exposita sit falsitati. Rem declaro exemplo, moraliter certum est dari Romam ex communi omnium testimonio morali certitudine cum ea connexo: quo posito dupliciter poterit cognoscere Romam 1. asserens esse moraliter certum dari Romam, & hic actus verus semper est ex omnium testimonio, & verus esset etiam si Roma non esset. 2. asserens re ipsa Romam; & hic actus solo innixus testimonio moraliter connexo, falsus esse potest, ergo cum eo testimonio potest re ipsa non esse Roma in rerum natura: ergo similiter in connexione morali decreti cum futuro posset quidem Deus certo scire, quod illo posito morali certitudine 535

titudine esset effectus; non autem, esse te ipsa effectum.* 2. quia ante omne decretum morali certitudine ex parte obiecti cognoscit Deus futura in conditione moraliter cum illis connexa, quale est auxilium non physice sed moraliter prædeterminans, vt fatetur Viues disp. 2. dist. 4. ergo si decretum aliam certitudinem ex parte obiecti non adderet, superfluum omnino esset ad infallibilem conditionatorum sciẽtiam*. 3. quia in auxilio moraliter tantum prædeterminante nõ potest Deus ea certitudine cognoscere consensum, qua illum cognoscit in auxilio, aut decreto physice prædeterminante: ergo diuersi generis est certitudo decreti & physicæ prædeterminationis à certitudine morali. 4. quia certitudo vel connexio pure moralis est de se infallibilis physice & metaphysice: ergo & cognitio euentus in eo medio erit physice & metaphysice infallibilis: cognitio autem diuina neque physice neque metaphysice potest esse infallibilis: ergo neque posset infallibiliter physice & metaphysice cognoscere futurum in decreto si illius connexio moralis tantum esset.

536 Dices hoc argumentum militare contra nos rum in coniuncto ex sciẽtia media de futuro consensu, & positione conditionis. Tum in prædefinitione consensus. In quibus Deus infallibiliter & omnimoda certitudine cognoscit consensũ, quamuis voluntas cum illis sit libera & potens non consentire. Id tamen in nostra opinione momenti non est; nam licet nos in coniuncto illo ex scientia media & positione conditionis metaphysicam & infallibilem connexionem admittamus cum futuro libero, idemque de prædefinitione sentiamus; non tamen admittimus voluntatem creatam ex suppositione eorum posse dissentire: nec ea impotentia destrui libertatem, quia est necessitas consequens liberum consensum sub conditione præuisum, à quo potest desistere voluntas, & suo dissensu impedire eam scientiam conditionatam, & prædefinitionem. In sententia autem aduersariorum impotentia orta ex decreto est omnino antecedens omnem nostrum consensum nec impedibilis dissensu, vnde nos inferimus stante cum illo decreto arbitrij libertate, non posse physicam aut metaphysicam connexionem habere cum consensu, & consequenter neque posse esse medium ad certam & omnino infallibilem cognitionem consensus, de quo alibi.

SECTIO VIt.

Ostenditur in sententia Thomistarum Deum certo & infallibiliter cognoscere in se ipsis præterita & præsentia conditionata, & etiam futura.

QVamuis Patres Dominicani denegent futuro contingenti absoluto determinatam veritatem, quia in se infallibile futurum non est, sed contingens; idemque de conditionato consequenter doceant: non tamen negant præterito & præsenti absoluto determinatam veritatem, sed illam expresse concedunt. Et in primis de præterito constat ex disp. vbi nobis concessit Viues præteritum absolutum ex sola carentia existentiæ nunc & existentia antea esse formaliter infallibile præteritum, atque adeo determinate verum quod idem est. De 537

V præsenti

præsenti autem res etiam est certa, nã vt sæpius inculcat Viues ex suppositione quod res sit, necesse est esse, atque adeo infallibile; vnde docent Deum infallibiliter cognoscere sua decreta vt existentia etiamsi absolute contingentia sint, quia scientia diuina visionis respicit suum obiectum tam creatum quam diuinum ex suppositione quod sit, qua ratione infallibile est esse.

538 Dari autem præterita & præsentia conditionata, sicut & futura, res est extra controuersiam. Nam vt notauimus disp.5.sect.1. futurum conditionatum dicit, effectum futurum siue extiturum si futura quoque esset vel extituta conditio. Existens vero conditionatum dicit quod effectus esset existens existente conditione. Præteritum vero; quod fuisset, si conditio præcessisset. Stare autem conditionem, quæ si existeret, esset quoque effectus existens ex ipsis Thomistis facile conuincitur; nã physica prædeterminatio talis est efficacitatis, quod si existat, effectus quoque sit existens, nec patiatur esse futurum pro tempore quo ipsa est. Stare insuper conditionem, quæ si fuisset, effectus quoque extitisset, testatur Christus D. testimonio illo: Quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.

539 Probatur, ergo 1. Conclusio de præteritis & præsentibus conditionatis. Nam vt fatetur Viues disp.1. num.1. de veritate & scientia conditionatorum eodem modo discurrendum est, ac de veritate & scientia absolutorum, quæ vnica causa illum impulit vt ibi testatur, ad agendum prius de absolutis contingentibus, vt ex consequentia doctrinæ postea de conditionatis decerneret. Idcirco negata veritate intrinseca & infallibili sciẽtia diuina futuri absoluti contingentis in se ipso, vtrumque postea negat in futuro conditionato: atqui per te præsens & præteritum absolutum habent in se ipsis intrinsecam veritatem, & ratione illius certo & infallibiliter cognoscuntur à Deo in se ipsis: ergo & præsens & præteritum conditionatum habebunt in se ipsis intrinsecam veritatem, & ratione illius certo & infallibiliter cognoscentur à Deo in se ipsis. Confir. ideo præteritum & præsens absolutum habẽt in se intrinsecã & determinatam veritatem absolutam qua possint à Deo certo & infallibiliter in se ipsis cognosci, quia ex suppositione quod res sit absolute præterita necesse est fuisse, & ex suppositione quod res absolute sit, necesse est esse: atqui ex suppositione, quod res sit conditionate præterita necesse est fuisse conditionate, & ex suppositione quod conditionate sit præsens necesse est esse: ergo præsens & præteritum conditionatum habent intrinsecam & determinatam veritatem, qua certo & infallibiliter possint à Deo in se ipsis cognosci. Maior familiarissima est inter aduersarios, & expresse conceditur à Viues vt vidimus disp.5. sect. 1. Minor autem ex terminis nota est, & consequentia legitima: quæ si nobis concedatur, ex maiori parte habebimus intentum, nam ex conditionatis contingentibus maior pars est, quæ præsentia & præterita sub conditione, complectitur. Insuper donabitur nobis scientia diuina certa & infallibilis de pœnitentia Tyriorum in se ipsa, quæ præteritum est conditionatum, & de aliis præteritis & præsentibus conditionatis in Scriptura contentis.

Probatur secundo conclusio de futuro 540

turo absoluto & conditionato. Nam ideo docent Thomistæ, præsens & præteritum contingens habere determinatam veritatem; & ratione illius certo & infallibiliter cognosci à Deo in se ipsis; quia præteritum, ex suppositione quod præteritum sit, necesse est fuisse; & præsens ex suppositione quod sit, necesse est esse: Futurum autem absolutum contingens ex suppositione quod futurum sit, necesse est esse exiturum: ergo habet in se determinatam veritatem futuri, & ratione illius certo & infallibiliter in se ipso poterit à Deo cognosci: Fatentibus autem aduersariis eodem modo discurrendum est de futuro absoluto & conditionato: ergo futurum conditionatum habet determinatam veritatem & ratione illius poterit certo & infallibiliter in se ipso à Deo cognosci. Maior est aduersariorum, & consequentia legitima.

541 Minor autem ostenditur. Quia implicat contradictionem rem non esse futuram supposito quod futura sit: ergo ex suppositione quod futura sit, necesse est esse futuram seu exituram quod idem est. Probatur consequentia. Tum quia duplex contradictoriū necesse est non existere simul. Tum etiam quia ideo ex suppositione quod res sit præterita, necesse est esse præteritam seu fuisse, quia supposito quod sit præterita, implicat non esse præteritam. Et ideo ex suppositione quod res sit præsens necesse est esse; quia implicat, ex suppositione quod res sit præsens, non esse præsentem: pariter autem implicat rem non esse futuram supposito quod futura sit: ergo necesse est esse futuram.

542 Dices futuritionem esse contingentem, & consequenter minime infallibilem; quia contingens & infallibile minime conuertuntur: de ratione enim infallibilitatis est extrahere rem ab statu contingentiæ.

Contra. Quia futurum dupliciter considerari potest. Primo antecedenter siue in causis indifferentibus potentibus ponere & non ponere effectum: & hac ratione contingens quidem est, & nulla ratione certum & infallibile. Secundo considerari potest in se ipso seu ex suppositione, quod sit in aliqua temporis differentia, & vt sic contingens non est, sed omnino certum & infallibile. Contingens autem & infallibile sub hac diuersa consideratione sumpta non opponi inter se, vel inuiti fateri tenentur aduersarij in præterito & existente: vtrumque enim antecedenter & in causis indifferentibus ad ponendam vel destruendam existentiam, contingens est, & nulla ratione certum & infallibile: In se ipso autem & ex suppositione quod ponatur vel destruatur existentia, certum omnino est & infallibile. Ex quibus: 543

544 Ita vrgeo. Licet præteritum sit contingens absolute siue antecedenter in causis; tamen quia in se ipso, & ex suppositione infallibile est, bene conuertūtur contingens & infallibile Pariter, licet existens sit contingens absolute & antecedenter in causis; tamen quia in se ipso, & ex suppositione infallibile est, bene conuertuntur contingens & infallibile: ergo licet futurum sit contingens absolute & antecedenter in causis, cum in se ipso, & ex suppositione infallibile sit, vt superius probatum est, bene conuertentur contingens & infallibile. Sicut ergo diuina scientia præteritorum & existentium infallibilis est tam ex parte subiecti quam obiecti, quia cadit non supra contingentiam causatum, sed supra suppositionem existentiæ, & præteritionis; cur non

idem erit de scientia futurorum?

545 Confirmo exemplo decreti gratissimi Thomistis tam conditionate, quam absolute prædeterminantis: Vtrumque enim contingens est & liberum absolute, & simul certū & infallibile ex suppositione, quia licet potuerit non esse, ex suppositione tamen quod sit necesse est esse: ergo pariter futurum etiamsi absolute contingens sit & liberum, ex suppositione tamen quod futurum est, qua ratione necesse est esse futurum, erit certum & infallibile. Sicut ergo scientia diuina decreti in se ipso & ex suppositione quod sit, certa est & infallibilis tam ex parte subiecti, quam obiecti; cur scientia futuri in se ipso & ex suppositione certa pariter & infallibilis non erit?



DISPVTATIO X.

Scientia conditionatorum in decreto infringitur ex læsione creatæ libertatis.

546 SIlentium indixeram huic & quatuor sequentibus disputationibus, quousque secundus liber Magistri Viues pro decretis prædeterminantibus prodiret. Quia tamen, authore præmatura morte rapto, liber ille forte lucem non aspiciet; idcirco has validissimas in Thomisticas acies incursiones censui nequaquam omittendas. Si enim decreta prædeterminantia deturbauerimus, pariter cum illis superinnixam scientiam sponte ruere, necesse erit. Etenim si decretum prædeterminans, quodcumque illud sit, siue absolutum, siue conditionatum, arbitrio necessitatem imponat, perperam Deus in illo liberam hominis operationem cognoscet.

SECTIO I.

Assumptum ratione probatur.

ITa dissero. Potentia libera est illa, quæ vna cum principiis & requisitis, quæ ponere vel impedire non est in eius potestate, potest operari & non operari; consentire & dissentire: 547 voluntas autem vna cum decreto prædeterminante v. g. consensum quod est vnum ex principiis requisitis, quod ponere vel impedire non est in eius potestate, non potest dissentire: ergo neque potest sub dominio decreti prædeterminantis esse libera. Consequentia bona est. Maior autem definita à Tridentino sessione 6. canone 4. his verbis. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti quoad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac præparet, nec posse dissentire si velit, &c. Anathema sit,* Vbi verbis illis, *à Deo motum & excitatum*, vtraque motio comprehenditur, & intrinseca auxilij de qua nos nihil disputamus, & extrinseca decreti, quam solam versamus. Et vtrique ait Tridentinum nos posse dissentire. Id quod non negant aduersarij.

Minor igitur probatur. Primo, quia si voluntas in instanti in quo prædeterminatur ad consensum (semper 548 sermo est de sola prædeterminatione extrinseca decreti) dissentiret, implicaret: ergo cum prædeterminatione ad cōsensū nō potest dissentire. Antecedens est aduersariorū pleno ore fatentium implicare hæc duo: homo præde

prędeterminatur ad consensum, & dissentit. Consequentia igitur probatur. Ad id quod implicat, modo quo implicat, non datur posse: per vos implicat arbitrium prædeterminatum ad consensum dissentire: ergo in homine prædeterminato ad consensum non datur posse dissentire. Maior est primum principium. Minor aduersariorum, & consequentia formalis.

549 Probatur secundo eadem minor. Arbitrium in instanti in quo est prædeterminatum ad consensum non potest prædeterminari ad dissensum; aliter in eodem instanti potest consistere vtrumque decretum, & consequenter consensus & dissensus: ergo neque potest dissentire. Antecedens perspicuum est & expressa aduersariorum doctrina. Consequētia probatur. Quia si voluntas dissentiret absque prædeterminatione ad dissensum implicaret per vos: ergo non potest dissentire in instanti in quo non potest prædeterminari ad dissensum: In instanti autem in quo est prædeterminata ad consensum non potest prædeterminari ad dissensum: ergo neque potest dissentire. Confirmo. Ideo voluntas in instanti in quo est prædeterminata ad consensum non potest prædeterminari ad dissensum, quia si prædeterminaretur, implicaret: pariter autem implicaret per vos, si prædeterminata ad consensum dissentiret: ergo in instanti in quo est prædeterminata ad consensum non potest dissentire.

550 Tertio probatur eadem minor. Quia decretum prædeterminans non solum requiritur ad actu operari, sed etiā ad posse: ergo quando non est diuina prędeterminatio ad dissensum, neque erit potestas dissentiendi; & quando non est prędeterminatio ad consensum, neque erit potestas consentiendi. Consequentiam quis fastidiat? Antecedens probatur, quia si voluntas absque decreto prædeterminante posset operari actu, posset quoque facere, ne Deus esset causa Prima: id non potest: ergo neque operari. Maior probatur, quia si volūtas actu operaretur sine prædeterminatione, actu faceret ne Deus esset causa prima, ergo si posset operari sine prædeterminatione, posset quoque facere ne Deus esset causa prima.

Confirmatur efficaciter. Quia nihil potest esse absolute futurū vel existens sine decreto diuinę voluntatis, vt fatētur omnes tum nostri, tum Thomistæ, & constat ex dictis disp. 1. sect. 7. Hoc tamen discrimine, quod in sententia Thomistarū decretum necessario prærequisitum est prædeterminans, in nostra vero respectu actus liberi est indifferens: ergo non potest esse absolute futurus, neque existens consensus sine decreto prædeterminante illum: ergo implicat consensum esse futurum vel existentem sine decreto prædeterminante illum: ergo implicat hominem consentire sine tali decreto; cum implicet hominem consentire sine illo, sine quo implicat existere consensum: ergo nō potest homo cōsentire sine decreto prædeterminãte consensum; cum implicare consentire, & non posse consentire synonima sint: ergo homo respectu cuius non præsupponitur decretum prædeterminans consensum, non potest consentire. Respectu autem eorum, qui non consentiunt, non præsupponitur tale decretum: ergo nec potestas consentiendi: ergo neque libertas. 551

Quarto. In manu arbitrij non est quod ponatur vel non ponatur diuina prædeterminatio v. g. ad consensum: Illa autem posita non est in manu arbitrij non consentire: ergo nihil est in manu arbitrij: ergo nulla libertas. Maior certa est apud aduersarios, ali- 552

ter in manu arbitrij eſſet ſe prædeſtinare, & diſcernere, quod impenſe deteſtantur, Minor probatur, quia poſita ea prædeterminatione poſita quoque eſt infallibilis & metaphyſica connexio cum conſenſu, & negatione diſſenſus: ea autem connexione poſita non eſt in manu arbitrij non poni terminum: ergo. Minor mille exemplis demonſtrari poteſt. Ideo enim poſita cæcitate non eſt in manu hominis videre, quia connexa eſt cum negatione viſionis. Inſuper ideo in manu hominis non eſt impedire lucem orto ſole, quia ortus ſol connexionem habet phyſicam cum luce, quæ tanta non eſt, quam connexio prædeterminationis cum conſenſu. Rurſus ideo poſita viſione beata non eſt in manu hominis non amare, quia viſio eſt connexio cum amore. Denique ideo non eſt in manu hominis compediti currere, vel non cognoſcentis, amare, quia compedes inconiungibiles ſunt cum curſu; & carentia cognitionis cum amore: diuina autem prædeterminatio connexa eſt eſſentialiter cum conſenſu & inconiungibilis cum non conſenſu: ergo ea poſita non eſt in manu hominis non conſentire.

553 Sexto, poſſe hominem prædeterminatum ad conſenſum diſſentire, eſt vel dicit neceſſario, poſſe coniungere prædeterminationem ad conſenſum cum diſſenſu: id prorſus impoſſibile eſt: ergo & poſſe diſſentire. Minor eſt aduerſariorũ, implicat enim cõiungi hęc duo, Deus prædeterminat ad conſenſum, & homo diſsẽtit. Maior probatur, quia poſſe hominem prædeterminatum ad conſenſum diſſentire, eſt poſſe hominem retenta prædeterminatione ad conſenſum ſibi coniungere diſſenſum: poſſe autem hominem retenta prædeterminatione ad conſenſum ſibi coniungere diſſenſum contingere non poteſt, quin poſſint in homine coniungi prædeterminatio ad conſenſum, & diſſenſus, vt patet ex terminis: ergo.

Confirmo. Nam poſſe me ſedentem ſcribere, neceſſario dicit me poſſe 554
ſcripturam meam cum ſeſſione coniungere, ſi enim vtrumque coniungere non poſſem falſum eſſet, me poſſe ſcribere ſedentem. Similiter falſum eſſet me poſſe tecum deambulare, ſi non poſſem te meæ deambulationi coniungere: ergo cum non poſſit homo coniungere prædeterminationem ad conſenſum cum diſſenſu, falſum erit, hominem prædeterminatum ad conſenſum, poſſe diſſentire.

Dices, homo iuſtus poteſt peccare 555
etiamſi non poſſit coniungere gratiam cum peccato: ergo etiam homo prædeterminatus ad conſenſum poterit diſſentire, etiamſi non poſſit coniungere prædeterminationẽ cum diſſẽſu.

Contra, quia hominem iuſtum poſ- 556
ſe peccare dupliciter ſumi poteſt. Primo ita vt homo ſuppoſita gratia exiſtente in ipſo in inſtanti A, & vna cum illa poſſit in eodem inſtanti peccare; & hoc impoſſibile eſt, poſita incompoſſibilitate gratiæ cum peccato; quia eſt poſſe coniungere gratiam cum peccato; & iuxta vſurpationem iſtam procedit argumentum noſtrum, Thomiſtæ enim ſuppoſita prædeterminatione diuina, & vna cum illa aiunt poſſe arbitrium diſſentire in eodem inſtanti, in quo ſupponitur prædeterminatio. Secundo itaut homo pro priori naturæ antecedente tum exiſtentiam gratiæ, tum peccati potuerit peccando expellere gratiam, vel obediendo eam conſeruare, & hac ratione verum eſt hominem iuſtum in inſtanti A potuiſſe in eo peccare

peccare, & pariter posse in sequenti: quo pacto non est in homine potestas coniungendi gratiam & peccatum, nec à nobis assumptum est argumentum contra Thomistas, sed in priori tantum acceptione.

557 Septimo si voluntas decreto diuino prædeterminata ad consensũ posset dissentire, posset quoque resistere voluntati Dei efficaci, eamque frustrare: id est contra Scripturas: ergo. Maior probatur, ille potest resistere voluntati efficaci alicuius, eamque frustrare; qui potest ponere oppositum tali voluntati: dissentire autem est oppositum diuinæ voluntati prædeterminanti ad consensum: ergo qui potest dissentire potest ponere oppositum tali voluntati: ergo & potest resistere, eamque frustrare. Confirmo actu dissentire, est actu resistere, & frustrare: ergo posse actu dissentire erit posse resistere & frustrare. Probatur consequentia, quia potentia terminata ad id, quod est actu resistere, & frustrare, est potentia resistendi, & frustrandi; sicut potentia terminata ad id, quod est actu cognoscere est potentia cognoscendi, & potentia terminata ad id, quod est actu amare, est potentia amandi: potentia autem dissentiendi actu est potentia terminata ad id, quod est resistere & frustrare; cum actu dissentire, sit actu resistere & frustrare: ergo & potentia resistendi, & frustrandi.

SECTIO II.

Distinctio sensus compositi & diuisi non satisfacit argumentis nostris.

558 Familiarissima est in præsenti nodo soluendo distinctio illa. Hic clypeus, hæc galea, & gloria Thomistarum; ideo ex professo tentandũ est, quid rei ea verba contineant. Hic tamen non omittam, iniustas esse querelas aliquorum Patrum Dominicanorum contra Patres Societatis, Molinam, inquam, Soarium, & Vasquium, qui non tam distinctionem, quam abusum increpant. Seueriores enim in illam Catones se ostentarunt Dominicani. Nam Caietanus 1 part. quæst. 22. art. 4. §. *ad hanc dubitationem* ait distinctionem sensus diuisi & compositi, intellectum non quietare. Et Ioannes Vincentius Salmantinus Professor & Ordinis Prædicatorum Vicarius Generalis in manuscriptis, prælectione in 1. part. ad quæst 19. art. 8. dub. 2. concl. 3. ait de sensu diuiso & composito: *Hæc distinctio in hac parte leuissima est, & tota consistit in verbis*, Acrius alij, inter quos Ioannes de Roa Dauila opere de prouidentia & prædest. quæst. 3. sect. 2. num. 77. ait: *Refugium esse fugientium à vi difficultatis.* Non ergo contra Iesuitas, solum abusum eius distinctionis increpantes, querulæ sensus diuisi & compositi lamentationes deplorandæ sunt.

Voluntatem ergo decreto diuino prædeterminatam ad consensum posse dissentire in sensu diuiso non est, 559
vt aiebat Lorca 1. 2. quæst. 111. art. 3. circa finem, posse dissentire sine prædeterminatione; aliter cum illa non posset voluntas dissentire, quod falso imponi Thomistis conqueritur Aluarez de auxiliis disp. 94. num. 1. Posse igitur voluntatem prædeterminatam à Deo ad consensum in censu diuiso dissentire, præcisis vocibus, aliud re non est, quam posse dissentire non consentiendo: posse vero dissentire in sensu composito est posse dissentire consentiendo simul. Nam

Nam ſenſus diuiſus eſt, qui inter formas inconiungibiles diuidit vnam ab altera ; ſenſus vero compoſitus qui vtramque coniungit. Ita Aluarez citatus & recentiores Thomiſtæ.

560 Vnde infero cum ipſo, in voluntate nullam eſſe poteſtatem ad coniungendas formas inter ſe oppoſitas & inconiungibiles, quia id prorſus implicat. Vnde non eſt poteſtas ad coniungendam prædeſtinationem cum peccato finali, nec prædeterminationem ad conſenſum cum diſſenſu, quia hæc non minus implicant quam coniungere conſenſum & diſſenſum. Ita citatus Aluarez. Hinc reſpondent voluntatem in ſenſu diuiſo poſſe diſſentire etiam cum prædeterminatione ad conſenſum, non vero in ſenſu compoſito; & id ſufficere creatæ libertati.

561 Hanc autem reſponſionem non ſatisfacere noſtris argumentis. Probatur primo. Quia poſſe diſſentire in ſenſu diuiſo eſt poſſe diſſentire non conſentiendo : voluntas autem vna cum prædeterminatione ad conſenſum non poteſt diſſentire non conſentiendo : ergo neq; poteſt diſſentire in ſẽſu diuiſo. Conſequentia bona eſt. Maior expreſſa Thomiſtarum. Minor probatur. Quia voluntatem poſſe diſſentire in ſenſu diuiſo ſiue non conſentiendo vna cum prædeterminatione ad conſenſum, eſt vel dicit poſſe coniungere prædeterminationẽ ad conſenſum cum diſſenſu & negatione conſenſus, vt omnibus ſectionis præcedentis argumentis probatum eſt : id autem prorſus implicat non minus quam poſſe coniungere conſenſum cum diſſenſu : ergo voluntas non poteſt diſſentire in ſenſu diuiſo ſiue non conſentiendo.

562 Secundo. Voluntas vna cum prædeterminatione ad conſenſum non poteſt diſſentire in ſenſu diuiſo, niſi poſſit eſſe & conſtitui in ſenſu diuiſo: cum prædeterminatione autem ad conſenſum non poteſt eſſe & conſtitui in ſenſu diuiſo : ergo neque poterit diſſentire in ſenſu diuiſo. Maior perſpicua eſt ex terminis, homo enim qui non poſſet eſſe & conſtitui in templo, neque poſſet orare in illo: ſimiliter igitur qui non poſſet eſſe & conſtitui in ſenſu diuiſo, neque poſſet in illo diſſentire. Minor probatur. Si voluntas vna cum prædeterminatione ad conſenſum eſſet aut conſtitueretur in ſenſu diuiſo implicaret: ergo non poteſt conſtitui, cum ad id quod implicat non detur poſſe. Antecedens probatur, quia ſi voluntas vna cum prædeterminatione ad conſensũ conſtitueretur in ſenſu diuiſo, coniũgeretur prædeterminatio ad cõſenſum cum diſſenſu & carentia conſenſus ; id implicat per vos : ergo. Maior probatur. Quia ſi voluntas vna cum prædeterminatione ad conſenſum cõſtitueretur in ſenſu diuiſo, coniungeretur prædeterminatio ad conſenſum cum ſenſu diuiſo : ſenſus autem diuiſus, eſt diſſenſus cum negatione conſenſus: ergo coniungeretur prædeterminatio ad conſenſum cum diſſenſu & negatione conſenſus. Maior probatur, quia voluntas conſtituta in ſenſu diuiſo coniungeretur cum illo: ergo etiam prædeterminatio ad conſenſum exiſtens in voluntate coniungeretur illi : ſicut forma exiſtens in materia coniungitur illi, cui materia coniungitur, nec poteſt non coniungi.

Tertio ad libertatem opus eſt poſſe cõiungere diſſenſum cum omni principio & requiſito antecedenti, quod non eſt in poteſtate arbitrij ponere vel impedire: voluntas autem non poteſt coniungere diſſenſum cum prædeterminatione diuina ad conſenſum, quæ eſt principium antecedens vel requiſi- 563

requisitum, quod non est in potestate arbitrij ponere vel impedire: ergo cum ea prædeterminatione non habet potestatem dissentiendi requisitam libertati. Maior probatur quia principium vel requisitum, quod non est in potestate arbitrij ponere vel impedire, si coniungibile sit cum dissensu, impedit ne voluntas cum eo coniungi possit dissensui: ergo impedit ne voluntas possit dissentire, cum posse dissentire nihil aliud sit, quam posse coniungi cum dissensu.

564 Denique quia prædeterminatio de qua disseritur est decretum absolutum & efficax consensus, cui dissentire & resistere est prorsus impossibile etiam in sensu diuiso vt ostendimus sect. præcedenti in fine, & concedit Aluarez de auxiliis disp. 32 num. 15. atque adeo nulla cum eo stat potestas dissētiendi. Argumentum ibi propositum est, quod, & cætera omnia militant contra potestatem consentiendi in sēsu diuiso; quia omnis potestas dissentiendi cum prædeterminatione ad consensum, est vel dicit potestatem coniungendi prædeterminationem cum dissensu, quod impossibile esse, est principium constans inter Thomistas, aliter diuina prædeterminatio esset indifferens vt coniungeretur tam cum consensu quam dissensu, quo donarentur nobis decreta indifferentia sine cum vtraque parte coniungibilia, quod idem est.

SECTIO III.

Indifferentia iudicij stante diuina prædeterminatione ad consensum non sufficit potestati dissentiendi.

565 CVm certum sit apud omnes, aliquam indifferentiam tam ad consensum, quam dissensum, esse ad libertatem necessario requisitam: & cum in prædeterminatione, quippe ad vnum determinata, nulla sit; ad iudicium indifferens appellarūt Thomistæ, docentes sufficere illius indifferentiam potestati dissentiendi, taliter vt stante tali iudicio, nec diuinitus possit creata voluntas necessitari ad operandum.

Quale autem sit hoc iudicium, quodnam illius obiectum, & quisnam modus tendendi in illud, desiderata claritate explicatum hactenus à Thomistis non est. Vnum è tribus esse debet, vel iudicium de bonitate & malitia obiecti, aut conuenientia & disconuenientia; vel iudicium de eligibilitate vtriusque actus tam consensus quam dissensus, vel vtrumque, videlicet & iudicium de conuenientia obiecti, & iudicium de eligibilitate vtriusque actus. Nihil autem horum sufficere potestati dissentiendi: 566

Probatur. Primo, cū iudicio indifferēti cōponitur, voluntatē vna cum prædeterminatione ad consensum non posse dissentire: ergo indifferentia iudicij non sufficit potestati dissentiendi. Ant. probatur, quia cum iudicio indifferenti implicaret si voluntas vna cum prædeterminatione ad consensum dissentiret: ergo componitur cum iudicio indifferenti non posse dissentire, cum ad id, quod implicat, non detur posse. Antecedens probatur, quia si voluntas vna cum iudicio indifferenti & prædeterminatione ad consensum dissentiret, coniungeret prædeterminationem ad consensum cum dissensu: id prorsus implicat fatentibus aduersariis: ergo si cum iudicio indifferenti & vna cum prædeterminatione ad consensum dissentiret, implicaret. 567

X Secundo

568 Secundo non minus, imo multo magis inconiungibilis est prædeterminatio ad consensum cum dissensu; quam religatio catenarum cum libertate: at non obstante iudicio indifferenti, qua homo cognoscit conuenientiam libertatis & disconuenientiam vinculorum, impeditur illi potestas se constituendi in libertate: ergo non obstante iudicio indifferenti impedietur similiter potestas dissentiendi. Probatur consequentia, ideo homini religato impeditur potestas se constituendi in libertate, quia nec est in eius potestate rumpere vincula, nec ea cum libertate coniungere: similiter autem nec est in potestate hominis prædeterminati ad consensum prædeterminationem reiicere, nec eam cum dissensu coniungere: ergo neque posse dissentire.

569 Dices in homine vincto non esse iudicium indifferens, quia non cognoscit libertatem sibi possibilem.

570 Contra quia pariter contendam neque in homine prædeterminato ad consensum esse iudicium indifferens, quia neque cognoscet sibi possibiliũ dissensum. Quod probo, quia, ideo homo vna cum vinculis non cognoscit sibi possibilem libertatem, quia in manu eius non est soluere vincula, nec ea coniungere libertati: in manu autem hominis prædeterminati ad consensum, non est reiicere prædeterminationem, nec eam coniungere dissensui: ergo neque cognoscet sibi possibilem dissensum: ergo neque habebit iudicium indifferens. Quod exemplo à Thomistis admisso facile est confirmare. Nam humanitas Christi D. ex vi vnionis hypostaticæ est impeccabilis: non ex alio capite, nisi quia deest illi iudicium indifferens ad peccatum: ideo autem deest illi iudicium indifferens, quia non potest cognoscere malitiam vel peccatum à se eligibile: non autem potest cognoscere malitiam vel peccatum à se eligibile, quia coniungere non potest vnionem hypostaticam cum peccato: ergo cum homo non possit coniungere prædeterminationem ad consensum cum dissensu, neque poterit cognoscere dissensum à se eligibilem: ergo neque habere iudicium indifferens.

Tertio. Indifferentia ex parte iudicij non sat est potestati dissentiendi, nisi proxime expedita sit ad dissensum, si enim impedita sit, eodem quoque modo impedita manebit potestas dissentiendi: stante autem prædeterminatione ad consensum impedita est indifferentia iudicij in ordine ad dissensũ: ergo sufficiens non est potestati dissentiendi. Maior certa est, nam proxima & expedita libertas non stat absque proxima & expedita indifferentia saltem ex parte iudicij tam ad consensum quam dissensum, etiam in sententia Thomistarum. Minor ergo probatur. Tunc aliqua indifferentia est impedita ad vnam partem quando est coniuncta cum aliquo inconiungibili cum ea parte: in homine autem prædeterminato ad consensum indifferentia iudicij est coniuncta cum aliquo inconiungibili cum dissensu, scilicet prædeterminatione ad consensum: ergo est impedita in ordine ad dissensum. Maior probatur, variis exemplis. Ideo enim indifferentia hominis oculos & librũ habentis ad legendum impedita est defectu lucis, quia coniuncta est tenebris inconiungibilibus cum lectione libri. Insuper ideò humanitas Christi impedita est ad peccãdum, quia cõiuncta est vnioni hypostaticæ inconiungibili cum peccato. Præterea, ideo indifferentia nostræ voluntatis impedita 571

pedita est ad peccandum in patria, quia coniuncta est visioni beatæ inconiungibili cum peccato, idemque est de innumeris aliis: Tum ergo aliqua indifferentia est impedita ad vnam partem, quando coniuncta est cum aliquo inconiungibili cum ea parte.

572 Quarto ante omnem diuinam prædeterminantionem tam indifferens est voluntas nostra, quam iudicium: indifferentia autem voluntatis ad dissensum penitus impeditur accedente prædeterminatione ad consensum, vt sectionibus præeuntibus ostensum est: ergo & indifferentia iudicij. Probatur consequentia, ideo indifferentia voluntatis impeditur ad dissensum accedente prædeterminatione ad consensum, quia coniungitur prædeterminationi ad consensum inconiungibili cum dissensu: eidem autem coniungitur indifferentia iudicij: ergo pariter impeditur.

573 Quinto, ponamus gratiam sanctificantem esse inconiungibilem ex natura rei cum peccato, & Deum decreto absoluto efficaci & omnino antecedenti decernere eam perpetuo conseruare. Vel ergo tunc posset in homine esse iudicium indifferens ad peccandum, vel non? Si posset: ergo posset homo peccare non destruendo gratiam, atque adeo vtrumque coniungere, quod implicat facta suppositione. Si non posset tunc esse in homine iudicium indifferens, non ex alio capite, nisi quia non valeret homo destruere gratiam iustificantem inconiungibilem cum peccato: at homo decreto absoluto efficaci & omnino antecedenti prædeterminatus ad consensum non valeret destruere diuinam prædeterminationem inconiungibilem cum dissensu: ergo neque posset habere iudicium indifferens ad dissensum.

Sexto. Stante indifferentia iudicij, potest Deus negare concursum ad dissensum: imo contendo de facto illum negare in sententia aduersariorum, quia voluntatem efficacem concurrendi & prædeterminandi ad consensum comitatur voluntas efficax non concurrendi nec prædeterminandi ad dissensum; & aliunde nulla alia voluntas inefficax aut conditionata concurrendi ad dissensum admittitur à Thomistis in Deo: voluntas autem nō potest dissētire negato illi cōcursu ad dissensum: ergo stante iudicij indifferentia, stare etiam potest, voluntatem non posse dissentire. Minor certissima est, implicat enim voluntatem concurrere negato illi concursu. Maior probatur. Tunc negatur concursus à Deo ad aliquem effectum, quando Deus voluntate efficaci non vult concurrere ad talem effectum: Deus autem stante iudicio indifferenti voluntate efficaci non vult concurrere ad dissensum, quando prædeterminat ad consensum: ergo negat concursum ad dissensum. 574

Septimo, quia posse dissentire, non est cognoscere obiectum dissensus, sed posse tendere in tale obiectum per actum dissensus: voluntas autem vna cum prædeterminatione ad consensum non potest tendere in obiectum per actum dissensus, quin possit coniungere prædeterminationem ad consensum cum dissensu: id non potest, vt constat ex dictis: ergo neque dissentire etiam stante iudicio repræsentante obiectum dissensus. 575

SECTIO IV.

Effugium potentiæ remotæ dissentiendi vna cum prædeterminatione ad consensum præcluditur.

576 INnuere videntur Thomistarum aliqui sufficere ad potestatem dissentiendi potentiam remotam, quam retinet voluntas vna cum prædeterminatione ad consensum, quæ nihil est aliud, quam natiua virtus, quam secundum se habet voluntas, elicitiua dissensus, quæ non deperditur accedente prædeterminatione ad consensum. Non tribuo hoc effugium doctioribus Thomistis, qui rem bene norunt: illud præcludo, si forte aliquis huiusmodi latibulis protegi tentauerit.

577 Primo, quia si natiua virtus elicitiua dissensus sufficeret potestati dissentiendi ad libertatem requisitæ; fieret inde Christum D. & beatos esse liberos ad peccandum, & posse peccare vna cum vnione hypostatica & visione beata: id autem quam absurdum sit non est qui non videat: ergo. Sequela probatur. Ideo voluntas vna cum prædeterminatione ad consensum est libera & potens dissentire, quia retinet natiuam virtutem elicitiuam dissensus, quam secundum se habet: Christus autem & beati vna cum vnione hypostatica & visione beata retinent natiuam virtutem, quam voluntas humana secundum se habet elicitiuam peccati: ergo Christus D. & beati essent liberi & potentes peccare: ea ergo virtus, nisi vndequaque expedita sit ad dissensum, sufficiens non est potestati dissentiendi.

578 Quod multiplici exemplo facile est confirmare, nam homo compeditus retinet natiuam virtutem currendi quam secundum se habet, nec tamen vna cum compedibus liber est ad currendum, nec potens currere. Insuper clericus in sacris retinet natiuam virtutem ducendi vxorem; nec tamen vna cum ordine sacro liber est ad ineundum matrimonium, nec potens inire. Præterea homo cum oculis & libro in tenebris constitutus retinet natiuam virtutem legendi: nec tamen vna cum tenebris liber est aut potens legere: constans ergo est natiuam illam virtutem sufficientem non esse ad liberam potestatem dissentiendi.

Secundo. Quia in voluntate, etiam secundum se, nulla est potestas ad dissentiendum vna cum prædeterminatione ad consensum: ergo nec posse dissentire. Antecedens probatur, nam potestas dissentiendi vna cum prædeterminatione ad consensum, est potestas coniungendi prædeterminationem ad consensum cum dissensu: in voluntate autem, etiam secundum se nulla est potestas coniungendi prædeterminationem ad consensum cum dissensu, cum prorsus implicet ea coniunctio: ergo neque potestas dissentiendi vna cum prædeterminatione ad consensum. Maior probata à nobis est tota hac disp. Confir. in intellectu nulla est virtus, etiam secundū se, ad cognoscendum sine specie impressa; neque in voluntate ad amandum sine cognitione: neque in causa necessaria ad operādum sine approximatione: ergo neque in voluntate ad dissentiendum vna cum prædeterminatione ad consensum. Probatur consequentia: Antecedens enim notum est. Ideo in intellectu non est virtus ad cognoscendum sine specie impressa, neque in voluntate ad amandum 579

sine

sine cognitione, neque in causa necessaria ad operandū sine approximatione, quia si intellectus cognosceret sine specie impressa, aut voluntas amaret sine cognitione, vel causa necessaria operaretur sine approximatione, implicaret: etiam implicaret si vna cum prædeterminatione ad consensum voluntas dissentiret: ergo nulla est potestas in voluntate, etiam secundum se, ad dissentiendum vna cum prædeterminatione ad consensum.

SECTIO V.

Aliud effugium necessitatis consequentis concluditur.

580 Tentarunt aliqui, impotentiā dissentiendi vna cum prædeterminatione ad consensum non esse necessitatem antecedentem, sed consequētem, quæ non obstat libertati, nec potentiæ dissentiendi antecedenter. Necessitatem autem consequentem, varie explicant. Primo Aluarez de Auxiliis disp. 22. & 25. ait eam esse necessitatem consequentem, quæ subsequitur voluntatem causæ Primæ.

581 Hic tamē opinādi modus facile ruit. Tum quia nulla esset necessitas antecedens contraria libertati creatæ; cum nulla sit quæ non supponat voluntatem causæ primæ scilicet Dei. Vnde diuisio necessitatis in antecedentem & consequentem à Patribus & Theologis approbata, falsa esset. Tum etiam, quia vnio hypostatica & visio beata supponunt voluntatem causæ primæ: & tamen sunt necessitas antecedens: ergo ad necessitatem consequentem non sufficit supponere voluntatem causæ primæ. Tum denique quia necessitas antecedēs est, quæ est causa simpliciter consensus voluntatis, omnis enim causa suum antecedit effectum; consequens vero quæ subsequitur cōsensum: decretum autem prædeterminans ad consensum est causa simpliciter consensus: ergo necessitas orta ex illo est antecedens.

Confirmo primo, Ideo necessitas orta ex visione beata, vel vnione hypostatica est antecedens, quia effectus oritur ab ipsis vel tanquam à causis vel tanquam à requisitis ad vnum determinatis: consensus autem oritur a diuina prædeterminatione, seu decreto prædeterminante ad consensum tamquam à causa vel saltem tamquam requisito ad vnum determinato: ergo est necessitas antecedens. Vrgeo necessitas orta ex diuina prædeterminatione est ipsa prædeterminatio seu decretum: decretū est antecedens omnem liberā arbitrij nostri operationē: ergo & necessitas erit pariter antecedens: Cum nihil sit distinctum à decreto diuino arbitrium prædeterminante, Cōfirmo iterum, necessitas, quam ponere, vel impedire non est in manu mea est necessitas antecedens omnem meam liberam voluntatem: necessitas autem orta ex diuina prædeterminatione talis est, quam ponere vel impedire non est in manu mea, sed in solius Dei beneplacito, cuius est liberū decretū: ergo est necessitas antecedens. 582

Hic tamen non grauabor aduertere, huiusce doctrinam dare nobis, quod argumenta nostra extorquere conabantur. Nam diuina prædeterminatio inducit necessitatem effectus quem prædeterminat: ergo prædeterminatio ad consensum inducit necessitatem consensus; ergo cum prædeterminatione ad consensum non stat potestas dissentiendi. Quam consequentiam admittere adeo alienum est à Patribus Dominicanis; vt non dubitauerint suum Ma- 583

gistrum Banez eam consequentiam circa auxilium prædeterminans admittentem 1. part. quæst. 23. art. 5. ad argumentum Xauelli, & 2. 2. quæst. 10. art. 1. §. *iam vero ad obiectionem*, vnanimes deserere, docentes voluntatem vna cum auxilio prædeterminante posse dissentire iuxta Tridentinum: ergo si idem non sit respectu decreti prædeterminantis, salua non poterit consistere libertas: necessitas ergo quæ è medio tollat potestatem dissentiendi adscribenda non est decreto prædeterminanti consensum.

584 Alij ergo secundo necessitatem antecedentem explicant. Quæ scilicet voluntatem nostram determinat ad agendum per modum naturæ absque deliberatione, & cooperatione libera ipsius. Diuina autem prædeterminatio non determinat ad agendum per modum naturæ, sed cum deliberatione, & cooperatione libera voluntatis; nam determinat non solum ad substantiam actus, sed etiam ad modum libertatis.

585 Hæc tamen verba sunt. Quærimus enim quomodo possit consistere libertas cum determinatione antecedenti, quam impedire non est in nostra potestate, & ea posita non est in manu nostra dissentire illi. Respondere autem stare libertatem, quia determinat cũ deliberatione & modo libertatis est dare nobis quæstionem nouis terminis implicatam, quod vocant Summulistæ, Petere principium. Nec longè ab his distant alij respondentes, diuinam prædeterminationem non esse necessitatem antecedentem, sed consequentem, quia virtute continet consensum liberum. En quæstionem.

586 Vtramque responsionem sic vrgeo. Causa, vel requisitum, quæ antecedit omnem arbitrij operationem, estque inconiungibilis cum dissensu, & connexa cum consensu, determinat per modum naturæ sine deliberatione voluntatis, & non continens virtute consensum liberum; vt patet in visione beata, & vnione hypostatica: diuina autem prædeterminatio antecedit omnem arbitrij operationem, estque inconiungibilis cum dissensu & connexa cum consensu: ergo determinat per modum naturæ sine deliberatione voluntatis, & non continens virtute consensum liberum.

Tertiò alij, præcedentes solutiones vacuas inuenientes, docent. Necessitatem antecedentem esse illam, 587
quæ oritur ex incompossibilitate alicuius principij vel requisiti cum vno extremo libertatis: Consequentem verò, quæ oritur ex incompossibilitate actuum inter se, videlicet consensus & dissensus. Decretum autem prædeterminans, aiunt, non esse necessitatem antecedentem, sed consequentem, quia incompossibilitas vel inconiungibilitas illius cum dissensu oritur ex incompossibilitate consensus, quem essentialiter infert, cum dissensu.

In hoc placet hæc responsio, quod 588
se ipsam intelligibilem præbet, & quid sibi verba velint, non abscondit. Sed quo clarior est responsio, eo manifestius capitur argumentis nostris. Primò, quia diuina prædeterminatio ad consensum prioritate naturæ antecedit illum, fatentibus aduersariis. Vel ergo pro illo priori, vt distincta à consensu, est inconiungibilis ratione sui cum dissensu, vel non? si est inconiungibilis: ergo est necessitas antecedens, cùm sit principium ratione sui inconiungibile cum dissensu. Si non est ratione sui inconiungibilis cum dissensu: ergo pro

pro illo priori quantum est ex se, & vt distincta à consensu, potest coniungi cum dissensu: ergo nihil implicaret si actu coniungeretur. Quod si concedatur, habemus intentum, decretorum indifferentium, siue coniungibilium ex se tam cum consensu quàm dissensu.

589 Secundò, Principium essentialiter connexum cum amore, est inconiungibile cum odio, modo quo connectitur cum amore: prædeterminatio diuina ad amorem est per vos naturâ suâ, & essentialiter connexa cum amore: ergo est natura sua & essentialiter inconiungibilis cum odio. Maior patet tum in vnione hypostatica, & visione beata, quæ propter connexionem essentialem, quam natura sua habent cum amore Dei, sunt quoque ex se & natura sua inconiungibiles cum odio; tum in gratia sanctificante, quæ in sententia Thomistarum est natura sua inconiungibilis cum peccato, eo ipso quod connexa sit natura sua cum carentia peccati; tum etiam in prædeterminatione ad amorem quæ natura sua est inconiungibilis cum prædeterminatione ad odium, quia natura sua est connexa cum negatione illius; Tum insuper in lumine gloriæ, quod natura sua est inconiungibile cum peccato, quia natura sua connectitur visioni repugnanti peccato; tum præterea in habitibus virtutum; qui eo ipso, quod connexi sint cum motiuo honesto, sunt ex natura suá inconiungibiles cum motiuo turpi; tum etiam in intentione efficaci finis, quæ quia connexa est cum electione medij, natura sua est inconiungibilis cum opposito electionis, idemque est de imperio efficaci amoris respectu odij; Tum denique in præmisis, quæ eo ipso, quod connexæ sint cum conclusione inconiungibiles sunt cum opposito conclusionis: ergo ens, quodcumque illud sit, connexum natura sua cum aliquo termino, natura sua est inconiungibile cum opposito talis termini: prædeterminatio autem ad consensum est natura sua & essentialiter cum consensu: ergo & inconiungibilis cum opposito illius, scilicet dissensu.

Confirmatur. Ideo aqua natura sua est repugnans calori, & ignis frigiditati; quia aquà natura sua exigit frigiditatem oppositam calori, & ignis natura sua exigit calorem oppositum frigiditati; prædeterminatio autem ad consensum natura sua exigit consensum oppositum dissensui: ergo natura sua est repugnans dissensui, & non solum ratione termini. 590

Tertiò. Principium essentialiter connexum cum consensu, ex se & natura sua implicat esse sine consensu: ergo ex natura sua est inconiungibile cum negatione consensus: ergo est necessitas antecedens respectu negationis consensus; sicut esset necessitas antecedens respectu dissensus, si natura sua esset inconiungibilis cum dissensu. Prima consequentia probatur, quia esse sine consensu, re nihil est aliud, quam esse cum negatione consensus: ergo quod implicat ex natura sua esse sine consensu, quoque implicat ex natura sua esse cum negatione consensus: ergo ea responsio non saluat libertatem respectu negationis consensus. 591

Quartò. Si prædeterminatio ad consensum coniungeretur cum dissensu & negatione consensus, implicaret: ergo ratione sui implicat coniungi. Antecedens est aduersariorum. Consequentia probatur, quia tunc non esset consensus: ergo non implicaret ratione consensus: ergo ratione sui. 592

Nec

Nec dicas, implicare non esse consensum stante prædeterminatione ad illum. Ego enim non contendo posse esse prædeterminationem ad amorem vel consensum, & non esse consensum; sed ad manifestandum inconiungibilitatem illius prædeterminationis cum dissensu & negatione consensus, argumentor ex suppositione quantumuis impossibili, quod frequentissimum est in Scholis. Sicut ergo ad statuendam connexionem, vel inconnexionem Dei cum possibilibus argumentantur Theologi ex suppositione, quod non essent possibilia, quæ suppositio impossibilis est: ita & nos ostensuri prædeterminationem diuinam ad consensum esse ex se & natura sua inconiungibilem cum dissensu, argumentamur facta hypothesi quod coniungeretur, implicaret; non ratione amoris, qui tunc non esset; ergo ratione sui.

SECTIO VI.

Soluitur obiectio à diuina prædefinitione petita.

593 Visum est Thomistis non paucis nostra hæc argumenta contra decreta prædeterminantia instructa, aut nihil conuincere, aut deturbare decreta prædefinientia à nostris communiter admissa. Quod probant, non tam ipsi, quam ex nostris illi qui eas prædefinitiones contrarias creatæ libertati censuerunt.

594 Ita argumentantur. Ideo prædeterminatio ad consensum tollit è medio libertatem, quia est prior consensu, & inconiungibilis cum dissensu: ergo. Maior constat ex dictis. Minor probatur, quia prædefinitio est inductiua consensus & principiorum eius indifferentium ad vtramque partem: ergo est prior consensu. Aliunde est essentialiter connexa cum consensu: ergo inconiungibilis cum dissensu. Vnde creata voluntas vnà cum prædefinitione ad consensum non potest dissentire, quia posse dissentire vnà cum illa, est posse illi coniungere dissensum, vt nos dicebamus de potestate dissentiendi vna cum prædeterminatione ad consensum: sicut ergo implicat coniungere posse prædeterminationem ad consensum cum dissensu, ita & posse coniungere prædefinitionem implicabit. Cōfirmatur, quia non est in manu mea ponere vel impedire prædeterminationem ad cōsensum, & ea posita non possum illi coniungere dissensum: ergo destruitur libertas. Minor probatur, ideo in manu mea non est impedire prædeterminationem, quia est prior meo consensu, & inconiungibilis cum dissensu: prædefinitio autem est etiam prior, & inconiungibilis cum dissensu; ergo non est in manu mea eam impedire.

Ad pleniorem huius argumenti solutionem, duplex prioritas attendenda est, vna est prioritas per se, altera est prioritas per accidens. Illa igitur res est prior per se effectu, à qua pendet essentialiter effectus, ita vt, si existeret sine illa prorsus implicaret: & hoc pacto pendet consensus à prædeterminatione in sententia Thomistarum, & prædeterminatio est prior. Illa autem res est prior per accidens, à qua non pendet essentialiter effectus, nec implicaret si existeret sine illa. Quod si talis res pendeat essentialiter ab effectu, erit simul prior à quo per accidens effectu, & posterior per se natura illo; quia est principium essentialiter dependens ab effectu independente. 595

pendente. Quod planum est in actu imperante respectu imperati: actus enim imperans est prior à quo actu imperato, quia inducit illum; non tamen est prior per se, sed per accidens., quia actus imperatus potuit existere sine imperante, quod si ita extitisset nihil implicasset. Quia tamen actus imperans pendet ab imperato independente ab illo, etsi sit prior à quo per accidens, est tamen posterior per se natura. Idem dicimus de prædefinitione consensus, esse videlicet priorem à quo per accidens consensu, & posteriorem per se natura, quia pendet à consensu independente quem inducit.

596 Respondeo igitur distinguens maiorem. Ideo prædeterminatio ad consensum tollit è medio libertatem, quia est prior per se & inconiungibilis cũ dissensu, concedo: quia est prior per accidens, nego. Et distinguo minorem. Prædefinitio est prior per se consensu nego: per accidens, concedo. Et nego consequentiam. Quia prædefinitio omnino per accidens se habet respectu mei consensus, nam ego consentire possum nulla stante prædefinitione, & si actu sine illa consentirem, nihil implicaret. Quod longè aliter contingit in prædeterminatione, quæ ita per se requisita est ad operandum, vt si consentires sine illa, prorsus implicaret.

597 Ad confirmationem, concessa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem distinguo maiorem. Ideo non est in manu mea impedire prædeterminationem, quia est prior per se consensu, concedo: per accidens, nego. Similiter distinguo minorem. Prædefinitio est prior per se, nego: per accidens, concedo. Et nego consequentiã. Quia principium per accidens prius, si sit natura posterius, qualis est prædefinitio, cum sit dependens à meo consensu, potuit impediri dissensu. Sicuti possum ego actu odij impedire imperium efficax amoris; quia tale imperium quantumuis per accidens amore prius, est tamen natura posterius, & pendens à meo consensu siue amore.

Instabis. Ego non possum impedire ne fuerit prædefinitio, nisi prioritate naturæ instructus sim prærequisitis ad vtramque partem. In casu autem prædefinitionis, prioritate naturæ non sum instructus prærequisitis ad vtramque partem: ergo nec possum impedire ne fuerit prædefinitio. Maior certissima est, quia non alia ratione impedire possum ne fuerit prædefinitio, nisi libere dissentiendo, non autem possum liberè dissentire nisi instructus principiis ad vtramque partem. Minor autem probatur. Quia in casu prædefinitionis, prærequisita ad vtramque partem inducuntur à prædefinitione: ergo prioritate naturæ ante illam non possum esse instructus prærequisitis ad vtramque partem. 598

Respondeo, concessa maiori negans minorem. Ad probationem distinguo maiorem: prærequisita ad vtramque partem inducuntur à prædefinitione per accidens, concedo: per se nego. Et nego consequentiam. Quia prædefinitio est posterior prærequisitis ad vtramque partem indifferentibus, cùm sit imperium efficax eorum, dependens ab illis independentibus: vnde prærequisita ad vtrumque etiamsi per accidens inducantur à prædefinitione, prioritate naturæ antecedunt illam: inde voluntas cum illis est proximè potens dissentire, & con- 599

sequenter impedire ne vnquam fuerit prædefinitio. Quod longè aliter contingit in prædeterminatione, nam cum ista sit vnum ex prærequisitis simpliciter ad consensum, non potest esse natura posterior, omnibus prærequisitis; atque adeo nec potest supponere prioritate naturæ antecedentia omnia prærequisita ad dissentiendum, & impediendum ne fuerit prædeterminatio.

600 Instabis secundò. Prædefinitio per se inducit requisita, cum sit principium essentialiter cum illis connexum: ergo prærequisita per se inducuntur à prædefinitione. Patet consequentia, quia idem est prædefinitionem per se inducere requisita, & requisita per se induci à prædefinitione; sicut idem est amare Deum & Deum amari à me. Hæc instantia æquiuoca est: quando enim dicimus prærequisita induci per accidens à prædefinitione, non intendimus esse accidentale & contingens prædefinitioni inducere illa, essentiale enim est; at tantùm contendimus; prærequisitis aduenire contingenter & per accidens, quod prædefiniantur, siue inducantur à prædefinitione: benè enim componitur, induxionem prærequisitorum esse intrinsecam & essentialem prædefinitioni, & contingentem & accidentalem prærequisitis; sicut benè componitur, repræsentationem esse essentialem & intrinsecam cognitioni, & extrinsecam & contingentem obiecto.

601 Instabis tertiò. Si positis omnibus prærequisitis ad vtramque partem tam ex parte Dei quàm ex parte voluntatis creatæ, Deus prædeterminaret ad consensum, vel illum decerneret decreto immediatè per se ipsum applicante seorsim à requisitis, tolleret libertatem: & tamen per accidens oriretur consensus ab ea prædeterminatione, aut decreto: ergo etiamsi consensus per accidens oriatur à prædefinitione applicante ad consensum per prærequisita indifferentia, tollet libertatem; vel si non tollit, neque prædeterminatio.

Respondeo, me non componere libertatem cum prædefinitione, eo præcisè quòd prædefinitio sit principium per accidens, sed quia est principium per accidens & natura posterius prærequisitis ad vtrumque, quo pacto prioritate naturæ supponit potestatem dissentiendi & impediendi ne vnquam fuerit prædefinitio: at quæcumque prædeterminatio vel decretum seorsim à requisitis & independenter ab illis applicans ad consensum, non supponit prioritate naturæ prærequisita ad dissensum, atque adeò nec potestatem impediendi prædeterminationem, aut decretum applicans immediatè per se ipsum. Idcirco nullam admitto prædefinitionem, quæ non sit essentialiter dependens à prærequisitis ad vtrumque, & posterior natura illis. Quia aliter saluari non potest potestas impediendi principium ad vnum essentialiter determinatum, & inconiungibile cum opposito, & consequenter neque libertas. 602

SEC

SECTIO VII.

Soluitur alia obiectio desumpta à concursu gratiæ sanctificantis ad actus condignè meritorios præceptos.

603 Hæc obiectio nostra etiam est, non Thomistarum; ad cuius pleniorem difficultatem duo supponenda sunt. Primum, gratiam esse principium efficiens actus condignè meritorij inconiungibile ex natura rei cum peccato. Secundum, Deum posse præcipere homini iusto actum condignè meritorium, v. g. Charitatis. His positis, ita se habet argumentum.

604 Homo sine gratia non potest operari actum condignè meritorium præceptum: cum gratia non potest nō operari; & tamen liberè operatur: ergo licet homo sine diuina prædeterminatione non possit operari, & cum illa non possit non operari, liberè tamen operabitur. Maior videtur certa, nam actus condignè meritorius pendet essentialiter à gratia, vel saltem actio illius, cum ab illa oriatur vt supponimus, atque adeo non potest fieri sine gratia. Minor autem probatur. Quia si voluntas vnà cum gratia non operaretur actionem præceptam, coniungeret gratiam cum amissione actus præcepti, atque adeo cum peccato, quia omissio peccatum est: id implicat: ergo & posse vnà cum gratia non operari.

605 Hæc obiectio difficilis est, & in Tractatu de iustificatione & merito proprium sibi locum vendicat. Multa multi tentarunt, quæ ex professo librare non est præsentis instituti. Alij negant gratiam esse ex natura rei inconiungibilem cum peccato; alij verò, esse principium actionis condignè meritoriæ præceptæ. Quia tamen vtrumque minus conforme est iis, quæ à nostris Doctoribus perpetuo tradita sunt, nec argumentum præsens cogit ad aliquod eorum admittendum, libentes nunc admittimus suppositionem, scilicet gratiam esse ex natura rei cum peccato inconiungibilem, & & simul principium actionis condignè meritoriæ præceptæ etiam pro instanti determinato, quo pacto vrget præsens difficultas.

Suppono voluntatē dupliciter suos actus operari posse. Primò immediatè se ad eorum actiones determinando, secundò determinando, & applicando se & prærequisita per imperium efficax determinatum, & absolutum: vtrosque tamen actus, impetantes, scilicet & imperatos operatur absolutè liberè, quia necessitas actus imperati oritur ex suppositione imperantis, quæ poni tur à voluntate potente eam impedire. Hoc tamen discrimine oriuntur à voluntate actus impetrans, & imperatus, quòd prærequisita imperati applicantur, & determinantur ab imperante, prærequisita autem imperantis immediatè determinantur à voluntate. His positis, admitto libenter actionem amoris præceptam fluere quidem à gratia iustificante, determinata tamen tam ad existendum, quàm ad influendum per imperium efficax antecedēs, ad quod non concurrit gratia sanctificans, sed solum auxilium indifferens tam ad imperium amoris, quo stat gratia, eiusque influxus in amorem, quàm ad imperium odij, quo destruitur gratia, & ponitur peccatum. Hinc 606

Respondeo, concessis præmissis, scilicet voluntatem sine gratia non posse operari actionem condignè meritoriam, & cum illa non posse non operari, & tamen libere operari; ne- 607

gans consequentiam. Disparitas est latissima in casu præcepti & diuinæ prædeterminationis. Nam in casu præcepti tam existentia gratiæ quàm influxûs eius in amorem præceptum constituta sunt in manu voluntatis, prioritate naturæ indifferentis. Tum ad imperandum amorem præceptum, quo imperio determinatur gratia non solum ad existendum in instanti *A*, sed etiam ad causandum actionem amoris præceptam: Tum ad imperandum odium vel omissionem amoris, qua destruitur gratia & ponitur peccatum. At, quod sit, vel non sit prædeterminatio, non est in manu voluntatis, cum præ requisita sit ad omnem actum etiam imperantem, & ex mero Dei beneplacito donetur.

608 Instabis Primò, præceptum amoris etiam extenditur saltem indirectè ad illius imperium, quia sine illo poni non potest actio libera amoris præcepti: Vel ergo actio imperij oritur à gratia sanctificante, vel non? si non oritur: ergo imperium amoris non erit condignè meritorium. Si oritur: ergo non potest fieri sine gratia sanctificante; atque adeo neque libere. Respondeo actionem imperii non fluere à gratia sanctificante, sed à principiis indifferentibus; atque adeo ratione sui non esse condignè meritoriam, sed quatenus cum actione actus imperati constituit vnum actum moralem, sicut actus internus & externus.

609 Instabis secundò. Vel Deus potest vna cum amore præcipere mihi etiam actionem imperii fluentem à gratia sanctificante, vel non. Si potest: ergo stat libertas, etiam si actio imperij præcepta fluat à gratia, & non possit fieri sine ipsa. Si non potest: non videtur admitti à nobis casus in quo præsens difficultas agitatur, quæ stat in componẽda libertate cum præcepto cuiusuis actionis condignè meritoriæ, siue imperantis siue imperatæ à gratia sanctificante procedentis. Respondeo. Posse Deum mihi præcipere actionem imperij fluentem à gratia sanctificante, si concedat principia indifferentia ad aliud imperium reflexum; secus verò si id prohibeat. Nec id est punctum difficultatis fugere, cum componantur à nobis actio præcepta & fluens à gratia ex natura rei inconiungibili cum peccato, & creata libertas, in quo stat punctum difficultatis. Aliud enim est, An possit Deus præcipere mihi pro instanti determinato actionem amoris fluentem à gratia inconiungibili cum peccato, aliud verò, An possit præcipere omnem actionem imperij fluentem ab eadem gratia. Licet secundum negetur à nobis, conceditur primum, quo saluatur quamcumque actionem fluentem à gratia posse à Deo in indiuiduo præcipi, quia nulla est, quæ non possit imperari alia actione à gratia non fluente.

Instabis tertiò. Gratia per vos est simpliciter necessaria ad actionem condignè meritoriã præceptam: In eo autem 610
qui amittit actionẽ condignè meritoriam præceptam non præcessit prioritate naturæ gratia: ergo nec potestas ad eam actionem eliciendam; Ergo amissio illius libera non erit neque culpabilis. Respondeo concessa maiori, distinguens Minorem, non præcessit gratia culpa ipsius, in cuius manu erat imperare actionem præceptam, & habere principium ad illam necessarium, scilicet gratiam, concedo: Absque ipsius culpa, nego. Et primum consequens similiter distingue: Non præcessit potestas ad actionem cõdignè meritoriam præceptam culpa eius, qui omittit illam, concedo: sine culpa ipsius, nego. Et nego vltimam

mam consequentiam. Nam sicut omissio lectionis sacræ præceptæ libera esset & culpabilis etiam illi, qui careret luce simpliciter necessaria ad legendum, si in manu eius esset accendere lucernam: ita omissio actionis præceptæ libera est & culpabilis etiam illi qui non habet gratiam requisitam; quia in manu eius fuit illam habere.

SECTIO Vlt.

Soluitur alia obiectio desumpta ex libera adimpletione præcepti moriendi impositi Christo Domino.

611 DOcui Tractatu de Incarnatione, Christo Domino impositum fuisse strictum moriendi præceptum, & vnà cum præcepto liberè mortem subiisse. Ex quibus obiici posset ita.

612 Christus D. vnà cum præcepto moriendi non potuit non mori: & tamen liberè mortem subiit, etiamsi in manu illius non fuerit ponere vel impedire præceptum, quia impositum non fuit petente Christo, sed ex libero beneplacito Patris, quod etiam admisi: ergo quamuis voluntas vnà cum prædeterminatione ad consensum non possit dissentire, libere tamen consentiet, etiamsi in manu illius non sit ponere vel impedire prædeterminationem. Consequentia videtur omnino certa, nam integra ratio, vnde arguitur à nobis in diuina prædeterminatione præiudicium & iactura libertatis, ea est, quia posita prædeterminatione ad consensum non potest voluntas vna cum illa dissentire, & in manu illius non est eam ponere vel impedire. Maior ergo probatur. Quia si Christus vnà cum præcepto potuisset non mori, potuisset coniungere omissionem mortis cum præcepto moriendi: id non potuit: ergo. Minor probatur, quia omissio mortis stante præcepto moriendi esset peccatum: Christus non potuit peccare: ergo neque coniungere omissionem mortis cum præcepto moriendi.

Aliorum responsionibus omissis Suppono primò, præcepta verè & absolutè ligare subditos, quamuis imbibant hanc conditionalem: *Donec a Superiore dispensentur.* Res mihi est certa: nam de facto absolutè astringimur legibus & præceptis quamuis in subdito sit potestas petendi dispensationem & in superiore dispensandi. Vnde præceptum v. g. amoris eliciendi in instanti *A*, illicitam reddit omissionem amoris antecedentem & independentem à petitione & consequutione dispensationis; non verò consequentem. Nam licet posito præcepto non possis absolutè dicere absque peccato, nolo amare; potes tamen dicere, volo dispensari, & habita dispensatione, licitè dices, nolo amare. Vnde præceptum amoris solam reddit illicitam omissionem amoris antecedentem ad dispensationem, non verò consequentem. 613

Suppono secundò; in eodem instanti reali posse componi pro diuersis signis præceptum obligans ad amorem, eiusque dispensationem. Ratio est, quia præceptum est, voluntas reddens illicitam omissionem rei præceptæ quandiu non adiungatur illi voluntas dispensandi: Dispensatio vero est, voluntas reddens licitam omissionem rei præceptæ subsequentē ipsam: voluntas autē volens illicitam omissionem antecedētem & indepen 614

independentem à noua Superioris voluntate; & voluntas volens omissionem subsequentem, & ab ipsa dependentem, licitam, non opponuntur inter se: sicut neque opponuntur, omissionem actus præcepti antecedenter ad dispensationem esse peccatum, & consequenter non se. His positis.

615 Respondeo. Negans maiorem, quia Christus vnà cum præcepto moriendi potuit petere dispensationem, eamque obtinere, iuxta illud Matth. 16. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones Angelorum?* Et dispensatione obtenta potuit non mori. Ad probationem, concessa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem distinguo maiorem, omissio mortis antecedens dispensationem est peccatum, concedo: subsequens, nego. Et concessa minori, nego consequentiam. Hinc clarissima apparet disparitas inter diuinam prædeterminationem, & præceptum moriendi impositum Christo: nam homo vnà cum prædeterminatione non potest euadere illius efficaciam; Christus verò vnà cum præcepto potuit euadere, media dispensatione, illius obligationem.

616 Instabis primò. Præceptum conditionatum non obligat ante positionem conditionis, sicut nec promissio aut contractus conditionati: præceptum autem moriendi impositū Christo fuit conditionatum, videlicet nisi petatur & obtineatur dispensatio: ergo non obligauit antequam intelligeretur Christus nolens petere dispensationem: ergo pro priori naturæ, quo præceptum antecessit voluntatem liberam Christi tam petendi quàm non petendi dispensationem, nulla fuit obligatio moriendi. Vnde fieret primò, petente Christo & obtinente dispensationem, nullam præcessisse obligationem moriendi; quia hæc ad sui existentiam essentialiter exigeret positionem conditionis, scilicet nolitionem dispensationis, quæ petita & obtenta dispensatione non esset, & consequenter neque obligatio. Secundo fieret, inanem futuram dispensationem, Christo illam petente, quia petita & obtenta dispensatione nullum esset, nec fuisset præceptum aut obligatio moriendi; frustranea ergo esset dispensatio.

Hæc instantia turbauit multos, qui naturam illius conditionis, *donec dispenseris*, imbibitam in præceptis, sinistrè intellexerunt. Illa enim conditio non est suspensiua obligationis, sed, vt ita dicam, euasiua illius. Etenim de facto stat obligatio & præceptum de non contrahendo matrimonio in gradibus prohibitis, donec dispenseris: nec tamen ea conditio suspendit obligationem. Quod longe aliter contingit in conditione suspensiua significata particula *si*, nam præceptum sub hac conditione non obligat ante illius positionem; sicut nec contractus, aut promissio sub eadem conditione: vnde sicut promissio centum si nauis venerit, non obligat ante aduentum nauis; ita nec præceptum nauigandi Romam, si nauis stet in portu, obligat non stante naui. 617

Respondeo igitur distinguens maiorem. Præceptum conditionatum conditione suspensiua non obligat ante positionem conditionis, concedo: præceptum conditionatum conditione euasiua obligationis, nego. Et distinguo minorem, præceptum moriendi Christo impositum fuit conditionatum conditione suspensiua, nego: euasiua obligationis, concedo. 618

cedo. Et nego consequentiam.

619 Instabis secundò, dispensatio est conditio, vt non obliget præceptum, siue vt licitè omitti possit res præcepta: ergo carentia dispensationis erit conditio, vt obliget præceptum, & ne licitè omitti possit res præcepta. Respondeo, dispensationem non esse conditionem, vt non obliget præceptum; nam præceptum semper obligat, ne antecedenter ad dispensationem omittatur res præcepta, quæ obligatio nec cessat nec tollitur dispensatione, sed euaditur, constituendo nouum statum, in quo res præcepta, quæ antecedenter ad dispensationem licitè omitti non poterat, consequenter ad illam licitè omitti possit.

620 Instabis tertiò contra suppositionem secundam, in qua diximus, posse pro eodem instanti reali componi preceptum & dispensationem illius. Nã præceptum ponit obligationem pro instanti *A*, v.g. dispensatio verò tollit obligationem in eodem instanti: in vno autem & eodem instanti non potest poni obligatio, & tolli; aliter esset, & non esset: ergo neque poterunt pro vno & eodem instanti componi simul præceptum eiusque dispensatio, cùm titulo oppositionis contradictoriæ nõ possit res simul esse, & non esse. Respondeo, præceptum ponere quidem obligationem, ne omittatur res præcepta antecedenter ad dispensationem, quæ obligatio manet toto instanti reali; dispensatio verò nec tollit, nec aufert eam obligationem, sed illi coniuncta, vt nuper dicebamus, constituit nouum statum, in quo omissio, quæ antecedenter semper illicita est, consequenter licitè poni valeat. Vnde non sequitur eandem obligationem poni, & destrui; aut esse, & non esse; sed euadi dispensatione.

Instabis quartò. Obligatio præcepti non euaditur sola petitione dispensationis, sed consequutione illius: hæc autem impossibilis fuit Christo de facto: ergo & obligationem euadere. Minor probatur, quia de facto extitit in Patre voluntas efficax non dispensandi: cum ea autem voluntate implicat dispensatio: ergo. Respondeo, concessa maiori negans minorem. Ad probationem distinguo maiorem; de facto extitit in Patre voluntas efficax non dispensandi antecedenter ad voluntatem Christi, qua noluit petere dispensationem, nego; imò fuit voluntas conditionata concedendi si peteret, vt ex Matthæo expendebamus num.... consequenter ad nolitionem petendi dispensationem, concedo. Et nego consequentiam. Quia Deum velle antecedenter concedere disputationem si petatur; & nolle eam ponere ex suppositione quòd non petatur, non impedit potuisse Christum eam petere, & obtinere. 621



DISPVTATIO XI.

Cum decreto prædeterminanti ostenditur, neque stare auxilium sufficiens, neque vota, iuramenta & contractus, neque graues aut leues tentationes.

Vtrique disputantes constanter admittunt diuisionem gratiæ auxiliantis, insufficientem, & efficacem. Sufficiens est, qua potest 622

poteſt voluntas operari , actu tamen non operatur. Efficax verò eſt , qua voluntas & poteſt , & actu operatur. Vtraque igitur ſententia contendit, prædictam diuiſionem ab oppoſita deſtrui. Thomiſtica enim exiſtimat noſtram ſententiam deſtruere gratiam efficacem : noſtra autem exiſtimat ſententiam contrariam deſtruere gratiam ſufficientem: intentum noſtrum priùs probabimus , & deinde obiectionibus occurremus.

SECTIO I.

Cum decreto prædeterminante non ſtat auxilium ſufficiens.

623 ITa argumentor. Auxilium ſufficiẽs eſt illud , quo voluntas poteſt, actu tamen non operatur : atqui admiſſo decreto prædeterminante neceſſaria ad actu operari , non datur auxilium, quo voluntas poſſit, actu tamen non operatur : ergo neque dabitur auxilium ſufficiens. Maior eſt definitio auxilij ſufficientis, ab omnibus Theologis probata , etiam aduerſariis : Ad minoris clariorem probationem ſupponamus , Deum ſuo decreto efficaci prædeterminaſſe voluntatem ad peccatum, & illam eſſe peccaturam. Iam minor illa probatur , primò ad hominem contra aduerſarios, ex S. Thoma , qui 1. 2. quæſt. 9. articul. 6. ad 3. ait : *Sine hac eſſentiali motione homo nequit aliquid velle.* Et ibidem quæſt. 109. art. 1. corpore. *Quantumcumque natura aliqua corporalis , vel ſpiritualis ponatur perfecta, non poteſt in ſuum actum prodire , niſi moueatur à Deo.* Et art. 4. corpore. : *nulla res creata poteſt in quemcumque actum prodire, niſi virtute motionis diuinæ.* His autem teſtimoniis probant Patres Dominicani ſuum decretum prædeterminans: ergo homo ſine prædeterminatione, ad amorem verbi g. non poteſt amare Deum : ergo neque habet auxilium ſufficiens ; aliter poſſet amare Deum, ſiquidem auxilium ſufficiens dat poſſe , quamuis non det actu operari.

Probatur ſecundò eadem minor : 624
Homo ſine prædeterminatione diuina habet auxilium ſufficiens , aliter non poſſet adimplere præcepta : at ſi decretum prædeterminans eſſet neceſſarium ad actualem adimplectionem præcepti , non poſſet homo ſine illo adimplere præceptum : ergo neque haberet auxilium ſufficiens. Minor probatur, quia ſi homo adimpleret præceptum ſine decreto diuino prædeterminante , implicaret per vos : ergo ſine illo non poteſt adimplere. Probatur conſequentia , quia ad id quod implicat non datur poſſe : ſed implicat per vos adimpletio præcepti ſine decreto prædeterminante : ergo ſine illo non datur poſſe adimplere. 625

Tertiò. Præcepto adſtringimur ad actualem illius adimpletionem : ergo qui non habet neceſſaria ad actualem adimpletionem , non poteſt eſſe reus præcepti : ſed decretum prædeterminans eſt per vos neceſſarium ad actualem adimpletionem præcepti : ergo ſecluſo decreto prædeterminante non poteſt quis reus eſſe præcepti : ſed dum homo peccat non eſt decretum prædeterminans actualem adimpletionem præcepti : ergo neque poterit reus eſſe præcepti , atque adeò tranſgreſſio præcepti nõ poterit in pœnam imputari. Primum antecedens eſt certiſſimum , nam ſola actuali adimpletione ſatisfit præcepto , & ſola omiſſione

sione actualis adimpletionis transgreditur. Prima consequentia probatur, quia qui non habet necessaria ad actualem adimpletionem præcepti, iustè, & rationabiliter excusatur ab illius adimpletione: sic qui non habet pecuniam necessariam ad actualem restitutionem, iustè, & prudenter excusatur ab obligatione restituēdi, nec peccat non restituens. Insuper, qui non habet copiam Confessarij necessariam ad actualem adimpletionem præcepti annuæ confessionis, iustè excusatur ab obligatione confitendi, nec peccat omittens confessionem, quamdiu non est copia Confessarij: ergo similiter excusandus erit ab obligatione actualis adimpletionis præcepti, qui non habet ab illam necessaria.

626 Quartò. Astrictus ad actualē præcepti adimpletionem sic præuenitur à Deo sufficientibus ad illam, vt non stet per Deum defectus adimpletionis, neque per ipsum absit bona operatio, iuxta illud Ecclesiastici 15. *Ne dixeris, per Deum abest*: si autem decretum prædeterminans necessarium esset ad actualem præcepti adimpletionem, per Deum staret defectus operis præcepti: ergo, Decretum prædeterminans non est necessarium ad actualem præcepti adimpletionem. Maior, & consequentia à viro Theologo negari non possunt. Probatur minor. Stat per Deum defectus decreti prædeterminantis necessarij ad actualem operationem præceptam: siquidem existentia, & defectus talis decreti non pendet à libito voluntatis, sed à solo Deo: ergo stat per Deum defectus operationis præceptæ. Probatur consequentia. Defectus decreti prædeterminantis est connexus essentialiter cum defectu operationis præceptæ, nam implicat cum defectu talis decreti componi operationē præceptam: at per quem stat defectus principij connexus essentialiter cum defectu operis, stat etiam defectus operis; nam per ipsum stat, quòd detur connexio essentialis cum defectu operis: per quem autem stat connexio essentialis cum defectu operis, etiam stat defectus operis, sic defectus lucis stat per eum, per quem stat defectus solis; & defectus operis, per quem stat defectus actionis ad opus.

Confirmatur. Demus, actum præceptum fieri per actionem distinctam ab actu, vt plerique tuentur: Planè si per Deum staret defectus talis actionis, etiam staret per Deum defectus talis actus, quamuis actio non pertineat ad posse, sed ad actualiter agere voluntatis, quia defectus talis actionis essentialiter connexus est cum defectu talis actus: at tam essentialiter est connexus defectus decreti prædeterminantis actionem illam cum defectu talis actionis, quàm defectus talis actionis, cum defectu talis actus: ergo si per Deum staret defectus decreti prædeterminantis, etiam staret per ipsum defectus actionis, quamuis decretum prædeterminans pertineat ad actualiter agere voluntatis. Vlterius vrgeo. Per Deum stat quod non existat actio diuinæ prædeterminationis in opus præceptum, quia stat per ipsum, quod non existat prædeterminatio diuina, siue decretum actualiter agens opus præceptum: ergo per ipsum stat, quod non existat actio voluntatis in opus præceptum. Nam actio voluntatis indiuisa est, imo eadem realiter cum actione decreti prædeterminantis. 627

Confirmatur iterum, & probo ita stare per Deum defectum operis præcepti, 628

Z

cepti, vt non ſtet per voluntatem creatam talis defectus. Nam per voluntatē creatam non ſtat defectus antecedens decreti prædeterminantis neceſſarii ad opus præceptum: poſito autem tali defectu antecedenti decreti prædeterminantis, ſeu in ſenſu compoſito illius, non ſtat vitio voluntatis defectus operis præcepti; cum non poſſit componere opus præceptum cum defectu diuinæ prædeterminationis: ergo non ſtat vitio voluntatis defectus operis præcepti. Etenim non eſt vitium voluntatis, quod defectus operis præcepti exiſtat compoſitus cum defectu diuinæ prædeterminationis, quia opus præceptum non poteſt componi cum tali defectu, neque eſt eius vitium, quod defectus operis præcepti exiſtat diuiſus à diuina prædeterminatione, quia non eſt in eius poteſtate exiſtentia decreti prædeterminantis, cum qua opus præceptum exiſtat præceptum. Qua igitur ratione ſtabit vitio voluntatis defectus operis præcepti? quandoquidem requiſita neceſſaria non habet, neque vt agat opus præceptum compoſitum cum decreto prædeterminanti, neque ab eo diuiſum.

629 Vrgeo: tunc ſtat per voluntatem defectus operis, quando ad exiſtentiam operis tantum deſideratur velle voluntatis: at deficiente decreto prædeterminanti non deſideratur ad exiſtentiam operis ſolum velle voluntatis, ſed etiam exiſtentia diuinæ prædeterminationis independens à libito voluntatis: ergo tunc non ſtat per voluntatem defectus operis. Rurſus, defectus operis non eſt à voluntate, quando deficit aliquid propriè requiſitum ad opus, quia eius defectus eſt cauſa adæquata defectus operis, ſicut defectus combuſtionis in igne Babilonico non fuit ab igne, ſed à Deo, à quo fuit defectus concurſus generalis, & decretij prædeterminantis ad comburendum: ergo cum defectu decreti prædeterminantis, non erit à voluntate defectus operis. Vnde mirari non eſt quod refert Ledeſma *de auxiliis art. 14. in vltima probatione concluſionis*; Hoc argumento Fr. Ioannem Vincentium inter Dominicanos illuſtrem Theologum, & inter Salmanticences Magiſtrum ſapientiſſimum, adductum fuiſſe, vt à ſuis recederet, & cum noſtris Theologis prædeterminationes ad agendum neceſſarias aſpernaretur.

SECTIO II.

Reſponſiones aduerſariorum præcluduntur.

Primò reſpondent cum Aluarez de Auxilis diſp. 18. num. 20. & diſp. 22. num 23. & diſp. 23. num. 30. Voluntatem ſecluſa diuina prædeterminatione habere neceſſaria ad poſſe, quamuis non habeat neceſſaria ad actu adimplere præcepta: nam diuina prædeterminatio non eſt neceſſaria ad poſſe, ſed ad actu adimplere præcepta; atque adeo ſine diuina prædeterminatione datur auxilium ſufficiens. Quod duplici exemplo confirmant. Primum, quia licet albedo ſit neceſſaria, vt homo actu ſit albus, tamen non eſt neceſſaria, vt poſſit eſſe albus: Secundum, quia licet lux neceſſaria ſit, vt homo actu videat; non tamen eſt neceſſaria, vt poſſit abſolutè videre. 630

Hæc tamen reſponſio à noſtris argumentis præoccupata iam eſt, vtique probantibus non poſſe arbitrium abſque decreto prædeterminanti operari 631

rari: In ea tamen hoc maxime vrger, eum scilicet, qui reus est transgressionis præcepti, non habere sufficientiam de actualem præceptorum adimpletioné. Incredibile enim videtur Deum non tribuere sufficientiam ad agendum quod præcipit: & obligare hominem ad id, ad quod vires sufficientes non habet: Præcipit autem Deus actualem præceptorum adimpletionem, ad eamque hominem obligat: ergo tribuit sufficientia ad illam. Quod si prædictum auxilium non sufficit ad velle, sed rantùm posse, atque adeo non erit illi vitio vertendum, quod non conuertatur, neque exequatur opera præcepta.

632 Nec satisfacit responsio tertio, & quarto argumento, eiusque confirmationibus. Etenim quamuis prædeterminatio diuina non spectaret ad velle, sed ad posse, tamen vt defectus actualis operationis staret per voluntatem, deberet diuina prædeterminatio constitui in potestate voluntatis, aliàs defectus actualis operationis illi vitio verti non posset: vt conuincit exemplum actionis: quamuis enim actio distincta ab actu pertineat tantum ad actu agere, si tamen ea actio non ita esset in potestate voluntatis, vt per ipsam staret defectus actionis, neque posset stare per eandem voluntatem defectus ipsius actus: ergo cum defectus prædeterminationis non stet per voluntatem, neque defectus actus per ipsam stabit.

633 Verum ad clariorem nostræ doctrinæ veritatem, illam exemplis ab ipso Aluarez adductis illustremus: Non potest stare per me, quod non sim albus, aut quòd non videam albedinem, si per me non stet quòd non sit albedo necessaria, vt sim albus, aut quod non sit lux necessaria, vt actu videam, neque enim stat per Æthiopem quod albus non sit; neque per me stat quod media noctis caligine, non distinguam obiecta, quamuis albedo, & lux in sententia Aluarez non sint necessaria ad posse, sed ad esse: ergo neque stabit per me, quod actu nō adimpleam præceptum, si non stat per me, quod non sit decretum prædeterminans necessarium ad actu adimplere præceptum, quamuis non esset necessarium ad posse. Confirmatur: Non potest stare per me defectus auditionis Sacri, aut confessionis, nisi per me stet Sacerdotem non actu celebrare, aut absoluere, aliter amissio Sacri staret vitio populi, nolente Parocho celebrare, neque absoluere, quod dici non potest: ergo neque poterit per me stet defectus operis præcepti, nisi per me staret defectus decreti prædetermiuantis, simpliciter requisiti ad exequutionem operis præcepti.

Et ratio à priori est; quia aliud est rem esse absolutè possibilem, aliud est rem esse mihi possibilem, seu mea potestate, & arbitrio possibilem: potest quidem res esse absolutè possibilis, quamuis non sit in mea potestate, & arbitrio aliquid necessarium ad esse rei, dum illud sit in potestate & arbitrio Dei, aut alterius causæ: at verò non potest esse mihi possibilis, seu in mea potestate, & arbitrio, si necessaria ad existentiam rei in mea potestate, & arbitrio non sunt, vt superiora demonstrant; nam rem esse possibilem complectitur essentialiter esse possibile quidquid est necessarium ad existentiam illius: ergo rem esse mihi possibilem, seu in mea potestate, & arbitrio possibilem, essentialiter complectitur, esse mihi possibile quidquid est necessarium ad existentiam rei: Eadem enim quæ importat 634

possibilitas absoluta rei, importat possibilitas illius mihi comparata: ergo dum non est in meo arbitrio, & potestate possibilis diuina prædeterminatio, non est possibilis meo arbitrio seu potestate actus.

635 Rem totam hoc argumento colligo. Tunc defectus alicuius operis stat per aliquem, quando per ipsum stat defectus rei simpliciter ad opus requisitæ, vt superiora exempla demonstrant: non autem stat per me defectus diuinæ prædeterminationis simpliciter ad opus requisitæ: ergo neque stabit per me defectus operis; atque adeo omissio præceptorum operum non erit homini ad pœnam imputanda, cum per ipsum non stet defectus requisiti simpliciter ad opus.

636 Secundò respondent cum eodem Aluarez disp. 79. num. 2. & 3. Hominem transgredientem præceptum habere auxilium incompletè sufficiens, non verò sufficiens completè, quia diuina prædeterminatio non requiritur ad posse completum, cum sit complementum potentiæ. Auxilium autem incompletè sufficiens, aiunt esse absolute sufficiens, nam vt causa sit sufficiens producere effectũ, sat est adesse virtutem actiuam effectus, quamuis desit aliqua conditio, seu applicatio ad agendum requisita. Nam potentia visiua est sufficiens ad videndum, quamuis absit lux, quæ est conditio necessaria ad videndum actu.

637 Hæc tamen responsio solis verbis à præcedente secernitur, quare eisdem iaculis ferienda est. Primò, quia non potest per me stare defectus operis, quin per me stet defectus complementi, seu requisiti, aut applicationis simpliciter ad opus: per me autem stare non potest defectus talis complementi applicationis, aut requisiti: ergo neque defectus operis. Minor est aduersariorum. Maior constat ex dictis. Quis enim prudens imputabit mihi, quod non videam sine luce, quæ non est in mea potestate? aut quare nequior erit homo non videns, quia ei substrahitur lux, quàm homo non videns, quia ei eripiuntur oculi, vel nubecula impediuntur: si vtrumque necessarium est ad videndum, & neutrum est in hominis potestate.

Confirmatur. Finge Principem præcipientem seruo accensam facem manu tenenti Valentiæ existenti, vt stans Valentiæ comburat papyrum Romæ existentem: & aliunde seuerè supplicia minantem, si non comburat. Quis non rideret principem ita præcipientem, & contra illius crudelitatem non sæuiret? idem autem contingeret Deo in sententia aduersariorum: ergo. Minor probatur, quia illi seruo sola deesset applicatio, requisitum, aut complementum simpliciter ad comburendam papyrum, quæ est conditio supponens adæquatam facis accensæ virtutem actiuam comburendi: sed tamen quia Princeps præciperet seruo comburere papyrum prohibita approximatione, seu complemento, irridendus, & iniquus censeretur: ergo cum Deus præcipiat adimpletionem præcepti, prohibens aliunde diuinam prædeterminationem, seu applicationem, aut complementum, simpliciter requisitum, non minus quam approximatio illa ad comburendum, irridendus, & iniquus esset. 638

Finge secundò, Principem ita cùm seruo paciscentem. Si media nocte hunc librum legeris, libertate donaberis, sin minus, morieris. Huiusmodi Princeps iniquus esset, præcipiens seruo legere librum sine luce, 639

quæ

quæ solum est conditio ad legendum, si in mediis tenebris lucernam accendere non esset in potestate serui, sed in solius Domini beneplacito, & eam dum præcipit, prohiberet, & negaret: ergo iniquus esset Deus, si mihi præciperet actualem præceptorum obedientiam sine diuina prædeterminatione simpliciter requisita, & in solius Dei beneplacito constituta. Insuper ad cælum digito pertingendum sola deest nobis applicatio, seu complementum virtutis tangendi: & tamen Deus iniquus esset, si præciperet mihi digito pertingere cælum, prohibita aliunde approximatione, seu complemento in solius Dei beneplacito constituto: ergo similiter esset Deus iniquus, si prohibita applicatione, seu complemento prædeterminationis, quæ non est in mea potestate, præciperet mihi actualem præceptorum obedientiam.

640 Secundò, Deus præcipit actualem adimpletionem præceptorum, & aliunde negat diuinam prædeterminationem: implicat autem actualis adimpletio mandatorum vnà cum negatione prædeterminationis: ergo Deus præcipit mihi rem impossibilem. Qua ergo lege tenebimur obedire Deo præcipienti res non minus implicantes, quàm Chymæra? Et vnde poterit Deus sufficientiam conferre ad effectus implicantes, quos nec ipse efficere valet?

641 Tertiò, nullus potest proxime, & completè obligari ad id, ad quod non est proximè, & completè potens: arbitrium autem sine diuina prædeterminatione non est proxime completè potens ad actualem præceptorum obedientiam: ergo neque poterit ad illam proxime, & completè obligare. Maior est certa, quia sicut obligatio remota, & incompleta supponit potentiam remotam, & incompletam, ita proxima, & completa supponit potentiam proximam, & completam. Minor autem est aduersariorum, & consequentia clara. Ex qua iterum infero, hominem sine diuina prædeterminatione operis præcepti excusandum esse ab omni obligatione præcepti, quia potestas remota, siue impedita excusat à peccato, vt patet in homine impedito ad soluendum votum.

Confirmatur, homo in carcerem 642
detrusus, retinet adæquatam potentiam audiendi Sacrum: sed tamen quia prohibetur illi approximatio, seu complementum, quod non est in eius potestate, excusatur à peccato, non assistens Missæ: ergo quamuis homo retineat adæquatam potentiam adimplendi præcepta, si tamen illi prohibeatur applicatio seu complementum, excusabitur à peccato, quamdiu in eius potestate constitutum non sit: Firmat Augustinus de natura & gratia cap. 26. his verbis: *Oculus corporis etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adiutus, non potest cernere.* Ergo neque homo sine diuina prædeterminatione poterit adimplere præcepta. Consequentia est clara, nam sicut lux est conditio, seu complementum virtutis, ita diuina prædeterminatio.

Respondent tertio. Per hominem 643
stare defectũ operis præcepti, quia per ipsum stat defectus prædeterminationis, quia Deo illam offerente homo suis peccatis illam impedit: sicut statet per hominem non volare, si Deo offerente alas, illas homo respueret. Hæc tamen solutio contraria omnino est iis, quæ frequenter de prædeterminatione Thomistæ docuerunt. Eam scilicet ex solo Dei beneplacito pendere, & non esse quærendam ratio-

nem, cur his detur, & negetur illis: Quibus plena sūt Thomistarum scripta. Deinde displicet primò, quia ante primum peccatum hominis, & Angelorum, nullum præcessit peccatum, quo impediretur prædeterminatio ad obseruantiam mandatorum: ergo per eos transgressores præcepti non stetit defectus diuinæ prædeterminationis.

644 Neque satisfacies, dicens stetisse per illos, quia non se disposuerunt ad impetrandam talem prædeterminationem; non inquam, satisfacies, quia ad dispositionem impetratoriam diuinæ prædeterminationis necessaria fuit noua prædeterminatio; aliter Deus non fuisset causa prima illius, si ponererur, & Deus non prædeterminaret. Vel ergo illa prior prædeterminatio deficit absque culpa hominis, vel non? si deficit absque culpa hominis, etiam dispositio absque culpa deficit, & consequenter obseruantia mandatorom. Si verò defectus talis prædeterminationis est homini culpabilis, ideo est, quia ad eam prædeterminationem vitio hominis deficit eius dispositio. Vel ergo ad istam secundam dispositionem necessaria est prædeterminatio; aut non? si necessaria est, idem instauratur argumentum; nam vel deficit absque culpa hominis, aut non? si primum: ergo absque culpa etiam deficit dispositio, & consequenter opus præceptum. Si secundum: ergo ad eam determinationem deficit dispositio nullam prærequirens diuinam prædeterminationem. Quo vel habemus intentum, scilicet primum actum liberum esse à voluntate sine prædeterminatione; vel abeundum est in infinitas dispositiones, quod absurdissimum est.

645 Secundò, quia exemplum alarum ineptum est ad præsens institutum, tum quia alæ ad volandum offeruntur infallibiliter tribuendæ acceptationi antecedenti, & independenti ab elargitione alarum absoluta: nulla autem est operatio antecedens hominis, cui infallibiliter subsequatur prædeterminatio, aliter prima operatio nostra esset, & non determinantis Dei: Tum etiam, quia alæ non sunt necessariæ ad acceptandum alas, sed ad volandum: prædeterminatio autem non solum est necessaria ad obseruantiam præcepti, sed etiam ad omnem aliam dispositionem antecedentem. Quod si alæ essent necessariæ etiam ad acceptandum alas, non staret per hominem non volare, neque acceptare, quandiu Deus non præuenitet homini alas: ergo non stabit per hominem non obedire præceptis, nec ad illud se disponere, quandiu non prouideat Deus prædeterminationem.

SECTIO III.

Soluuntur obiectiones.

Obiicies primò. Nostrum argumentum obiectum fuisse à Pelagianis contra sanctum Augustinum. 646
Nam vt refert lib. 2. retractationum cap. 67. ideo scripsit librum de correptione, & gratia, quia erant qui obiicerent: si obedientia præceptorum à Deo est, neminem corripiendum, cum Dei præcepta non seruat, sed pro illo tantummodo orandum, vt Deus obedientiam donet. Falsum esse antecedens ostendimus disp. 7. num... & facile deprehendet, qui attentè legerit Augustinum *de correptione & gratia*, vbi totus incumbit in propugnanda necessitate gratiæ contra Pelagianos;

lagianos; qui malè supponentes, non semper nobis assistentem, & promptam esse obseruantiam mandatorum; obiiciebant Augustino, corripiendos non esse homines qui præcepta non seruarent, quippe destituti gratia simpliciter ad obediendum, iuxta Augustinum necessaria. Quibus respondet Augustinus *de correptione, & gratia* corripiendos quidem esse, quia cum gratia Dei semper assistat & prompta sit, poterant obedire si vellent. Vide ergo quantum cahos sit inter nostrum, & Pelagianorum argumentum.

647 Obiicies secundò. Eodem argumento nos etiam premi, quia iuxta nostram sententiam implicat existere consensum absque gratia efficaci: & tamen, qui illam non habet, sed solam sufficientem, non excusatur à peccato, quamuis non sit in eius potestate habere gratiam efficacem: ergo similiter neque erit excusandus à peccato, qui sine gratia prædeterminante præcepta non seruat.

648 Hæc tamen instantia in doctrina nostra versata non est. Etenim quamuis non sit in mea potestate, quòd Deus conferat gratiam illam, ex qua præuidet futuram obedientiam mandatorum, præ alia, ex qua præuidet non futuram; tamen quamlibet illarum semel concessam reddi efficacem, vel inefficacem, est in manu mea dependenter à gratia; atque adeo imputandum mihi est, gratiam manere otiosam, & inefficacem. Efficacia autem diuinæ prædeterminationis in opposita sententia est omnino antecedens, & in solius Dei beneplacito constituta; vnde obiicitur à nobis excusatio præceptorum.

649 Obiicies tertiò. In nostra sententia non posse stare diuisionem auxilij efficacis à sufficienti; nam idem omnino auxilium modò est efficax, modò inefficax, siue sufficiens: & idem quod in vno est efficax, in altero est tantum sufficiens. Respondeo, auxilium sufficiens bifariam considerari posse. Primò prout dat simpliciter posse; & hac ratione non differt ab efficaci, nam etiam auxilium efficax dat posse; sed est quid commune tam auxilio sufficienti quàm efficaci. Secundò, quatenus importat negationem consensus; qua ratione dicitur merè sufficiens, & distinguitur ab efficaci: nam auxilium efficax est entitas gratiæ simul, & consensus: auxilium verò merè sufficiens est entitas gratiæ simul, & negatio consensus, quæ duo coniuncta realiter distinguuntur, & consequenter auxilium efficax & purè sufficiens.

SECTIO IV.

Cum Scientia conditionatorum in decreto prædeterminante ostenditur non stare vota, neque contractus, aut iuramenta.

ITa argumentor. Vouens se obligat ad seruandam actu verbi g. castitatem. Admisso autem decreto prædeterminante necessario ad actu seruandam castitatem, non potest consistere vouentis obligatio: ergo. Maior certa est, & consequentia legitima. Minor probatur, quia in sententia Thomistarum vouens vno ex quatuor modis posset votū nūcupare: primò, volens se obligare ad habendā prædeterminationē, cūq; seruare castitatem. Secundò, volens se obligare ad seruandam castitatem etiam sine prædeterminatione. Tertiò, volens se obligare 650

obligare ad seruandam castitatem, si detur prædeterminatio. Quartò volens se obligare siue detur, siue non detur. Nullo autem ex his modis posse consistere obligationem vouentis, distributiuè per partes ostenditur.

651 Imprimis non stare obligationem seruandæ castitatis in homine se obligante ad habendam prædeterminationem seu decretum prædeterminans. Probatur, quia prædeterminatio ad seruādam castitatem non est in hominis potestate, sed in solius Dei beneplacito: ergo homo non potest se obligare ad habendam illam. Patet consequentia, quia stulta esset obligatio ad præstandum, quod non est in mea potestate: sic stultus esset, qui se obligaret ad miracula patranda, quæ non sunt in eius potestate: idem est de prædeterminatione ad seruandam castitatem: ergo stulta erit obligatio, ad illam obtinendam.

652 Confirmatur. stultum esset votum, quo quis, terrâ arescente præ siccitate, se obligaret ad eleuandas nubes, & pluuiam demittendam, quia neutrum est in eius potestate: ergo cum diuina prædeterminatio non sit in hominis potestate, stulta erit obligatio ad illam habendam. Sicut stultum esset votum de habenda approximatione ad cœlum digito pertingendum, quia talis approximatio ex solius Dei beneplacito dependet. Idem argumentum militat pro cōtractibus, nam prædeterminatio, ad eorum impletionem simpliciter requisita, non est in hominis potestate: contractus autem, quo quis se obligat ad id, quod non est in eius potestate, nullus est; vt habetur *instituta de inutilibus stipulationibus* §. *Item contra.* vbi ait Iustinianus: *Quæ enim naturâ suâ Dominio nostro exempta sunt, in obligationem deduci nullo modo possunt.*

Præterea neque stare obligationem seruandæ castitatis in homine se obligante ad actu illam seruandam absque prædeterminatione, videtur euidens. Nam obligatio ad rem implicantem, & impossibilem fatua omnino est: talis autem esset obligatio illa: ergo. Minor probatur, quia fatentibus aduersariis implicat hominem actu seruare castitatem, & Deum illam non prædeterminare: ergo se obligare ad actu seruandam castitatem sine prædeterminatione ad illam, aliud non est, quàm se obligare ad rem implicantem, & impossibilem ponendam à parte rei. Confirmatur. Si quis se obligaret ad videndam imaginem Crucifixi sine luce, non teneret votum, quandiu lux non esset in vouentis potestate, quia implicat videre sine luce, quamuis ista solùm sit requisitum ad actu videndum, iuxta doctrinam plurium aduersariorum: non minus autem implicat seruare castitatem, sine prædeterminatione ad illam: ergo non stabit votum de seruanda castitate sine prædeterminatione ad illam. Idem cum proportione instruendum est argumentum pro contractibus, & iuramentis. 653

Rursus, neque stare votum seruandæ castitatis in homine se obligante ad actu illam seruandam, si detur prædeterminatio, probatur. Quia huiusmodi votum est conditionatum, cuius obligatio non stat deficiente conditione: ergo si quis voueret, & Deus illum non prædeterminaret, nulla staret obligatio voti: ergo neque peccaret contra illud: imo si ita intelligenda sunt vota, numquam homines contra illa peccarent; quia tantum se obligassent ad seruandam castitatem stante prædeterminatione: ergo non stante, nulla esset obligatio voti: sed quoties homines vota transgrediuntur, 654

grediuntur,

grediuntnr, non stat prædeterminatio: ergo neque obligatio voti: ergo neque peccatum contra votum, quod dici non potest: ergo votum castitatis sub ea conditione nuncupatum nullum esset. Quod autem vota, & contractus in opposita sentẽtia intelligenda sint sub conditione prædeterminationis diuinæ, saltem quoad obligationem, videtur clarum. Nam si quis vouisset se visurum imaginem Crucifixi, semper obligatio intelligenda erit stante luce, dummodo defectus lucis non esset in eius potestate: ergo sicut non stante luce, cuius defectus non esset in potestate vouentis, non obligaret votum: ita neque non stante prædeterminatione obligabit, atque adeo sicut homo tunc excusaretur à peccato ob defectum lucis, ita quoque excusabitur ob defectum prædeterminationis

655 Denique neque stare votum aut contractum in homine obligante se ad seruandam castitatem, siue detur prædeterminatio, siue non, constat ex dictis; nam qui se ita obligat, quoque se obligat ad seruandam castitatem sine prædeterminatione diuina, quod implicat, vt vidimus: ergo. Confirmatur, nam de facto transgressores voti non excusantur à peccato: ergo votum obligat eos etiam qui non prædeterminantur ad opus promissum: non autem obligaret, si diuina prædeterminatio esset necessaria ad actualem adimpletionem; tum quia implicat adimpletio sine diuina prædeterminatione, tum etiam, quia sine illa non datur homini auxilium sufficiens, vt constat ex dictis: ergo.

656 Obiicies. Eodem nos argumento premi, quia implicat adimpletio actualis voti absque decreto efficaci: ergo vouens non potest se obligare, nisi adsit decretum efficax: quando autem non adimplet votum, non stat decretum efficax: ergo neque obligat votum: ergo neque peccant promissa non soluentes. Respondeo distinguens antecedens. Implicat adimpletio voti absque decreto efficaci, pendente in esse efficacis vel inefficacis à vouentis arbitrio, concedo: independente, nego: & nego consequentiam, quia promittens se obligat ad reddendum efficax suo consensu decretum de se indifferens; cumque efficacia sit in eius potestate, vitio illius stabit manere decretum inefficax: efficacia autem decreti simpliciter ad voti obseruantiam requisita, in opposita sententia non stat in manu vouentis, vnde à nobis obiicitur, excusandos à peccato transgressores voti: inanis ergo est retorsio illa, & indigna viro docto.

SECTIO VI.

Cum decreto prædeterminante ostenditur non stare graues, neque leues tentationes. 657

Inconcussum est apud omnes, dari graues, & leues tentationes; nec ideo præcisè dicuntur graues, quia in materia graui contingant; nec ideo leues, quia eueniant in materia leui, nam in vtraque materia, tam graui, quàm leui contingere possunt graues, & leues tentationes. Tentatio igitur grauis est, quæ vehementer animum pulsat, & impellit: leuis autem, quæ remissè, & frigidè animum instigat. In præsenti autem Sectione scopum dirigimus contra communem Thomistarum sententiam, diuinam prædeterminatio-

nem exigentem non solùm ad actus honestos, sed etiam prauos.

658 Assumptum ita ostenditur: vel grauis tentatio includit essentialiter prædeterminationem ad peccatum, vel excludit illam, vel ab vtroque præscindit, medium enim non est: Nullo ex his modis stare potest tentatio grauis: Ergo. Minor, in qua est difficultas, in suas partes distribuenda est, & probanda.

659 Imprimis non posse stare grauem tentationem, si includat essentialiter prædeterminationē ad peccatum; probatur, quia fieret primò, nullum hactenus vicisse grauem tentationem, quod est contra communem Ecclesiæ plausum commendantem insignes victorias, quas à grauissimis tentationibus Sancti reportarunt. Secundò fieret, tentari hominem supra id quod potest, quia non potest homo graui tentationi coniungere victoriam, vt multis à nobis probatum est in superioribus; aliter posset coniungere omissionem actus praui cum prædeterminatione ad illum. Tertiò fieret, nullam Dei gratiam esse sufficientem ad victoriam grauis tentationis, quia nulla est sufficiens ad coniungendam victoriam prædeterminationi ad peccatum, cum ea coniunctio prorsus implicet: ergo, &c.

660 Præterea, non posse stare grauem tentationem, si hæc positiuè excludat diuinam prædeterminationem, clarè ostenditur; quia inde fieret, nullum hactenus à graui tentatione superatum fuisse, cum implicet actu hominem tentationi succumbere absque prædeterminatione ad actum malum. Secundò fieret, hominem tentari supra id quod potest: nam cum negatione prædeterminationis implicat hominem victoriam actu reportare, vt ex doctrina aduersariorum fusè traditum est à nobis. Tertiò fieret, ad victoriam grauis tentationis necessariam non esse gratiam efficacem, siue prædeterminantem, quia cum negatione illius numquam erit effectus tentationis. Quartò fieret, nullum esse periculum lapsus in graui tentatione, quia cum negatione diuinæ prædeterminationis, non solùm non continget lapsus, verum si contingeret, prorsus implicaret, quod idem est ac non posse contingere.

Insuper, neque stare posse grauem tentationem, neque leuem, 661 si vtraque à diuina prædeterminatione præscindat: Probatur primò, quia hac ratione tam facilis, vel difficilis esset victoria grauis tentationis, quàm leuis: Ergo. Sequela probatur, quia tota facilitas in opposita sententia sumenda est à diuina prædeterminatione, & tota difficultas à negatione illius: neutra autem tentatio diceret prædeterminationem vel negationem illius: ergo neutra diceret facilitatem, vel difficultatem victoriæ. Maior probatur, quia voluntas cum prædeterminatione ad victoriam, est facilis ad illam, & sine diuina prædeterminatione difficilis; cum implicet sine illa victoria: ergo tota facilitas vel difficultas victoriæ à diuina prædeterminatione, eiusque carentia desumenda est: ergo si grauis & leuis tentatio præscindant à diuina prædeterminatione, eiusque carentia, similiter præscindent à facilitate, & 662 difficultate victoriæ.

Secundò, quia nullum esset maius periculum in graui quàm leui tentatione, quod dici non potest: ergo, &c. Sequela probatur, quia totum periculum lapsus oritur à decreto prædeterminante illum; sine præ

prædeterminatione enim ad peccandum, nullum est periculum peccandi, cum implicet sine illa peccatum: atqui neutra tentatio dicit prædeterminationem: ergo neque periculum peccandi.

663 Dices grauem tentationem difficiliorem esse & maiori expositam periculo, quia frequentiùs illi coniungitur prædeterminatio ad lapsum. Contra tamen primò, quia frequentiùs coniungi prædeterminationem ad lapsum cum graui potius, quàm cum leui tentatione, non prouenit ab exigentia grauis tentationis, sed à solius Dei beneplacito: ergo grauis tentatio ex se nullam continet maiorem difficultatem, aut periculum, quàm leuis: atque adeo iriti erunt Dæmonis conatus instigantis homines; nam quousque accedat prædeterminatio diuina, irritus erit stimulus; si autem accedat, absque stimulis erit lapsus.

664 Contra secundò, & efficacius. Nam maius periculum & difficultas oritur in graui tentatione ex frequentiori coniunctione cum diuina prædeterminatione ad lapsum, atqui grauis tentatio inducit essentialiter maius periculum, quo distinguitur à leui: ergo includit coniunctionem cum diuina prædeterminatione, vel aliquid connexum cum illa: Hoc implicat, fieret enim, vt vidimus, omnes grauiter tentatos, lapsos fuisse. Ergo &c. Maior, & Minor perspicuæ sunt, consequentia verò probatur. Quia vel potest dari grauis tentatio absque coniunctione cum prædeterminatione ad lapsum, vel non? si potest: Ergo à se non est coniuncta tentatio cum prædeterminatione: ergo coniungitur per aliquid distinctum ab ipsa: Hoc est coniunctio: Ergo. Si non potest: Ergo omnes grauiter tentati lapsi sunt, quod falsum esse, in superioribus satis à nobis ostensum est.



DISPVTATIO XII.

Stante decreto prædeterminante Deus esset causa peccati, posset illud præcipere, & transgressores legum excusandi essent à peccato.



FIde sanctum est, non solum Deum non posse peccare, sed neque posse esse causam propriam & per se peccati: 665 statuit Tridentinum sessione 6. can. 6. his verbis: *Si quis dixerit mala opera ita vt bona Deum operari, non permissiuè solùm, sed etiam propriè, & per se, ita vt sit proprium eius opus non minus proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli, Anathema sit.* Qui canon contra Caluinum & Lutherum editus est. Nec disputo, an sit diuersum, Deum peccare, & esse causam peccati, sicut diuersum est, Deum mereri, & esse causam nostri meriti: satis enim nobis erit; contra prædeterminantes ostendere, fieri ex eorum doctrina, Deum esse causam propriam, & per se peccati.

SECTIO I.

Stante decreto prædeterminante, ostenditur Deum esse causam peccati.

666 PRimò, quia voluntas vnà cum iudicio rationis, est indifferens tam ad odium Dei, quàm ad eius amoré; ergo causa quæ prædeterminat illam ad odiũ potius quàm amorem, est causa existentiæ odij. Confirmatur, causa faciens vt ego peccem, est causa mei peccati: causa autem prædeterminans ad odium potius quàm amorem, facit, vt ego odio habeam: ergo est causa peccati odij. Minor probatur. Illa causa facit effectum existere, quæ facit existere vltimum determinatiuum simpliciter requisitum ad existentiam effectus: Deus autem facit existere vltimum determinatiuum simpliciter requisitum ad existentiam peccati odij: ergo facit existere odium.

667 Secundò. Illa est causa propria & per se peccati, penes quam stat existentia, & non existentia peccati: hæc autem stat penes solum Deum, & non penes voluntatem creatam: ergo. Maior est certa, quia si per me non staret transgressio præcepti, neque ea posset mihi imputari. Minor constat ex dictis, quia penes illum stat existentia peccati, penes quem stat determinatio vltima simpliciter ad peccandum necessaria. Hæc autem stat penes solum Deum: ergo. Confirmatur. Si per me non staret lux, sed per solum Deum, quoque staret per ipsum, & non per me defectus visionis; at soli Deo imputandum esset, quod non viderem sine luce: sed neque stat per me decretum prædeterminans, non minus requisitum ad peccandum, quàm lux ad videndum; sed per solum Deum: ergo neque stabit per me peccatum, sed per Deum: ergo quod ego peccem potius quam non soli Deo tribuendum erit.

Respondent communiter, in odio Dei esse materiale, & formale peccati, Deumque solum prædeterminare ad materiale, non verò ad formale; atque adeò Deum solum esse causam materialis peccati, non verò formalis. Materiale peccati vocant entitatem physicam actus odij Dei, tam quoad differentiam specificam, quàm quoad indiuidualem: formalem verò priuationem rectitudinis, vel difformitatem cum natura rationali, aut cum lege prohibente. Quod vni autem vocant materiale peccati, vocant alij lineam physicam; & quod formale, lineam moralem: alij autem entitatem, & moralitatem: verba sunt tantum diuersa, non res. 668

Hæc tamen responsio non satisfacit Tridentino, cuius canon ille 6. otiosus fuisset contra Caluinum, & Lutherum, Deum scilicet non operari mala opera, ita vt bona: ergo. Antecedens probatur. Quia Caluinus, & Lutherus nunquam asseruerunt, Deum esse causam malitiæ formalis peccati, sed solius entitatis materialis: ergo, si responsio ista stare posset cum canone illo Tridentini, nihil contra Caluinum, & Lutherum profuisset. Antecedens probatur. Nam Caluinus lib. de æterna Dei prouidentia, editione Geneuensi 1552. pag. 946. ita habet. *Ergo cum iusta de causa, vel nobis ignota, à Domino procedant, quæ sceleratè ab hominibus maleficia perpetrantur, etiamsi nostrum omnium prima causa sit eius voluntas;* 669

voluntas; tamen peccati eum esse authorem, nego. Quibus subiungit. *Turpi, & illiberali calumnia nos grauant, cum Deum peccati Authorem fieri obtendunt, si omnium, quæ aguntur, causa sit eius voluntas.* En calumniam æstimat Caluinus iudicare, ab ipso asseri, Deum esse causam malitiæ peccati; eo quod asseratur eius voluntas causa operis praui: ergo negans Caluinus, Deum esse Authorem peccati, tantùm id asserebat respectu formalis malitiæ; nam ad materiale admittebat, Deum ex munere causæ primæ prædeterminare secundas.

670 Confirmatur. Nam Theodorus Beza in Responsione ad Castelionem Aphorismo 8. ita sui Præceptoris Caluini doctrinam tradit. *Non sequitur ex istis vlla istarum blasphemiarum, nempe vel Deum esse authorem peccati, siue delectari in iniquitate, aut etiam velle iniquitatem; vel Sathanam aut hominem malè agendo obedire Deo, aut quatenus malè agunt, facere quod Deus vult, ac proinde esse extra culpam. Absint quàm longissimè omnes eiusmodi blasphemiæ, non tantum à linguis, sed etiam à cogitationibus nostris.* Et Aphorismo 18. subdit. *Quidquid agit Deus bonum est, cum à Summo bono nihil mali possit proficisci: omnia autem efficit; omnia igitur bona sunt, quatenus à Deo efficiuntur; & discrimen illud boni & mali in instrumentis dumtaxat locum habet.* Hæc & alia refert Cardinalis Bellarminus lib. 2. de amissione gratiæ, & statu peccati, cap. 3. ex quibus:

671 Ita dissero. Hæretici expresse negabant, Deum esse authorem peccati; Deum velle malitiam peccati, eamque vt talem esse à Deo, & solum esse causam materialis peccati: & tamen damnati sunt à Tridentino: ergo non alia de causa, nisi quia asserebant, Deum esse causam materialis peccati, connexi essentialiter cum malitia formali. Confirmo. Tridentinum statuit Deum tantum esse causam permissiuam illius, cuius hæretici asserebant Deum esse causam propriam & per se: hæretici autem tantùm asserebant Deum esse causam propriam, & per se materialis peccati, vt constat ex eorum verbis: ergo Tridentinum statuit contra illos, Deum non esse causam propriam, & per se materialis peccati. Firmo iterum, nam operatio mala. v. g. proditio Iudæ, propriè significat actionem positiuam, non priuationem rectitudinis: ergo si Patres Tridentini in disputationibus versatissimi, solùm contendissent Deum non esse causam malitiæ, non vsi fuissent verbo *operari*; sed nomine malitiæ: ergo non solùm decreuerunt Deum non esse causam malitiæ, sed neque operis mali connexi cum malitia.

Probatur tertiò cõclusio. Quia Deus nõ alia ratione permittere potest malitiam formalem, nisi permittens materiale peccati: Deus autem non permittit materiale, sed illud propriè, & per se causat: ergo neque permittet formale, sed illud propriè; & per se causabit. Confirmatur. Nam voluntas creata non alia ratione est causa propria, & per se malitiæ formalis, nisi quia propriè, & per se causat materiale peccati, ex quo inseparabiliter sequitur malitia: Deus autem propriè, & per se causat materiale peccati, ex quo inseparabiliter sequitur malitia: ergo propriè, & per se causabit illam. 672

Quartò. Materiale peccati prout procedit à Deo, habet connexionem essentialem cum malitia formali: ergo prout procedit à Deo, inducit malitiam formalem. Consequentia bona 673

est. Tum quia non potest esse à Deo connexio essentialis cum malitia, quin sit à Deo inductio malitiæ formalis, quæ ineuitabiliter resultat ex positione entitatis materialis. Tum etiam, quia non potest esse actio à Deo, quin etiam sit terminus ab ipso, ratione connexionis, actionis cum termino: tanta autem est connexio materialis peccati cum malitia formali, quanta actionis cum termino.

674 Dices, materiale odij non habere connexionem essentialem directam cum malitia formali, sed tantùm indirectam, nam entitas odij Dei solum connectitur cum malitia formali, quatenus procedit à voluntate creata; quia tamen procedere non potest à voluntate creata, quin simul procedat à Deo, ideo indirectè tantùm prout procedit à Deo connectitur cum malitia.

675 Contrà. Materiale peccati, quatenus procedit à voluntate creata, connectitur directè cum malitia formali: ergo etiam quatenus procedit à Deo. Probatur consequentia. Nam materiale odij Dei non est à Deo solum in abstracto, sed in concreto vnà cum voluntate creata, nam diuina prædeterminatio non solum est causa, vt sit illud materiale; sed etiam est directè causa, vt illud materiale procedat à voluntate creata; vis etenim directa decreti prædeterminantis, non solum influit in illud materiale, sed etiam in voluntatem, determinando antecedenter illam, vt liberè actum odij producat. Actus autem liber odij, vt à voluntate productus connectitur directè cum malitia: ergo etiam prout productus à Deo. Confirmatur. Materiale peccati prout à Deo, non est indifferens ad malitiam, & non malitiam, sed summè determinatum, & inseparabile à malitia: ergo & connexus.

Contra secundò. Quia Deo non 676 solum repugnat prædeterminare directè ad malitiam formalem, sed etiam indirectè: ergo pariter repugnabit esse causam indirectam malitiæ, & consequenter causare materiale peccati, prout connexum indirectè cum formali. Antecedens admittitur à Thomistis, constanter docentibus, Deum nulla ratione, sua prædeterminatione pertingere malitiam formalem peccati. Consequentia verò probatur. Quia esse causam indirectam aliud non est, quàm indirectè prædeterminare, sicut esse causam directam est directè prædeterminare: repugnat autem Deo adhuc indirectè prædeterminare ad malitiam formalem: ergo & esse causam illius indirectam.

Dices iterum, Deum esse causam 677 directam, vt voluntas creata producat illum actum: cæterùm motiuum seu rationem formalem diuinæ prædeterminationis, non esse malitiam, sed solam rationem communem entis, secundùm quam actus odij non connectitur cum malitia formali.

Contrà, quia licet ratio formalis, 678 seu motiuum diuinæ prædeterminationis, sit ratio communis entis; tamen re ipsa Deus concurrit, & prædeterminat directè differentiam specificam actus odij: sicut etiamsi ratio formalis videndi albedinem sit color, tamen re ipsa videtur sub ea ratione differentia albedinis. Insuper, quamuis ratio formalis concurrendi voluntatis creatæ, non sit malitia formalis actus, sed vitalitas ipsius, tamen re ipsa est causa talis malitiæ: ergo quamuis ratio formalis causalitatis diuinæ sit ratio entis, tamen re ipsa sub ea ratione erit causa directa differentiæ actus odij, quæ essentialiter connectitur cum malitia formali; cùm diuina prædeterminatio directè connectatur

nectatur eum tota entitate actus odij, etiam secundùm differentiam specificam.

679 Confirmatur, & aliæ aduersariorum responsiones præoccupantur. Nã si Deus præciperet, vel consuleret materiale peccati etiam secundùm rationem entis; necessariò præciperet indirectè, & consuleret malitiam: ergo cum Deus directè prædeterminet materiale peccati secundùm rationem entis, necessariò prædeterminabit indirectè malitiam: consequentia legitima est, nam in vtroque casu præcepti, & prædeterminationis esset eadem ratio formalis entis. Si ergo hæc impedire non potest, ne Deus præcipiat malitiam formalem indirectè; neque impedire poterit, ne illam prædeterminet. Antecedens verò conceditur à Thomistis, & Sectione sequenti ex professo probabitur à nobis.

680 Probatur quintò conclusio, quia diuinã prædeterminationem existere, vel non existere, Deo soli tribuitur: posita autem diuina prædeterminatione ad materiale odij, hoc non est impedibile à voluntate; & posito materiali non est impedibilis malitia: ergo nihil est vnde voluntas censenda sit causa peccati; sed potius Deus, à cuius diuina prædeterminatione liberè posita descendunt: ergo Deus, & non voluntas erit causa peccati: sicut in creatis ille est causa mei peccati, qui liberè me impedit ad obediendum præcepto.

SECTIO II.

Stante decreto prædeterminante, Deus posset præcipere peccatum.

681 Probatur. Si Deus posset prædeterminare materiale peccati, posset etiam præcipere: id non potest: ergo neque prædeterminare. Minor est certa. Tum quia, si Deus posset præcipere materiale peccati, posset obligare hominem ad id quod præstare posset sine peccato, homo enim teneretur ex præcepto ponere materiale peccati penitus inseparabile à malitia formali: ergo non posset homo obedire Deo sine peccato, cum non posset ponere obedientiam diuisam à malitia; quod quàm alienum sit à diuina bonitate, cæcus est, qui non videat. Tum etiam, quia ideo Deus non potest mihi præcipere applicare ignem stupæ, & aliunde illius combustionem prohibere, quia combustio necessariò sequitur applicationem ignis: formalis autem malitia peccati necessariò sequitur ex positione materialis: ergo cum Deus prohibeat malitiam formalem peccati, non potuit mihi præcipere materiale.

Maior ergo probatur. Si Deus non 682
posset præcipere materiale peccati, vel esset, quia præcipere deberet indirectè formale, vel quia materiale est incapax bonitatis moralis, ratione connexionis cum malitia formali; ex his enim capitibus reddi potest Deo indecens, & impossibile tale præceptum: ex nullo autem eorum reddi potest indecens aut impossibile, stante decreto prædeterminante materiale peccati: ergo. Minor quoad vtramque partem probanda est.

Quoad primam, scilicet non im- 683
plicare Deum præcipere materiale, quia præciperet indirectè formale, probatur. Quia connexio materialis peccati cum formali, quæ sola cogere posset. vt indirectè malitia præciperetur, sufficiens non est, vt Deus præcipere non possit materiale, quin præcipiat indirectè formale: ergo. Antecedens probatur, quia ea connexio

sufficiens

sufficiens non est, vt Deus prædeterminans materiale, prædeterminet adhuc indirectè formale: ergo neque sufficiens erit, vt Deus præcipiens materiale, præcipiat etiam indirectè formale. Cur enim prædeterminatio poterit attingere materiale peccati, quin adhuc indirectè attingat formale, & non poterit præceptum, cum tamen eadem connexio materialis cum formali sit obiectum vtriusque diuinæ voluntatis.

684 Confirmatur. Longè maiorem connexionem habet cum materiali peccati voluntas prædeterminans, quàm præcipiens; nam voluntas prædeterminans materiale peccati implicat existere, quin existat materiale peccati, & per consequentiam formale: voluntas autem præcipiens existere potest, quin existat res præcepta, atque adeo quin existat tam materiale quàm formale peccati, & tamen non obstante ea connexione, potest Deus prædeterminare materiale, quin adhuc indirectè prædeterminet formale: ergo & præcipere materiale, quin adhuc indirectè præcipiat formale, eo modo & motiuo, quo materiale prædeterminat.

685 Secunda pars, videlicet non implicare Deum percipere materiale peccati, quia est incapax bonitatis moralis, propter connexionem cum malitia formali, probatur. Quia ea incapacitas bonitatis moralis non impedit, Deum velle absolutè, & efficaciter materiale peccati: ergo neque præcipere. Probatur consequentia, quia tantam bonitatem exigit in obiecto, voluntas prædeterminans, quam præcipiens: si ergo in materiali peccati resplendet sufficiens bonitas vt prædeterminetur à Deo, cur non etiam, vt præcipiatur? Confirmatur. Deus præcipere potest vt fiat, quod voluntate sua absoluta, & efficaci vult fieri: Deus autem voluntate absoluta, & efficaci vult fieri materiale peccati: ergo & poterit præcipere. Minor est aduersariorum. Maior videtur per se nota, nam quilibet superior præcipere potest vt fiat, quod absolutè, & efficaciter vult fieri, dummodo ea voluntas iusta sit: voluntas autem diuina, qua Deus absolutè & efficaciter vult fieri materiale peccati, iustissima est apud Thomistas: ergo poterit Deus præcipere, quod tali voluntate vult fieri.

Dices, ad præceptum non sufficere bonitatem putè physicam, sed vlterius requiri moralem in obiecto, scilicet conformitatem cum natura rationali, vel lege præcipiente, &c. 686
Qualis non reperitur in materiali peccati. Contrà, quia bonitas de se putè physica posito præcepto constituitur in linea morali, & fit conformis naturæ rationali, & legi præcipienti v. g. esus carnium die Veneris, &c. Ergo posito præcepto materiale peccati, non solum haberet bonitatem physicam, sed etiam moralem. Antecedens patet in rebus quæ bonæ sunt vel malæ ex circumstantia præcepti; seorsim enim ab illo solam habent bonitatem, vel malitiam physicam, & circumstantia præcepti constituit illas intra lineam moralem: ergo idem esset de materiali peccati, casu quo à Deo præciperetur: ergo non ideo non potest præcipi, quia capax non est bonitatis moralis, sed solius physicæ.

Dices iterum, Deum non posse 687
præcipere materiale, quia est incapax bonitatis moralis, ratione connexionis illius cum malitia formali, penitus incapaci bonitatis seu honestatis moralis. Contra, quia licet materiale peccati connectatur cum formali incapaci

capaci bonitatis physicæ, (vnde à Deo prædeterminari non potest) tamen in se capax est bonitatis physicæ, & ratione illius prædeterminabilis à Deo: ergo etiamsi materiale peccati connexum sit cum formali incapaci bonitatis moralis, vnde à Deo præcipi non potest; in se tamen poterit esse capax bonitatis moralis, præceptibilis à Deo; par enim est vtriusque ratio. Confirmatur. Connexio cum opposito bonitatis physicæ, non impedit in materiali peccati physicam bonitatem: ergo connexio cum opposito bonitatis moralis, non impediet in materiali peccati bonitatem moralem.

688 Nec dicas, implicare terminos, rem esse capacem bonitatis moralis, & esse connexam, & inseparabilem à malitia morali: Quia solutionem expecto, cur non implicet etiam terminos, rem esse capacem bonitatis physicæ, & esse connexam & inseparabilem à malitia physica? Etenim malitia formalis vt talis, non est bona physicè, sed mala; cum vt talis non possit à Deo prædeterminari, & tamen materiale peccati etiamsi connexum cum malitia physica peccati, habet in se physicam bonitatem: ergo etiam poterit habere moralem, non obstante connexione cum malitia morali.

SECTIO Vlt.

Stante decreto prædeterminante, transgressores Legum excusandi essent à peccato.

689 PRimò. Quia si Deus efficaciter prædeterminaret materiale peccati siue lineam physicam, aut entitatem illius, creatura liberè eliciens idem materiale peccati, siue lineam physicam aut entitatem illius, non peccaret; cum in eo creatura conformaretur diuinæ voluntati efficaci, quæ est suprema totius bonitatis regula. Deinde, neque peccaret non impediens malitiam, vel non adhibens entitati peccati regulam rationis; quia impossibile est creaturæ posito materiali peccati impedire malitiam, vel regulam rationis adhibere, aliter posset homo liberè Deum odisse & blasphemare sine peccato: ergo nullo modo creatura peccaret.

Secundò. Creatura non potest dissentire & resistere decreto Dei absoluto & efficaci, quale est decretum prædeterminans ad materiale: ergo neq; posito tali decreto potest omittere materiale peccati. Consequentia clara est, nã omittere materiale peccati est resistere decreto illud prædeterminãti: ergo posse omittere, erit posse resistere: creatura autem non potest resistere: ergo neque omittere: ergo tenetur elicere materiale peccati. Deinde posito materiali, non potest omittere formale, nec impedire: ergo neque peccare. Nec dici potest, creaturam posse impedire decretum prædeterminans materiale peccati; quia huiusmodi decretum existere vel non existere, non est in manu creaturæ, sed in solius Dei beneplacito. Magna est huius rationis vis & efficacia, si altè penetretur, & ex dictis duobus præcedentibus disputationibus vrgeatur. 690

Tertiò. Stante decreto prædeterminante materiale peccati odij, vel posset homo se conformare diuinæ voluntati efficaci, sine peccato, vel non? si posset: ergo posset liberè odisse Deum sine peccato, quod malè 691

audit.

audit. Si non posset: ergo culpa eius non est, quod non conformetur diuinæ voluntati sine peccato, atque adeo excusandus erit à peccato in eo, quod diuinæ voluntati difformetur.

692 Quartò. Ponamus hominem efficaciter à Deo prædeterminatum; vt cras illum odio habeat, idque homini à Deo reuelari. Nunc ita: si hodie apud se statueret: volo cras elicere odium liberum Dei secundum materiale tantum, aut lineam physicam, siue entitatem illius, qua ratione Deus illud velit. Huiusmodi propositum non esset peccatum: Hoc autem dici non potest: ergo. Maior probatur, quia homo in eo proposito omnimodè conformaretur diuinæ voluntati; in quo nullum est peccatum: ergo homo in eo proposito excusandus esset à peccato. Nec dicas, hominem non posse habere tale propositum, quin transcendat rationis metas. Quia inde fit, non posse hominem velle, quod Deus efficaciter vult sine peccato.

693 Quintò. Ille excusandus est à peccato, cui negatur requisitum simpliciter ad vitandum peccatum, quod ponere vel impedire non est in eius potestate: transgressoribus autem mandatorum negatur requisitum simpliciter ad vitandum peccatum, quod ponere vel impedire non est in potestate eorum: ergo excusandi sunt à peccato. Minor est certa, quia transgressoribus mandatorum negatur diuina prædeterminatio requisita simpliciter ad obedientiam mandatorum, quam ponere vel impedire non est in eorum potestate. Maior multis à nobis probata est disp. 10. & 11. Et confirmatur, quia ille, cui deest requisitum simpliciter ad vitandũ peccatum, si in eius potestate non sit acquiescere illud, iustam habet excusationem: inde infirmi & in vincula coniecti excusantur à peccato, non audientes Missam: inde qui breuiarium non habet, nec in potestate eius esset habere, excusatur à peccato, dum officium diuinum non recitat, & etiam ille qui cæcus factus est, & idem est de aliis sexcentis: ergo.

594 Vltimò. Si Deus prædeterminaret materiale peccati, non posset prohibere formale: ergo neque peccaret homo eliciens materiale & formale peccati. Antecedens probatur. Quia Deus non potest directè aliquid prohibere, quin indirectè saltem prohibeat ea omnia, ex quibus necessariò & ineuitabiliter sequitur res prohibita: ex materiali autem peccati necessariò & ineuitabiliter sequitur malitia formalis directè prohibita: ergo non potest Deus eam directè prohibere, quin saltem indirectè prohibeat materiale peccati: stante autem prædeterminatione diuina ad materiale peccati, Deus non potest adhuc indirectè illud prohibere, aliter vellet efficaciter, quod prohibitum esset: ergo neque posset prohibere formale: ergo creatura eliciens materiale & formale peccati, non peccaret.

695 Confirmo. Malitia non potest homini prohiberi, nisi prout est in eius potestate: non autem est in eius potestate, nisi quatenus actio est in eius potestate: ergo neque poterit prohiberi, nisi prohibeatur actio: stante autem diuina prædeterminatione ad actionem, non potest actio prohiberi: ergo neque malitia.

696 Obiicies. Voluntas creata non alia ratione est causa malitiæ, nisi quatenus causat actionem, ex qua sequitur malitia: Deus autem concursu simultaneo causat actionem, ex qua sequitur malitia: ergo & causat malitiam.

litiam. Respondeo, voluntatem creatam ideo causare malitiam, quia determinat diuinum concursum ad rationem malam, à Deo prohibitam, & in qua Deus displicet; Deus verò non determinat voluntatem creatam ad actionem malam, imo prohibet & remouet, auxilians ad oppositam. Alia quæ nobis obiici possent, ex Scripruta, & Patribus, maximè Augustino, soluta à nobis sunt ex professo disputat. 6. section. 3. & disputat. 7. sect. 3.



DISPVTATIO XIII.

Scientia media rationibus stabilitur; & obiecta soluuntur.

697 HActenus scientiam mediam quasi indirectè tantum confirmauimus, decreta prædeterminantia deturbantes. Nunc rationibus positiuè illam suadentibus, eam aggredimur confirmandam, infirmatis responsionibus, quæ à Magistro Viues excogitatæ sunt.

SECTIO I.

Prima ratio scientiam mediam positiuè probans.

698 PRima. De illis principiis & requisitis (quæcumque illa sint) de quibus absolutè existentibus verum est dicere, voluntas infallibiliter consentiet; verum etiam est dicere, Quod si essent, voluntas infallibiliter consentiret, idque independenter ab omni alio, quod non sit aliquid ex illis principiis seu requisitis: Atqui dantur principia, & requisita, de quibus absolutè existentibus verum est dicere; voluntas infallibiliter consentiet: ergo verum etiam erit dicere, quod si essent voluntas infallibiliter consentiret, idque independenter ab omni alio, quod non sit aliquod ex illis principiis, & requisitis: decretum autem conditionatum ex parte obiecti, & absolutum ex parte actus, non est aliquod ex principiis, aut requisitis, quibus absolutè existentibus verum est dicere; voluntas infallibiliter consentiet, cum non pertineat ad statum absolutum, sed conditionatum: ergo independenter à decreto conditionato verum est dicere; quod si essent ea principia, & requisita, voluntas infallibiliter consentiret: ergo nouit id Deus certò ante decretum illud conditionatum. Prima illa minor, quæ sola probationem desiderabat, adeò certa est in omni Schola, vt nulla sit, quæ de illius veritate non glorietur. Quomodo enim prædestinatio certa esset, & infallibilis, non stantibus principiis, & requisitis, quibus infallibiliter voluntas consensura sit?

Confirmatur. Post decretum absolutum ex parte actus, & obiecti, scit Deus Adamum positum iuxta lignum paradisi infallibiliter peccaturum absolutè, & videt in ea occasione actu peccantem: ergo ante decretum sciebat, quod si Adam ibi poneretur, infallibiliter peccaret. Consequentia patet, nam quidquid absolutè fit infallibiliter in aliqua conditione, verum erat quòd fieret infallibiliter, si talis conditio poneretur, nam abso- 699

luta, & conditionata solo statu differunt: ergo, quæ posita conditione absoluta sunt infallibiliter, antequam poneretur, verum erat, quod si poneretur conditio, infallibiliter absoluta essent: ergo.

700 Respondet Viues disp. 18. num. 63. Ad confirmationem quam solam sibi obiicit. In antecedente supponi duo decreta in quibus fundatur, Quod Adam in tali occasione peccabit, & in ea posita iam peccat. Vnum absolutum ex parte actus, & obiecti de ponenda conditione; aliud conditionatum ex parte obiecti, absolutum verò ex parte actus, quo antea decretum erat, quod si poneretur ea conditio, poneretur effectus: sic ergo, inquit, intellecto antecedente concedo illud, & in eodem sensu consequentiam. Scilicet quod ante decretum absolutum ex parte actus simul, & obiecti sciebat Deus, quod si Adã poneretur iuxta lignum, peccaret; sed non ante decretum absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte obiecti. Ad probationem consequentiæ respondet, verum esse, quod id quod absolute fit in aliqua conditione, certò futurum erat ea posita, si tamen Deus decreuerat, Quod si poneretur conditio, esset futurum; secus verò si non ita decreuerat; quia nulla fuisset certa determinatio ad esse postea posita illa conditione.

701 Contra primò, quia etiamsi Adami peccatum supponat illa duo decreta; tamen illis positis certò, & infallibiliter sequitur peccatum: ergo antea cognoscebat Deus, quod si ponerentur, certò & infallibiliter peccaret. Secundò, ideo Deus ante absolutam existentiam conditionis necessariæ, scit stupam necessariò comburendam, si videlicet ignis applicetur, quia conditio applicationis ignis habet necessatiam connexionem cum effectu: sed per se conditio duplicis illius decreti, habet certam, & infallibilem connexionem cum peccato Adami; ergo ante absolutam existentiam conditionis, siue duplicis illius decreti, scit Deus Adamũ peccaturum, si ea conditio, seu decreta ponerentur. Tertiò, quia ex solo decreto absoluto ex parte actus, & obiecti præciso quocumque alio, certò, & infallibiliter sequitur absolutum peccatũ Adami, cum tale decretũ certam, & infallibilem connexionem habeat cum peccato: ergo ante illud præciso quocumque alio, scit Deus, quod si esset decretum illud, peccaret Adamus. Quartò, quia Deus in sententia Thomistarum, non cognoscit futurum absolutum in decreto conditionato ex parte obiecti, sed in solo absoluto, ex parte actus & obiecti; decretum enim conditionatum tantum est medium cognoscendi futurum conditionatum, nullatenus absolutum: ergo præciso quocumque decreto ex parte obiecti conditionato, & ante absolutum ex parte actus, & obiecti, scit Deus, quod si esset decretum absolutum ex parte actus, & obiecti, esset infallibiliter effectus.

Respondebis cum Viues disp. 19. tota dist. 8. Veram esse nostram argumentationem, si decretum ponatur per modum puræ conditionis, vt in hac propositione: *Si Deus decreto efficaci decerneret Tyrios pœnitere, & Christus illis prædicaret, agerent pœnitentiã.* Secus verò si decretum sumatur, vt ratio formalis sub qua, siue vt antecedens argumentationis rationalis hoc pacto: in Deo est decretum pœnitentiæ Tyriorum, si Christus illis prædicaret: ergo prædicãte illis Christo, pœniterent. Quod simplici actu potest ita 702

dici;

dici: Tyrij pœniterent, si Christus illis prædicaret, quia est actu in Deo decretum efficax pœnitentiæ Tyriorum, prædicante illis Christo.

703 Ratio omnium est, inquit Viues, quia pura conditio præscindit ab existentia, & non existentia; cum de illa neque dicatur esse, neque non esse, sed *si esset*: vnde poterit Deus ante omne suum decretum actu existens, cognoscere futurum conditionatum in illo sumpto, per modum puræ conditionis. Ratio verò formalis sub qua, nec præscindit nec præscindere potest ab existentia; vnde Deus non valet cognoscere futurum conditionatum ante decretum conditionatum, & actu existens in ipso.

704 Plaude, mi Lector, attende. Admitto libenter decretum per modum puræ conditionis præscindere ab existentia, & non existentia, secus verò per modum rationis formalis *sub qua*. Intendimus nos posse Deum scire, & actu certissimè cognoscere, Quid Tyrij agerent, prædicante illis Christo, quin vtatur suo decreto per modum rationis formalis *sub qua*; sed sufficere, quod vtatur eo vt pura conditione, qua ratione à nostris Doctoribus semper positum est: illud nobis conceditur ab aduersario: vicimus ergo.

705 Nec effugies dicens, eam scientiam conditionatam non esse liberam, sed necessariam; non inquam, effugies. Tum quia non agitur in præsenti, qualis sit scientia diuina conditionatorum, sed an sit in Deo; qualiscumque illa sit. Tum maximè, quia ex decreto conditionato non sequitur necessariò effectus, aliter de medio tolleret libertatem: ergo scientia effectus in decreto per modum puræ conditionis, non potest esse scientia necessaria effectus. Patet consequentia, quia scientia necessaria effectus, talis est tantum, quæ versatur circa effectum necessarium: Vel ergo peccatum conditionatum ex decreto per modum puræ conditionis subsequutum, est necessarium, vel contingens, & liberum? si primum: ergo nulla est libertas cum decreto conditionato per modum puræ conditionis sumpto. Si secundum: ergo scientia peccati conditionati ex decreto conditionato per modum puræ conditionis, non est scientia necessaria respectu effectus, sed contingens.

Vnde fieret, nec stare libertatem peccari vnà cum decreto conditionato, ex parte obiecti sumpto per modū rationis formalis *sub qua*. Nam eadem est vis illatiua & connexio decreti sumpti per modum puræ conditionis, siue per modum rationis formalis *sub qua*; cum idem sit decretum; & vis illatiua seu connexio cum peccato indistincta sit à decreto: ergo si decretum sumptum per modum puræ conditionis destruit libertatem peccari, inferens illud necessariò; idem omnino præstabit decretum sumptum per modum rationis formalis *sub qua*. 706

Dices, disparem esse rationem; nam decretum sumptum per modum puræ conditionis, non est actu & formaliter excercitium liberum diuinæ voluntatis, bene verò sumptum per modum rationis formalis *sub qua*. 707

Hæc tamen responsio vacua omnino & inanis est. Nam licet decretum sumptum per modum puræ conditionis, non sit actu & formaliter exercitium diuinæ voluntatis, & tale sit per modum rationis formalis *sub qua*; id tamen non immutat vim illatiuam 708

illatiuam seu connexionē decreti cum peccato: ergo si per modum puræ conditionis inferr necessariò peccatum, etiam inferet per modum rationis formalis *sub qua*. Confirmo, decretum effectus necessarij etiamsi per modum puræ conditionis non sit actu, & formaliter exercitium liberum diuinæ voluntatis, tamen quia infert necessariò effectum, eodem quoque modo infert per modum rationis formalis *sub qua*, & diuersitas tantum stat penes statum, non penes virtutem illatiuam: ergo etiamsi decretum peccati per modum puræ conditionis non sit actu & formaliter exercitium liberum diuinæ voluntatis, si tamen necessario inferat peccatum, eodem pacto inferet per modum rationis formalis *sub qua*. Etenim decretum esse actu & formaliter exercitium liberum diuinæ voluntatis, non reddit effectum liberum vel necessarium, cum sit quid commune vtrique; sed connexio decreti id præstat: ergo in omni statu vel in nullo reddere debet liberum, vel necessarium, cum in omni stet connexio.

SECTIO II.

Aliæ rationes pro scientia Media.

709 SEcunda ratio. Futurum contingens conditionatum, præciso quocunque decreto actu & formaliter existente in Deo, habet in se ipso determinatam veritatem: ergo cognoscitur à Deo independenter ab eo decreto; atque adeo in se ipso, quod est scientia Media. Antecedens probatur, quia vt futurum contingens in se ipso habeat determinatam veritatem, præciso quocumque decreto actu & formaliter existente in Deo, satis est, fatentibus aduersariis, quod in se ipso sit infallibile futurum: tale autem est præciso quocunque decreto actu existente, à carentia existentiæ nunc, & existentia postea si conditio poneretur: ergo & determinatè verum. Minor latissimè probata à nobis est disp. 1. à sect. 2. & disp. 3. à sect. etiam 2. Videas tu ibi.

Tertia ratio, eaque efficax est. Contingens dum actu est extra causas, est determinatè verum, & à Deo certò, & infallibiliter cognitum in se ipso, vt tota Schola Thomistarum fatetur: non cognitione temporali, id est in tempore incipiente: ergo æterna: ergo ab æterno certò nouit Deus illud contingens in se ipso v. g. me hodie scribere, vel amare: ergo certò nouit illud antequam esset (sermo semper est in propria mensura) quia notitia Dei est ab æterno, me autem scribere, vel amare non est ab æterno, sed hodie. Ex alio capite Deus certò nouit in se ipsa hanc veritatem, scilicet meam scripturam, vel amorem non esse actu extra causas ab æterno; nam negatio existentiæ fuit actu præsens tota æternitate; atque adeo certò cognita fuit à Deo in se ipsa, cum non fuerit indeterminata ad esse, & non esse ex suppositione quod sit, qua vnica ratione omnia actu præsentia asseruntur à Thomistis determinatè vera, & in se ipsis certò à Deo cognita. Ex his quæ mihi euidentissima sunt: 710

Ita disputo. Qui certo scit me non amare nunc, & amare pòst, certò scit meum amorem esse nunc futurum: Deus autem certò scit me non scribere vel amare ab æterno, & me scribere, & amare pòst scilicet hodie: ergo Deus certò scit meam scripturam, & amorem esse tota æternitate futurum: id autem 711

autem nouit Deus in propria obiecti veritate certa,& determinata: ergo futurum contingens habet propriam certam, & determinatam veritatem. Hæc ratio adeò efficax mihi semper visa est pro determinata veritate futuri contingentis, vt aliam non sit cur desideremus. Nec dicas, eam tantum militare pro futuris absolutis; nam idem dicendum esse de conditionatis, benè norunt aduersarij,& fatetur centies Viues. Et ratio est, quia tam contingens est futurum absolutum in statu absoluto, quàm conditionatum in conditionato: si ergo non obstante contingentia in statu absoluto, futura absoluta habent certam, & determinatam veritatem, cur non conditionata?

712 Quam doctrinam facilè confirmabis exemplo præteriti;nam eo præcisè quòd Deus cognoscat existentiã mei consensus matutinam, & negationem eiusdem vespertinam, omni alio præciso, cognoscit certò meum consensum vespere præteritum; & quia vtrumque extremum cognoscit diuersis temporibus existens, cognoscit præteritum in se ipso, & propria ipsius veritate: ergo pariter eo præcisè quod Deus cognoscat negationem mei consensus matutinam, & existentiam vespertinam, omni alio præciso, cognoscet certò meum consensum matutino tempore futurum: & cum vtrumque extremum cognoscat diuersis temporibus existens, cognoscet futurum in se ipso, & propria illius veritate.

713 Quarta ratio.De facto stat præscientia peccati tam absolutè,quam conditionatè futuri: nullum autem stat decretum prædeterminans ad illud:ergo stat præscientia absque decreto prædeterminante. Præmissæ conceduntur ab omnibus Thomistis quoad malitiam formalem, & à pluribus etiam quoad entitatem peccati: Consequentiam qui neget,ad Summulistas remittatur,formalis enim est:cõfirmo. Nam vt vidimus disp.12. Deus non potest prædeterminare etiam materiale peccati, quod fatentur multi Thomistarum;& quamuis id posset, constans, & indubitatum est apud omnes, non posse prædeterminare formalem malitiam: eam autem certò, & infallibiliter cognoscit: ergo non in decreto prædeterminante:ergo in se ipsa, cum non sit medium,vt fatetur Viues. Hæc ratio vrgenda est ex dictis disp.1.sect. 3. num....

Quinta ratio. Ante omne decretum actu & formaliter existens in Deo, possunt formari propositiones contradictoriæ de futuro conditionato:ergo vna erit determinatè vera, & altera determinatè falsa:quæcumque autem vera sit, arguit futurum sub conditione determinatè verum: ergo ante decretum futurum conditionatum habet determinatam veritatem. Hoc argumentum vocat Viues posteriori parte disputationis.18. num.3. Aquilem nostræ sententiæ. Tres barbarismos in vno verbo vitasset, si non Aquilem, sed Achillem scripsisset; Cæterùm scientia Media non solum habet hunc Achillem, sed plures alios & fortissimos Hectores. 714

Respondent aliqui negantes antecedens, posse scilicet formari propositiones contradictorias de futuro conditionato ante decretum, quia tam pœnitentia conditionata, quam non pœnitentia pendent essentialiter à decreto absoluto, ex parte actus: Vnde ante illud neutra propositio potest esse determinatè vera vel falsa. 715

Contra primò quia illa independentia est ipsa quæstio. Secundò,quia licet futurum absolutum pendeat essentialiter 716

ſentialiter à decreto, tamen ante decretum falſum eſt rem eſſe abſolutè futuram, & verum eſt non eſſe futuram. Inſuper, licet pœnitentia ſalutaris pendeat eſſentialiter à gratia; tamen ante gratiam falſum eſt extituram pœnitentiam, & verum, non extituram: ergo licet pœnitentia conditionata penderet eſſentialiter à decreto abſoluto, ex parte actus, id non tolleret veritatem, vnius propoſitionis, & falſitatem alterius ante decretum.

Dices hoc argumentum probare,
717 propoſitiones contradictorias poſſe eſſe re vera tales ante decretum conditionatum ex parte actus. Vnde ſi quid conuinceret noſtrum argumentum, probaret futurum conditionatum ante decretum conditionatum ex parte actus, quod non admittitur à Noſtris.

Fateor noſtrum argumentum conuincere, poſſe formari propoſitiones contradictorias re vera tales ante decretum conditionatum ex parte actus; id nobis concedant Thomiſtæ. Noſtrum erit, poſtea probare conſequentiam, & oſtendere non ſequi admittendum eſſe à nobis futurum conditionatum ex parte actus.

Reſpondent alii, & Viues cum ipſis,
718 eas propoſitiones eſſe quidem contradictorias ante decretum; & affirmatiuam pro ſigno ante decretum ſemper eſſe falſam, quia pro eo ſigno numquam erit conſenſus; negatiuam autem eſſe veram. v. g. *Petrus non conſentiet*, ſi ſumatur negatiuè, ſeu præſciſſiuè; ſi verò ſumatur poſitiue contrariè excludendo conſenſum per negationem liberam illius, vtramque propoſitionem aiunt eſſe falſam, quia pro eo priori neque eſt futurus conſenſus, neque illius carentia, ſed præſcinditur ab vtroque; ſicut præſcindit ſignum, quo voluntas in actu primo intelligitur indifferens ad conſenſum, & carentiam illius: ſicut ergo pro eo ſigno verum eſt dicere præſciſſiuè, quod neque eſt exiſtens neque futurus conſenſus; ita pro ſigno ante decretum verum eſt præſciſſiuè, quod neque eſt exiſtens, neque futurus conſenſus: Inſuper, ſicut in ſigno poſſibilium, & indifferentiæ noſtræ voluntatis, neque eſt verum dicere eſſe conſenſum, neque carentiam illius; quia aliter pro eo ſigno non maneret electio; ita pro ſigno ante decretum, neque eſt verum dicere eſſe conſenſum, neque carentiam illius: Vnde neque eſt verum dicere: *erit conſenſus*, neque dicere *Non erit*, ſcilicet poſitiuè contrariè.

Cæterum, quamuis doctrinam iſtam de contradictoriis pro ſigno indifferenti quale eſt poſſibilium, & indif- 719
ferentiæ noſtræ voluntatis, ante omnem ipſius determinationem, veram exiſtimem: pro ſigno tamen in quo ſtat determinatio, vel præſens, vel pro aliqua differentia temporis ad vnam partem potius quàm ad alteram, falſiſſimam ſemper cenſui, nec in hac parte poſſunt Thomiſtæ nobis eſſe contrarii: ſed ante omne decretum actu exiſtens datur ſignum alicuius determinationis, vel præſentis, vel pro aliqua differentia temporis ad vnam partem potius, quàm ad alteram: Ergo & propoſitiones poſitiuè contradictoriæ: ergo quæ determinare vera eſt, arguit futurum conditionatum determinatè verum. Nec momenti eſt, quòd nobis non conſtaret, quænam eſſet vera, vt tentat Viues diſp. 18. parte poſteriori num. 25. Quia ſatis eſt, quod Deo conſtet. Minor ergo probatur, quia in noſtra ſententia datur ante omne

decretum

decretum actu existens signum determinationis nostræ voluntatis sub conditione pro aliqua differentia temporis, in quo signo formamus eas propositiones contradictorias: In sententia verò Thomistarum datur similiter signum determinationis diuinæ per modum conditionis ante omne decretum actu existens, vt in hac propositione, *si Deus decerneret pœnitentiam, & Christus Tyriis prædicaret, pœnitentiam agerent:* In hoc ergo signo euidens est vnam propositionem ex contrariis esse positiuè veram, & aliam positiuè contrariè falsam, quod sufficit nobis ad determinatam veritatem futuri conditionati ante omne decretum actu existens.

SECTIO III.

Soluuntur obiectiones.

720 Obiicit primò Vines disp. 9. à num. 52. admissa scientia Media, non manere fundamentum ad confutandos Semipelagianos, asserentes dari causam prædeterminationis ex parte nostra: ergo reiicienda.

721 Respondeo negans antecedens, nam Semipelagiani asserebant primò, in adultis præcedere merita naturalia, & propter illa absolutè præuisa Deum conferre gratiam, ad perfectam fidem & vlteriorem iustificationem. Et contra hunc errorem stant omnia argumenta, quæ pro necessitate gratiæ etiam ad initium salutis armantur à Theologis cum Augustino. Asserebant secundò. Deum vni paruulo concedere Baptismum, eúmque alteri negare propter merita, vel demerita conditionata; quæ scilicet operati fuissent si vixissent; naturalia quoad initium, & ex gratia quoad perfectam fidem & vlteriorem iustificationem. Et contra hunc errorem stant omnia argumenta, quæ contra præcedentem; præterea illa omnia, quæ euincunt merita, aut demerita conditionata sufficientia non esse vt actu præmientur, vel puniantur à Deo. Asserebant tertiò Christum ideo prædicasse vni genti, non alteri, quia illi, & non isti præuidebantur similiter sub conditione prædicationis consensuri, facultate naturali quoad initium, & ex gratia quoad perfectam fidem, & vlteriorem iustificationem. Et contra hunc errem militant argumenta omnia, quæ contra præcedentes præ necessitate gratiæ; & insuper exemplum Tyriorum, qui præuidebantur consensuri, nec tamen illis prædicatum est. Scientia ergo Media innixa necessitate gratiæ, etiam quoad initium salutis, merita conditionata exhorrens, nec motiuum illud Christi ad prædicandum approbans, non exarmat acies argumentorum contra Semipelagianos; nec ratione illius vibrati Theologorum ictus vel leuissime retardantur.

In simili forma argumentum contorqueo. Admissa scientia conditionatorum in decreto prædeterminante, non stat fundamentum ad connfutandos Lutheranos, & Caluinistas negantes nostri arbitrij libertatem. Nam Deum prædeterminare meum consensum, vel non prædeterminare, non est in mea potestate: posito autem decreto præde- 722

terminante, non est in mea potestate
non consentire, vt fusè à nobis in
superioribus probatum est: ergo ni-
hil est in mea potestate: ergo nulla
libertas. Scio Thomistas catholicè
negare minorem. Cæterum dicant
mihi, qua ratione, ex suis principiis
contra eos hæreticos probari possit:
nam iudicium indifferens non suffi-
cit, quamdiu impeditum est ab ali-
quo antecedente ad vnum determi-
nato, quale est decretum prædeter-
minans. Vnde ergo à Thomista pro-
babitur arbitrij libertas aduersus Lu-
theranos, & Caluinistas.

Obiicit secundò à num.71. sequi ex
nostra sententia primò, prædestina-
723 tionem non distingui à generali pro-
uidentia, communi etiam reprobis.
Secundò, non esse ex speciali propo-
sito, & electione diuina. Id autem
est contra Patres, & Scripturas: ergo.
Sequela probatur. Quia dempto no-
stro consensu conditionato, & illius
præscientia, cætera omnia communia
sunt etiam reprobis, & prædestinatis,
& de se indifferentia, vt sint, & non
sint prædestinatio, & electio: ergo
prædestinatio neque esset specialis
prouidentia, neque speciale proposi-
tum, seu electio.

Respondeo negans sequelam. Ad
probationem concesso antecedente,
724 nego consequentiam, quia licet de-
cretum sit ab intrinseco indifferens,
vt sit, vel non sit prædestinatio, &
electio; adiuncta tamen præscientia
futuri ex illo consensus finalis est
prædestinatio, & electio & specialis
prouidentia.

Instare posses: ergo qui est causa
præscientiæ, erit quoque causa præ-
725 destinationis, saltem inadæquatæ: sed
noster consensus conditionatus est
causa præscientiæ: ergo & prædesti-
nationis, quod dici non potest. Mi-
nor probatur, quia si non esset con-
sensus, neque esset præscientia: er-
go tota ratio cur sit præscientia, est
consensus.

Respondeo, concessa priori con-
sequentia, negans minorem. Ad pro- 726
bationem concesso antecedente, nego
consequentiam. Quia etiamsi esset
consensus, si Deus non esset omnis-
ciens, posset non esse præscientia, vt
patet in nobis, atque adeo non con-
sensus, sed infinita virtus intelligen-
di est ratio, cur posito obiecto stet
præscientia. Explico solutionem; quia
licet prærequisita sit cognitio ad a-
morem, non ideo egó amo, quia co-
gnosco; sed quia volo, & licet præ-
requisita sit lingua ad loquendum, &
pedes ad deambulandum, non ideo
ego loquor, quia habeo linguam, nec
ideo deambulo, quia habeo pedes;
sed quia volo. Similiter dico, etiamsi
meus consensus conditionatus prære-
quisitus sit ad præscientiam, non ta-
men ideo præscit Deus, quia ego con-
sentio, sed quia infinita virtus in-
telligendi exigit se extendere ad om-
ne cognoscibile, eo ipso quod sit, vt
patet in scientia visionis.

Obiicit tertiò à num.72 Vel potest
Deus velle, & facere, vt ego liberè 727
consentiam cum eo auxilio, & cir-
cumstantiis, nulla addita vel detra-
cta, quibus præuideor, si ponantur,
dissensurus, vel non? si non potest,
diminuta est omnipotentia. Si potest,
demus de facto me consentire: ergo
falsa erat illa præscientia, qua ego
sub illo auxilio, & circumstantiis
præuidebar dissensurus: falsa item
futuritio mei dissensus sub illa con-
ditione.

Respondeo. Si in illis circumstan-
tiis inuoluatur meus dissensus sub
conditione

conditione, aut illius præſcientia non poſſe Deum velle, & facere, vt ego cum eo auxilio, & circumſtantiis conſentiam, quia ex ſuppoſitione quod ego diſſentiam, implicat conſentire, atque adeò nec Deus id facere, aut velle poteſt: Quòd autem Deus, nec velle, nec facere poſſit quod implicat, non minuit potentiam, ſed laudat. Si verò in illis circumſtantiis præſcindatur à meo diſſenſu conditionato, & illius præſcientia, concedo poſſe Deum facere, & velle, vt ego conſentiam. Do ergo me conſentire: ergo falſa erat illa præſcientia, qua ego ſub illo auxilio & circumſtantiis præuidebar diſſenſurus; falſa item futuritio infallibilis mei diſſenſus ſub illa conditione: nego ſuppoſitum, ſcilicet dato quòd ego conſentiam, fuiſſe vnquam præſcientiam aut futuritionem mei diſſenſus.

728 Obiicit quartò à num. 112. Admiſſa ſcientia Media, poſſibilis eſt metaphyſicè caſus, in quo aliqua voluntas in omnibus rerum ordinibus, & ſub quibuſvis auxiliis, & circumſtantiis nolit conſentire: ergo Deus eum hominem non poſſet etiam de abſoluta potentia trahere ad liberum conſenſum, aut prædeſtinare. Reſpondeo, nullum eſſe inconueniens in eo, quòd Deus non poſſit trahere ad conſenſum, aut prædeſtinare eum hominem ex ſuppoſitione, quod ipſe nolit conſentire; quia ſi traheret, ſimul conſentiret, & non conſentiret, quia nollet; conſentiret autem, quia traheretur à Deo ad conſenſum. Vt autem Deus poſſit quemcumque hominem prædeſtinare, ſatis eſt caſum illum eſſe moraliter impoſſibilem.

729 Inſtabis. In oppoſita ſententia nullum admittente caſum adhuc metaphyſicè poſſibilem, in quo Deus non poſſit hominem prædeſtinare, magis ſine dubio extollitur diuina potentia, & dominium, quàm in noſtra: ergo. Reſpondeo, negans antecedens, quia in ſententia decretorum prædeterminantium tantùm admittitur potentia, & dominium in noſtros actus, deſtruens libertatem; qua ratione non negamus poſſe Deũ trahere hominem, quò voluerit. Cæterùm, cum priuetur Deus potentia, & dominio conſulenti noſtræ libertati, magis amplum admittitur ab Authoribus ſcientiæ media dominium Dei in noſtros actus, quàm à Thomiſtis.

Obiicit quintò à num. 127. Admiſſa ſcientia media, Deus tentans, inſcius, & ſuſpenſus procederet, ad quod vitandum à nobis inuenta eſt: ergo. Antecedens probatur, quia ſi Deus actu prouideret auxilium ſine ſcientia media, tentans, inſcius, & ſuſpenſus id præſtaret: atqui ſcientia media ſupponit, & exigit Deum antecedenter ad ipſam prouidentem auxilium: ergo ſupponit & exigit Deum tentantem, inſcium, & ſuſpenſum procedentem. Minor probatur, quia ſcientia media ſupponit & exigit futurum conditionatum cum omnibus ſuis cauſis, & requiſitis, à quibus dependet: ergo ſupponit, & exigit Deum prouidentem auxilium. 730

Reſpondeo negans antecedens, ad probationem conceſſa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem diſtinguo antecedens, ſcientia media ſupponit futurum conditionatum cum omnibus ſuis cauſis & requiſitis, per modum conditionis præſcindentis ab exiſtentia & non exiſtentia, concedo: Reipſa abſolutè exiſtentibus, aut futuris, nego. Et nego conſequentiam. Tum quia ſcientia media 731

 ſolùm

solùm supponit Deum *si prouideret*, quod non est prouidere. Tum etiam, quia procedere cæco modo non se habet respectu status conditionati, sed absoluti. Mam futurum conditionatum nihil est, sed esset, si poneretur conditio; atque adeò Deus non prouidet respectu illius, sed prouideret si conditionem poneret. Vnde cæcus tantum esset, tentans, & suspensus, si dum poneret conditionem, non videret: dum autem conditionem ponit, iam videt, atque adeò cæcus nunquam fuit, nec tentans, aut suspensus.

732 Rem exemplo à Christo Domino approbato confirmemus. Nam Lucæ 14. laudat Christus eum, qui prius sumptus computat necessarios, antequàm turrim ædificare incipiat; & Regem qui commissurus bellum aduersus alium regem, sedens priùs cogitat si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se. Ponamus ergo, Regem certissimè scientem, quod si exercitum paret & inimicum inuadat, vincet illum. Quis somniabit asserere, eum regem parando exercitum, & inimicum inuadendo, tentantem, inscium, & suspensum procedere, eo quòd veritas illius futuri conditionari eius scientiam præcesserit? sanè Christus huiusmodi prouidentiam laudat, & commendat tanquam perfectam & prudentem. Sapientis enim, prudentis, & videntis non est, scire quid foret ante factam suppositionem principiorum; sed scire quid foret ea suppositione facta: facta autem suppositione, scilicet, *si darem hoc auxilium*, Deus iam scit quid foret ex illo, vnde cæcus, imprudens, aut tentans nunquam fuit.

733 Ratio disparitatis inter statum absolutum, & conditionatum latissima est. Nam in statu conditionato Deus non decernit, non vocat, non prouidet, non præparat concursum; sed hæc omnia pendent per modum conditionis præscindentis ab existentia, & non existentia, hoc modo, *si decernerem, si vocarem, si prouiderem, si præpararem*. In statu verò absoluto ea omnia, quæ in conditionato pendebant per modum conditionis, determinantur ad existendum, non à nobis (quod aduertas) sed à Deo, & Deus decernit, vocat, prouidet, & præparat concursum. Inde aliqua scientia media necessaria est in statu absoluto, ne Deus tentans, inscius, & suspensus procedat, modo infrà exponendo, non verò in statu conditionato.

SECTIO VI.

Reliqua obiectiones eneruantur.

Obiicit sextò à num. 140. scientia media inuenta est ad conciliandam diuinam prædestinationem cum libertate creata: ad hoc autem inutilis est: ergo reiicienda. Minor probatur, quia si prærequisita ad actum liberum ante scientiam mediam, tollerent libertatem futuro conditionato, etiam post ipsam tollerent libertatem eidem futuro absoluto: & si ante scientiam mediam non tollerent, neque tollerent post ipsam: ergo etiamsi non esset scientia media, non tollerent prærequisita libertatem: ergo conciliaretur diuina prædestinatio, cum libertate nostra, etiamsi non esset scientia media. 734

Respondeo, scientiam mediam inuentam 735

uentam esse primariò ad cognoscendum futurum conditionatum. Deinde distinguo maiorem. Scientia media inuenta est ad conciliandam diuinam prædestinationem cum libertate creata, formaliter & immediatè per se ipsam, nego: ratione prærequisitorum indifferentium, & exclusione prædeterminantium, concedo. Et nego minorem, nam ad prærequisita indifferentia est valde vtilis scientia media. Ad probationem, concesso Antecedente distinguo consequens; etiam si non esset scientia media, non tollerent libertatem, si essent prærequisita indifferentia, concedo. Sed nego tunc extitura ea prærequisita, propter inconueniens expensum in obiectione præcedenti. Vnde neque staret creata libertas; atque adeò semper verum est, beneficio scientiæ mediæ stare libertatem creatam, & cum diuina prædestinatione componi.

736 Obiicit septimò à num. 146. omnia argumenta, quibus nostri doctores disputant inter se circa necessitatem scientiæ mediæ, tam ex parte actus nostri, quàm ex parte Dei. Quia tamen ea omnia speciali disputatione à nobis libranda sunt, nunc omittimus. Tum etiam, quia ad rem non sunt pro quæstione, An sit, vel non sit scientia media.

737 Obiicit octauò tota disp. 10. argumenta sæpius repetita, ad probandum, non dari ante decretum actu existens in Deo, certam & infallibilem futuritionem contingentium. Hæc tamen omnia comminuta & contrita à nobis sunt disp. 1. sect. 4. & disp. 3. sect. 3 videas ibi.

738 Obiicit nonò disp. 11. à num. 23. Ante decretum diuinum absolutum ex parte actus purificandi conditionem, nulla stat determinatio voluntatis adhuc conditionata, in ordine ad consensum potius quàm dissensum: ergo neque stat obiectum scientiæ mediæ, neque determinatio ante decretum. Antecedens probatur, quia ante decretum absolutum purificandi conditionem, nihil stat inclinans potius ad consensum, quàm dissensum: ergo nulla determinatio.

Confirmat num. 40. Voluntas creata ad illud habet, vel habere potest, determinationem conditionatam, ad quod habet vel habere potest determinationem absolutam in tēpore posita conditione: atqui si per impossibile ponatur simul in duplici ordine ex oppositis, in quorū scilicet vno præuidetur consensura, & dissensura in alio; non habet neq; habere potest in tēpore determinationē absolutā ad vnā partē, quam non habeat etiam ad aliam: imò maneret sine aliqua determinatione ad vtramque: ergo si ab æterno consideretur potens poni, aut sub conditione quod poneretur in vtroque ordine ex oppositis, non habet neque habere potest determinationem conditionatam ad vnam partem, quam non habeat etiam ad aliam; imo manebit sine aliqua determinatione ad vtramque partem etiam conditionatè. Minor probatur, quia ex suppositione quod voluntas creata præuidearur à Deo consensura in ordine A. & dissensura in ordine B. & Deus ponat eam in vtroque ordine simul; tunc aut simul consentiret, aut dissentiret, quod implicat; aut re vera nihil faceret, quia vna determinatio tolleret aliam, & è contra, & vtrâque ablatâ voluntas maneret in æquilibrio indifferens. Sicut si in statera ponatur ex vtraque parte pondus æquale, quantumuis pondus in infinitum crescat, si tamen semper 739

crescit æqualiter ex vtraque parte, ipsum pondus ex vtraque parte tenet statetam inæqui librio, & illam non inclinat magis in partem alteram: ergo si voluntas ponatur simul in vtroque ordine ex oppositis, nempe assensus & dissensus; non potest habere determinationem absolutam ad vnam partem, quam non habeat ad aliam, imò manebit cum omnimoda indeterminatione ad vtramque partem.

740 Ante omnia pro solutione huius mirabilis obiectionis; rogo quid ageret voluntas, si in vtroque ordine opposito in sententia Thomistarum, per impossibile poneretur? vel enim ageret vtrumque, consensum scilicet, & dissensum, & hoc non; quia vt argumentum aiebat, vna determinatio tollit aliam, ergo maneret sine vlla determinatione, vt inferebat confirmatio, & constitueretur in æquilibrio, atque adeò indifferens, & nō magis determinata ad cōsensum, quàm dissensum; sicut statera manet in æquilibrio si pondus crescat æqualiter ex vtraque parte etiam in infinitum: ergo etiamsi in vtroque ordine crescerent æqualiter in infinitum decreta prædeterminantia, semper manebit voluntas in æquilibrio, nec potius ad vnam quàm ad alteram partem determinata. Quid ergo succi habet obiectio ista cum sua confirmatione contra scientiam Mediam, quem emungere non possimus contra scientiam conditionatorum in decreto prædeterminante?

741 Respondeo igitur, negans antecedens. Ad probationem concedo libenter, nullam esse inclinationem in voluntate in actu primo constituta, connexam potius cum consensu, quàm dissensu; sed esse indifferentiam ad vtrumque. Nego tamen consequentiam. Ad confirmationem respondeo, Quod si per impossibile voluntas in vtroque ordine opposito constitueretur, consentiret simul & dissentiret, & vtramque determinationem haberet. Exemplum autem æquilibrij nimis materiale est, & inanime; vnde sole clarior disparitas eluceſcit. Æquilibrium enim liberum non est, vt vnam in partem potius quàm alteram inclinet; voluntas verò est libera, & suorum actuum domina. Vnde stante indifferentia ad vtrumque potest pro suo dominio, & libertate inclinare, & determinare se ipsam, quò voluerit.

Obiicit decimò totâ reliquâ disp. 11. argumenta omnia, quæ à nostris Doctoribus proposita sunt circa decretum purificandi conditionem ex scientia Media, quæ nos omittimus nunc, quia propria circa hanc difficultatem instituetur infrà disputatio. Similiter à disp. 12. vsque ad 17. obiicit & congerit Viues omnia argumenta, quibus nostri doctores disputant inter se circa obiectum scientiæ Mediæ, quæ etiam soluentur infrà. 742

Obiicit Vndecimò disp. 17. à num. 44. contra decreta prædefinientia, non qua parte existimant aliqui lædere libertatem, sed qua parte ingrediuntur obiectum scientiæ Mediæ. Vel decreta prædefinientia ingrediuntur obiectum scientiæ Mediæ, & Deus per scientiam mediam videt actum & effectum futurum dependenter à præ-definitione. Vel in illo obiecto non fit aliqua mentio decretorum prædefinientium, sed videt Deus futurum independenter à præfinitione. Atqui vtroque modo est incompossibilis scientia Media cum decretis prædefinientibus. Ergo scientia Media defendi non potest, nisi decreta prædefinientia eliminentur, 743

eliminentur,&e cōuerso decreta prædefinientia defendi non possunt nisi scientia Media reiiciatur. Respondeo, decreta prædefinientia non ingredi obiectum scientiæ directæ, ingredi tamen obiectum scientiæ Mediæ reflexæ; à neutra verò repræsentari effectum dependentem per se à prædefinitione, sed à reflexa repræsentatur per accidens tantum dependens. Scientia Media directa dicitur illa, quæ cognoscit, quid foret si causæ per se & essentialiter requisitæ ponerentur: Reflexa verò, quid foret, si causæ etiam pe accidens ponerentur. Et nego minorem illam, scilicet hoc modo esse incompossibilem scientiam mediam cum decretis prædefinientibus.

744 Instat num. 50. Quia si ex parte conditionis non ponitur aliquid certò inducens consensum, non potest esse infallibilis scientia, quia obiectum illud est omnino incertum: ergo. Confirmat, quia si obiectum scientiæ Mediæ præuidetur futurum independenter à prædefinitione, & postea fit futurum in statu absoluto dependenter ab ipsa prædefinitione: ergo quando Deus prædefinit effectum in statu absoluto, inuertit ordinem quem viderat in statu conditionato; quia res videtur in statu absoluto dependens à prædefinitione, in conditionato verò videbatur independens quod absurdum esse, non est qui non videat.

745 Respondeo negans antecedens, centies ab hoc authore repetitum, & à nobis radicitus auulsum, & supplantatum, tum disp. 1. tum. 3. Ad confirmationem respondeo, scientiam Mediam directam præuidere effectum independenter à prædefinitione, reflexam verò dependenter tantùm per accidens: quod totum ponitur in statu absoluto, quando Deus prædefinit actum, atque adeò non inuertitur status conditionatus, sed idem omnino qui erat conditionatus, fit absolutus.

Instabis. Si prædefinitio ingrediatur obiectum scientiæ Mediæ, non esset scientia contingens, sed necessaria: Ergo, antecedens probatur, quia ex prædefinitione non sequitur contingenter effectus: ergo necessariò. Antecedens probatur, quia hæc veritas est omnino necessaria: si esset prædefinitio, esset consensus. Respondeo, scientiam Mediam reflexam, quæ sola repræsentat prædefinitionem tanquam conditionem, repræsentare quidem effectum necessariò, non absolutè, sed ex suppositione, nam ita & non aliter necessarium est, me consentire posita prædefinitione. Nam prædefinitio licet si essentialiter ad vnum determinatè, est tamen impedibilis à voluntate, vt vidimus disp. 10. sect. 6. 746

Obiicies duodecimò. Si daretur scientia Media, neque esset libera, neque necessaria: id implicat: ergo. Maior probatur: imprimis non esset necessaria, quia potuit non esse in Deo, cùm potuerit voluntas creata non consentire, quo casu non fuisset in Deo scientia mei consensus, idemque est de scientia mei dissensus. Deinde, neque esset libera, quia antecederet omne decretum liberum diuinæ voluntatis: ergo. Respondeo, scientiam Mediam tam consensus quam dissensus, neque esse liberam, neque necessariam, sed Mediam inter vtramque, scilicet contingentem ex parte obiecti, quia obiectum potuit non esse, & consequenter ipsa scientia. 747

Obiicit vltimò Viues disp. 11. à num. 254. Principia scientiæ Mediæ

non cohæret cum doctrina Catholica stabilita ab Innocentio X. damnante quinque propositiones Iansenij: ergo reiicienda est. Anteced. probatur, nam inter alias, hæc duplex propositio damnatur Hæresis. Prima. *Aliqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus, & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.* Modò sic: Homo iustus positus in occasione *A*, & vocatus vocatione *B*, in quibus præuisus est dissensurus, secundùm præsentes, quas habet, vires, non habet actu decretum diuinum, quo ponatur in occasione *C*, & vocetur vocatione *D*, in quibus præuidetur consensurus: ergo homo iustus secundùm præsentes, quas habet vires, non potest in sensu composito implere Dei præcepta, quod est contra Pontificis definitionem. Patet consequentia, quia secundùm præsentes, quas habet vires, præuidetur iustus dissensurus, & non consensurus, cum qua præscientia impossibile est consentire, & non dissentire. Similia sunt quæ obiicit ex secunda propositione damnata ab Innocentio, scilicet: *Interiori gratiæ, in statu naturæ lapsæ, nunquam resistitur.* Tertia propositio similiter damnata est. *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* Quæ propositio difficilè vitatur ab assertoribus scientiæ mediæ. Nam decretum purificandi conditionem, intrinsecè connectitur cum præscientia futuri dissensus ex vocatione *B*, in occasione *A*, ergo cùm ea præscientia inconiungibilis sit cum consensu, purificata conditione, non est voluntas libera à necessitate dissentiendi, quamuis libera sit à coactione. Patet consequentia, quia libertas à necessitate ad consentiendum, dicit potestatem ad coniungendum decretum purificans conditionem cum consensu, & consequenter ad coniungendam præscientiam dissensus à qua pendet decretum cum consensu.

Mirabilis sanè est obiectio ista, & 748
quam quisque facillimè poterit in suum authorem & vniuersos Thomistas contorquere, & quæ sola indiget simplici nostræ doctrinæ intelligentia. Non omittam illationem, quam infert ex nostris principiis, num. 256. videlicet, apud nostros Doctores, coincidere potentiam in sensu composito ad resistendum motioni, & actualem resistentiam aliquando exercitam eidem vocationi. Fallitur aduersarius, potestas enim ad resistendum motioni in sensu cōposito, non dicit actualem resistentiam aliquando exercitam, sed resistentiam non implicaturam, si exerceretur; ad quod non opus est, quòd aliquando exerceatur. Respondeo ergo, iustum secundùm præsentes, quas de facto habet vires, & quibus dissensus præuidetur, habere potestatem non quidem coniungendi præsciētiam cum consensu, sed potestatem consentiendi impediendo eam præscientiam, & dissensum. De quo latè & ex professo disputationibus sequentibus. Secunda verò probatio desumpta ex tertia propositione, falsò supponit decretum purificandi conditionem esse intrinsecè connexum cum determinata præscientia futuri dissensus, vt morosè ostendam disp. 15. præcipuè sect. 5. & 6. Imo damnatio illius propositionis altè auxiliatur authoribus scientiæ mediæ. Nam voluntatem esse liberam à coactione, est operari absque

violentia

violentia, qua ratione Beati diligunt Deum, & bruta appetunt obiecta sibi conuenientia: atque adeò voluntatem esse liberam à necessitate, aliud esse non potest, quàm operari cum indifferentia ad vtrumque; quam indifferentiam tanquam firmissimum suæ sententiæ fundamentum, supponunt omnes authores scientiæ mediæ, contendentes eam indifferentiam destrui à prædeterminantibus. Si cui ergo fauet Innocentij definitio, potius ad authores scientiæ mediæ inclinat, quam ad prædeterminantes.



DISPVTATIO XIV.

De obiecto scientiæ mediæ, tam directæ, quàm reflexæ.

749 DVplicem distinguimus scientiam mediam, vnam directam, quæ cognoscit, quid foret si principia per se, & essentialiter requisita, tam ad consensum, quàm ad dissensum ponerentur; alteram reflexam, quæ repræsentat quid fieret, si principiis per se ad vtrumque requisitis, alia simul principia per accidens iungerentur. Obiectum vtriusque scientiæ tam directæ quam reflexæ duplex est, vnum per modum effectus, & est res illa quæ esset vel non esset, si conditio poneretur, de quo satis hactenus disputatum est. Aliud per modum conditionis, & sunt ea omnia, quæ sub particula illa *si* comprehenduntur. Ex quibus alia sunt creata, videlicet auxilia intrinseca, & comitantes circumstantiæ, quæ omnia ex tractatu de auxiliis supponuntur à nobis indifferentia, seu coniungibilia tam cum consensu, quàm dissensu. Alia verò sunt increata, scilicet decretum dandi auxilium, & præparandi omnipotentiam ad vtrumque. Et de his est præcipua difficultas.

SECTIO I.

Quale sit decretum præparandi omnipotentiam ad actus liberos.

COnstans est nostris Doctoribus contra prædeterminantes, non 750
posse stare libertatem arbitrij, applicante diuinam omnipotentiam decreto prædeterminante. Vnde vnanimes inferunt, huiusinodi decretum debere esse indifferens, & compossibile cum vtroque extremo libertatis. Diuiduntur tamen inter se, sitne conditionatum, vel absolutum inefficax?

Prima sententia asserit, decretum 751
applicans omnipotentiam esse conditionatum, ita habens: *Volo concurrere ad amorem, determinante ad illum voluntate, & ad odium si ipsa similiter determinauerit.* Ita Soarius in opusculis lib. 1. cap. 15. num. 3. & disp. 22. metaphysicæ sect. 4. num. 14. Molina in concordia quæst. 14. art. 15. disp. 26. & 32. & 1. parte quæst. 19. art. 3. disp. 3. Ruiz de scientia Dei disp. 25. sect. 10.

Secunda sententia asserit, non esse 752
conditionatum, sed absolutum inefficax, id est cum neutro extremo libertatis connexum, ita se habens:

volo quantum est ex me amorem, & odium ad seruanda iura libertatis. Ita Arriaga in physicis disp. 10. sect. 2. & de Voluntate Dei disp. 25. sect. 3. subsect. 5. Ouiedus in physica Contro. 10. puncto 4. §. 4. Hoc tamen differunt huiusmodi voluntates inefficaces, aut conditionatæ in omni sentẽtia; Quòd voluntas operis honesti habet sibi imbibitam, vel coniunctam complacentiam, & desiderium existentiæ talis operis, quod his verbis satis apte explicatur; vtinam esset amor, quem volo. Voluntas verò operis praui habet sibi imbibitam, & coniunctam displicentiam, & nolitionem existentiæ, quod his verbis optimè declaratur: vtinam non esset odium, quod volo ad seruanda iura libertatis. Et hinc constat apertè discrimen concurrendi Dei in opus bonum & malum, & cur Deus permissiuè tantùm ad inhonesta opera concurrat.

753 Tertia sententia licet circa opus bonum admittat decretum illud absolutum inefficax, vel conditionatum, existimat tamen Deum non posse velle positiuè & formaliter, adhuc inefficaciter, aut conditionatè actionem malam. Quare ita explicat decretum applicans omnipotentiam: volo quantum est ex me amorem, & nolo impedire odium ad immunitatem libertatis. Ita aliqui recentiores.

754 Quarta sententia est P. Alarcon de scientia Dei tractatu 2. disp. 5. cap. 8. §. 2. & 3. duplex decretum in Deo constituentis, vnum vniuersale, quo Deus se obligat ad concurrendum cũ omnibus causis iuxta earumdem naturam, & exigentiam; alterum speciale, ortum ex primo se solo sufficiens, & indifferens ad vtrumque extremum libertatis, vt ipse explicat num. 40. in quo cum aliqua ex præmissis sententiis consentire tenetur. Vnde clarè constat, quàm superfluum, & absque fundamento sit primum illud decretum. Quare examinandæ tantum restant tres priores sententiæ.

Asserendum est primò, dari in Deo voluntates inefficaces, & indifferentes compossibiles tam cum effectu, quem intendunt, quàm cum opposito illius. In hanc conclusionem, tanquam in firmissimum nostræ sententiæ cardinem, conspirant vniuersi Societates Doctores, & quotquot sunt exteri pro nostra sententia. Huius conclusionis veritati adstant omnia argumenta, quæ contra decreta prædeterminantia parauimus disp. 10. 11. & 12. omnipotentia enim applicanda est ad vtramque partem aliquo decreto: non potest decreto absoluto, & efficaci applicari; aliter existeret simul vtraque pars libertatis, quod implicat: ergo applicanda est decreto inefficaci, & ad vtrumque indifferenti. 755

Amplius robotatur. Primò ex Scriptura, Ezechielis 33. ait Deus. *Nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat.* Et prima ad Thessalonicenses 4. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* Et 1. ad Timoth. 2. *Deus vult omnes homines saluos fieri:* at non omnes peccatores conuertuntur, nec omnes sanctificantur, nec salui fiunt: ergo neque erga omnes habet Deus voluntatem efficacem conuersionis, sanctificationis, neque salutis æternæ: ergo inefficacem. Idem confirmat Christus Dominus in oratione Dominica Matthæi 6. *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*: si autem omnis voluntas efficax esset, primò otiosa esset petitio; secundò, æquè adimpleretur in cælo, ac in terra, quod dici non potest, cum omnis 756

omnis voluntas Dei efficax in terra adimpleatur.

757 Respondent aduersarij, his & aliis testimoniis solùm contineri voluntatem signi: id est significari, esse in Deo eiusmodi voluntatem, re tamen ipsa non esse. Conferenda est responsio cum Scriptura: ista enim ait, Deum velle, Thomistæ dicunt, non velle, sed significari tantum Deum velle. Vide cui credendum. Deinde, qui dicit se velle, cum non vult, mentitur, quia significat se velle, cum non velit: sed Deus dicit se velle, & reuera non vult: ergo mentitur. Confirmatur, nam Actorum 7. arguit Stephanus Iudæos, *Vos semper Spiritui Sancto resistitis*: at Iudæi non resistebant voluntati efficaci: ergo inefficaci: aliter in nullo ei restitissent, atque adeò Stephanus mentitus fuisset.

758 Ratione probatur. Primò, nam peccatores resistunt diuinæ voluntati: at non resistunt, nec resistere possunt voluntati efficaci: ergo inefficaci. Maior passim traditur in Scripturis. Minor constans est Catholicis. Consequentia autem optima est, non enim est voluntas media inter efficacem, & inefficacem, cui resisti possit. Secundò, quia voluntas diuina præceptiua vult exequutionem operis præcepti: at non vult semper efficaciter, cum non semper impleatur: ergo inefficaciter. Dices voluntatem præceptiuam in eo qui non adimplet præceptum, solam velle obligationem, quæ stat cum transgressione præcepti, sicut vouens potest se obligare, absque voluntate adimplendi votum. Contra tamen, quia licet id in nobis contingere possit; Deo prorsus videtur indignum, præcipere mihi efficaciter amorem sui, & nolle efficaciter, vt ipsum amem: ergo.

Verùm dum contra Thomistas agitur, ratio omnium maxima est authoritas S. Thomæ: at hæc stat pro nobis: ergo. Minor probatur, nam. 1. sententiarum dist. 47. tota quæstio. 1. duplicem in Deo distinguit voluntatem, vnam antecedentem & indifferentem ad vtrumque extremum libertatis, cui nos quod placuerit, coniungere possumus: aliam consequentem, contra quam nihil potest homo: ergo ex mente S. Thomæ, datur in Deo voluntas indifferens, & inefficax. Confirmo, nam ibidem art. 2. corpore, docet permissionem diuinam se habere ad vtrumque, ex quo infert: *Vnde neutrum oppositorum contra permissionem est, sed vtrumque est secundùm eam*: at si permissio esset voluntas efficax, non posset esse ad vtrumque, & vnum oppositorum esset contra illam: ergo. 759

Assero secundò, omnipotentiam diuinam applicari ad opus bonum per voluntatem inefficacem concurrendi ad illud, siue sit absoluta, siue conditionata; de quo inferiùs. In hoc assertum conueniunt omnes illæ sententiæ. Et probatur clarè, quia voluntas applicans omnipotentiam, non potest esse efficax, quia hæc nequit esse ad vtrumque extremum libertatis ex num.... nec cum libertate componi ex disp.... Ergo debet esse inefficax, cum medium non sit. Hanc voluntatem ita explico: Volo quantum est ex me, concurrere ad amorem, determinante ad illum voluntate. 760

Assero tertiò. Posse Deum suam omnipotentiam applicare ad actum prauum, per decretum inefficax, formaliter volens concurrere ad illum. Probatur primò, quia id non dedecet Deum: ergo possibile est Deo. Antecedens probatur, quia non dedecet Deum, velle formaliter id, quod 761

non dedecet ipsum operari: at non dedecet deum formaliter & immediatè operari actionem malam: ergo neque velle formaliter illam. Confirmatur: vel Deum concurrere vnà cum creatura ad peccatum, est malum ipsi, vel bonum? Si malum: ergo non concurret: si bonum, ergo poterit formaliter eo modo velle concurrere, quo bonum est ipsi. Confirmatur iterum: Bonum est Deo, imò & necessarium determinante creatura ipsum concurrere; id enim exigit, & dependentia creaturæ, & causalitas causæ primæ: ergo determinante se creatura ad peccatum, bonum, & necessarium est Deo concurrere ad peccatum: ergo poterit Deus velle formaliter illum concursum modo quo sibi bonus est, & necessarius: ergo poterit formaliter velle concurrere ad peccatum, determinante se ad illum voluntate.

762 Probatur secundò. Quia non dedecet Deum velle interpretatiuè concurrere ad malum, vt fatentur recentiores illi: ergo neque velle formaliter. Probo consequentiam, quia malum quod inficit voluntatem formalem illius, quoque inficit interpretatiuam, vt perspicuum est in peccatoribus delectabilitatem formaliter appetentibus, & malitiam, tantùm interpretatiuè: ergo vel non potest Deus velle interpretatiuè malitiam, vel poterit formaliter. Confirmatur: obiectum interpretatiuè volitum, est intra sphæram potentiæ volentis: at quælibet potentia, vna dempta quæstione, potest formaliter attingere obiectum sub ditione sua contentum: ergo, & diuina voluntas poterit velle formaliter concurrere ad peccatum, cum possit id interpretatiuè velle.

763 Assero quartò, non applicari sufficienter omnipotentiam ad peccatum per nolitionem impediendi peccatum. Probant aliqui primò, quia omnis concursus Dei debet esse à Deo formaliter, & positiuè volente. Probant consequentiam, quia vt effectus sit voluntarius respectu non impedientis, opus est vt teneatur illum impedire: at Deus non tenetur impedire concursum peccati: ergo iste non erit Deo voluntarius, nolenti eum non impedire. Hæc tamen ratio vera est de voluntario, quod peccatum est, vt enim mihi sit voluntarium imputabile homicidium, nolenti illud impedire, opus est vt tenear illud impedire; falsa tamen est de omni voluntario, nam actiones indifferentes filiorum voluntariæ sunt parentibus potentibus, & nolentibus eas impedire; quamuis non teneantur eas impedire. Et mihi potenti, & nolenti excitare dormientem, voluntarius est somnus, quamuis non tenear illum impedire.

Probatur igitur conclusio primò, 764
quia omnipotentia non applicatur sufficienter ad actum honestum per nolitionem impediendi illum, vt fatentur aduersarij, exigentes voluntatem formalem positiuè concurrendi: ergo neque sufficienter applicabitur ad actum prauum per nolitionem impediendi illum. Consequentia optima est, quia sicut nolitio impediendi actum honestum, erit virtualis voluntas illius: ergo si hæc non est sufficiens applicatio, neque illa erit. Dices vtramque nolitionem sufficere ad applicandam omnipotentiam, quia tamen possibilis est Deo voluntas formaliter & positiuè volens concursum honestum, aptius per istam applicari. Contra tamen, quia etiam possibilis est Deo formalis voluntas concursus praui, vt vidimus num. 761. ergo aptius per eiusmodi volitionem applicabitur.

Secundò, & præcipuè, quia nolitionē 765
impediendi

impediendi peccatum, esse virtualem aut interpretatiuam voluntatem illius, non est aliquid in voluntate, sed denominatio extrinseca à scientia Media: at denominatio extrinseca à scientia non potest applicare omnipotentiam, vt constans est omnibus: Ergo. Maior probatur, quia nolitio impediendi est notitio auxilij, cui præuideatur à Deo voluntas consensura: atqui nolitio auxilij cui præuidetur voluntas consensura, potuisset esse in Deo, quamuis præuideretur volūtas dissensura, & tunc non esset interpretatiua voluntas peccati, cum esset nolitio efficax auxilii inefficacis: ergo nolitioni impediendi peccatum extrinsecum est, & contingens, esse interpretatiuam voluntatem peccati non ab alio quàm à præuisione peccati: ergo. Minor probatur, quia si nolitio auxilii efficacis præuisi, non posset esse in Deo absque præscientia futuri consensus, & cum præscientia futuri dissensus, prorsus rueret humana libertas: ergo. Sequela probatur, quia si non posset esse in Deo nolitio efficax auxilii, cui voluntas præuidetur consensura absque præscientia futuri dissensus in actu primo, præcederet actum secundum voluntatis scientia futuri dissensus: ergo non posset voluntas consentire, cum neque posset componere actum primum cum consensu, vt contra prædeterminantes agebamus disp. 10. Ergo.

766 Dices voluntatem interpretatiuam concurrendi ad peccatum, esse nolitionem efficacem gratiæ, ex qua præuidetur futurus consensus, & scientia media futuri dissensus, & hoc coniunctum applicare omnipotentiam, sicut cognitio, & habitus inclinant ad actus.

767 Contrà tamen, quia si volitio interpretatiua concurrendi esset coniunctum ex nolitione, & scientia futuri dissensus, non posset voluntas consentire, cùm neque posset coniungere consensum applicationi omnipotentiæ, quippe includenti scientiam futuri dissensus: ergo rueret humana libertas. Nec dici potest impotentiam illam esse comitantem, aut subsequentem, quia impotentia consentiendi oritetur ab applicatione omnipotentiæ, quæ antecedit omne exercitium liberum arbitrij. Vnde constat applicandam esse omnipotentiam ad actum prauum, per decretum inefficax formaliter volens concursum prauum, quod ita habet: Volo quantum est ex me, concurrere ad actum malum, ad saluandam libertatem creaturæ, & dependentiam illius à causa Prima.

An autem huiusmodi decretum inefficax, sit absolutum vel conditionatum ex parte obiecti, est dissentio; leuissimo tantum verborum suscitata fundamento. Nam si nomine conditionis veniat, quæ distincta est à re cuius est conditio, nullus nostrorum asseruit actionem, siue determinationem creaturæ esse distinctam ab actione Dei, atque adeò nullus in hoc sensu docuit decretum illud esse conditionatum. Solùm ergo contendunt doctores nostri verbis conditionatis ostendere, decretum applicans omnipotentiam velle concursum dependenter à determinatione creaturæ, quod velint noline admittere tenētur Arriaga & Ouiedus, hócque admisso nulla erat nouitatis necessitas. Nam nugatoria repetitio, quam obiiciunt, ipsos quoque obiicientes pungit, vt inferiùs ostendimus. 768

Assero igitur quintò. Applicari diuinam 769

uinam omnipotentiam per decretum non efficax, sed sufficiens, volens concurrere dependenter à determinatione creaturæ. Voca modo vt volueris, dum constet de re: rectius tamen vocabitur absolutum sufficiens, quàm conditionatum, aut inefficax, quia sicut auxilium in actu primo non dicitur efficax, nec inefficax, sed sufficiens, & indifferens; ita de decreto illo loquendum est, quippe constitutiuum actus primi liberi. Hæc est mens Soarij & nostræ Scholæ cum ipso. Probatur, quia Deus eo modo vult inefficaciter concurrere, quo concurrit: sed Deus non concurrit independenter à determinatione voluntatis, sed dependenter ab illa: ergo vult concurrere dependenter à determinatione creaturæ: ergo decretum applicans omnipotentiam est decretum volens inefficaciter concurrere dependenter à determinatione creaturæ; decretum igitur applicans ad actum bonum ita habet: Volo quantum est ex me, concurrere ad actum bonum, dependenter tamen à determinatione voluntatis. Et applicans ad actum malum, ita: Volo quantum est ex me, concurrere ad actum malum, dependenter tamen à determinatione creaturæ. An autem eiusmodi voluntates sint inter se diuersæ, vel non, res est parui momenti, & dirimenda in materia de voluntate: affirmatiua tamen pars verior est.

SECTIO II.

Soluuntur obiectiones.

170 Obiiciunt primò Thomistæ contra primam conclusionem, in qua admisimus in Deo voluntatem indifferentem, & inefficacem. Qui seriò vult aliquid fieri, quod existit in eius potestate, efficaciter vult fieri, & re ipsa facit: ergo si Deus seriò vellet omnes saluos fieri, & concurrere cum omnibus ad peccatum, vtrumque vellet efficaciter, & re ipsa exequeretur: hoc implicat: Ergo & seriò velle ad actus honestos, & inhonestos concurrere. Respondeo, maiorem falsam esse de effectu pendente à determinatione voluntatis alterius: nam licet Deus serio velit illum, cum tamen velit illum liberè fieri se ipso, impedit voluntatem efficacem destructiuam libertatis, locum dans inefficaci, qua & Deus applicat suam omnipotentiam, vt creatura possit, & ita possit, vt quod placuerit, possit eligere.

Obiicies secundò, decretum illud inefficax est indifferens: ergo non est sufficiens ad operandum. Distinguo consequens: non est sufficiens se solo, concedo; vnà cum voluntate, nego: nam licet habitus sint indifferentes, tamen vnà cum voluntate sufficientes sunt ad causandum, etiam in sententia Thomistarum. Et iudicium indifferens in eorumdem sententia sufficiens est ad causandum: ergo etiam decretum indifferens erit sufficiens. 171

Obiicies tertiò. Si Deus indifferenter vellet actus bonos, & malòs, non minus esset opus Dei proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli: ergo Deus non esset causa tantùm permissiua peccati, sed propria, & per se. Sequela probatur, quia æquè applicaret suam omnipotentiam ad opus bonum & malum: Ergo. Mirandi sunt Thomistæ ita obiicientes, & aliunde prædeterminantes ad peccatum. Respondeo, negans sequelam; ad probationem 172

probationem concesso antecedente, nego consequentiam, quia causa permissiua, aut propria, & per se non sumitur à præcisa applicatione indifferenti, sed ab illa simul, & complacentia, vel displicentia, consilio, aut prohibitione operis: at Deus applicans ad peccatum, id præstat ad seruandam libertatem, & munus causæ primæ displicens & prohibens peccatum: ad opus autem bonum applicat ex complacentia in illo inuitans, & sæpius præcipiens illud. Vnde fit esse causam propriam, & per se operis boni, & permissiuam tantum mali.

773 Obiicies quartò. Si Deus decreto indifferenti, & non prædeterminante præpararet suam omnipotentiam ad consensum v. g. fieret Deum non trahere hominem ad consensum, sed è contrà hominem trahere Deum: id autem est contra doctrinam Christi, asserentis Ioannis 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum:* ergo Deus non præparat decreto indifferenti, omnipotentiam suam ad consensum. Sequela probatur. Quia ille trahit alium ad consensum, qui eum determinat; & ille trahitur, qui determinatur, præparante autem omnipotentia decreto indifferenti, non Deus hominem, sed homo Deum determinaret ad consensum: ergo non Deus hominem, sed homo traheret Deum ad consensum. Confirmatur ex Augustino contra duas Epistolas Pelagij, sic scribente ad præsens illud Ioannis testimonium: *Non enim*, ait, *duxerit, vt illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem; Quis trahitur, si iam volebat?* nunc ita. Trahi ex Augustino, plus est quàm duci, duci autem est moraliter moueri: ergo trahi erit prædeterminari.

774 Respondeo negans maiorem, ad cuius probationem, nego etiam maiorem. Trahere enim illo Ioannis testimonio aliud non est, quàm imprimere motionem allicientem, & illuminantem arbitrium ad consensum: Deus autem imprimit huiusmodi motionem arbitrio, ideóque trahit hominem: arbitrium autem nullam valet Deo imprimere motionem, atque adeo neque trahere Deum. Ad confirmationem, concessa maiori, distingo minorem. Duci est iuxta Augustinum, moraliter moueri ad initium salutis, nego: ad perfectam iustitiam tantùm, transeat, & nego consequentiam, quia trahi solùm addit ex Augustino, moraliter moueri non solùm ad perfectam iustitiam, sed etiam ad initium salutis, siue ad desiderium veniendi ad Christum, quod negabant discipuli Pelagij: nec aliud toto illo capite contendit Augustinus, quàm ostendere nulla nostra merita præcedere Dei vocationem: ad infirmandum vtitur Augustinus exéplo Pauli, qui nihil boni volebat, quando à Deo vocatus est; imo spirans minarum æstuabat furore vindictæ, dum repente ex persequutore factus est Apostolus, nullis suis meritis præcedentibus.

Deum autem trahere hominem, non idem esse ac prædeterminare, clarè concluditur. Primò, quia Christus asserit. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit.* Thomistæ autem vnanimes docent, posse nos venire ad Christum, quin prædeterminemur; prædeterminationem enim non exigunt ad posse venire, aliter qui prædeterminati non fuerunt, nec venire potuissent; sed ad actu venire: ergo trahere Deum, non idem valet ac prædeterminare. Secundò, quia Christus Dominus ait Ioannis 1. *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me:* 775

&

& tamen exaltatus in Cruce non omnes prædeterminauit, licet omnes traxerit; sed moraliter mouere. Tertio, quia Oseæ 11. dicitur: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Et tamen postea additur: *noluerunt venire*: Si autem prædeterminati fuissent, nequaquam noluissent.

776 Confirmat Concilium Coloniense primum parte 7. cap. 32. ita statuens. *Quanquam nemo conuertatur ad Deum, nisi tractus per Patrem; attamen nemo excusationem prætexat, quòd non trahatur, quod ille semper stet ad ostiū pulsans nimirum; per internum, & externum verbum commonens, vt conuertamur à via nostra pessima.* Ita argumentor; si trahi esset prædeterminari, plures possent excusationem prætexere, quòd non trahantur, videlicet omnes illi qui non prædeterminantur: id autem manifestè est contra Concilium: ergo idem non est trahi, ac prædeterminari. Confirmo, quia modus quo Deus dicitur trahere hominem, explicatur à Concilio per internum, & externum verbum commonens vt conuertamur: id autem non indicat prædeterminans decretum, sed omnino indifferens, & expectans consensum.

777 Plaudit Augustinus tractatu 26. in Ioannem, vbi docet trahi homines voluptate, delectatione, amore: assumptum ibidem explicat exemplis. *Ramum*, inquit, *viridem ostendis oui, & trahis illam; nuces puero demonstrantur, & trahitur.* Et statim subiungit. *Si ergo ista, quæ inter delicias, & voluptates reuelantur amantibus, trahunt; quoniam verum est: Trahit sua quemque voluptas, non trahet reuelatus Christus à Patre?* Et de verbis Apostoli serm. 2. ait. *Nos trahi suauitate, & desiderio*, quæ omnia nec vestigium continent decreti prædeterminantis; sed sola ostensione, & delectatione bonorum arbitrium alliciente, existimat Augustinus nos trahi à Deo; sicut virens ramus trahit ouem, & nuces puerum.

Illustrat S. Thomas Ioannis 6. lect. 5. 778
vers. 3. quæst. 1. docens. *Homines trahi reuelatione interna veritatis, persuasione, operatione miraculorū, blāditiis, admirabili delectatione, & amore veritatis.* Quæ omnia & singula si attentè mediteris, nihil quod plusquàm moraliter moueat, & alliciat, reperies.

Obiicies quintò ex nostris Docto- 779
ribus, contra conclusionem vltimam, in qua docuimus, Deum suam omnipotentiam præparare per decretum volens concursum dependenter à determinatione voluntatis. Si Deus vellet concurrere dependenter à determinatione voluntatis, haberet decretum nugatorium: ergo non potest ita velle concurrere. Sequela probatur; quia determinatio voluntatis indistincta est à concursu Dei, cum sit actio fluens à Deo simul, & creatura: ergo velle concurrere dependenter à determinatione voluntatis, idem erit, ac velle concurrere dependenter à suo concursu; quod nugatorium est. Videant nunc Arriaga, & Ouiedus, quas nugas inuenerint in decreto conditionato, quas non patiatur decretum absolutum volens concurrere dependenter à determinatione voluntatis.

Hæc tamen obiectio soluenda est 780
ab omnibus, tum nostris tū Thomistis. Primò, in concursu simultaneo Dei cum creatura, nam Deus vult efficaciter, aut inefficaciter illum concursum dependenter à concursu creaturæ, cum ita, & non aliter possit illum præstare: ergo volet concurrere dependenter

dependenter à suo concursu. Secundò in habitibus, qui in vtraque Schola concurrunt ad suos actus dependenter à determinatione, siue actione voluntatis: ergo quando concurrunt, supponunt in Deo voluntatem volentem habitum concurrere dependenter à determinatione, siue actione actione voluntatis: determinatio autem siue actio voluntatis indistincta est ab actione habituum: ergo velle Deum concurrere habitum dependenter à concursu voluntatis, erit velle, concurrere habitum dependenter à concursu ipsius.

781 Respondeo igitur, negans sequelam; ad probationem distingo antecedens: determinatio voluntatis est indistincta realiter, & virtualiter à concursu Dei, concedo: est indistincta ex modo concipiendi, nego; quia diuerso modo concipitur actio in ordine ad voluntatem creatam, & in ordine ad Deum; nam prout à voluntate, concipitur, & est determinatio; prout à Deo autem, non concipitur, neque est determinatio, sicut prout à Deo, non est immanens neque vitalis, cum talis sit prout à creatura. Et nego consequentiam, quia ad vitandam nugatoriam repetitionem, sufficit diuersus modus attingendi idem obiectum: aliter dicens, aut gaudens: *Hominem esse rationalem*; nugatoriè loqueretur, aut gauderet, quia solum diuerso modo attingit idem omnino obiectum: & Deus cognoscens & gaudens, se necessariò existere; nugatoriè cognosceret, & complaceret; cum ipse, & necessaria existentia idem sint. Denique conclusio attingens suum obiectum dependenter à præmissis obiectiuis, nugatoria esset, quia obiectum conclusionis idem est cum obiecto præmissarum: ad vitandam ergo nugationem, satis est diuersus modus attingendi idem obiectum; vt patet in eis actibus tam intellectus quàm voluntatis, quorum obiecta materialia & formalia indistincta sunt: huiusmodi enim actus sua obiecta materialia attingunt dependenter à formali, absque vlla nugatione, & tamen obiectum formale indistinctum est à materiali: sicut ergo in his vitatur nugatoria repetitio, propter diuersum modum attingendi idem omnino obiectum; idem nos dicimus de voluntate illa diuina concurrendi.

SECTIO III.

Quale sit decretum dispensandi auxilia? An Deus ea posit conferre per solum decretum connexum cum consensu, & inconiungibile cum dissensu?

Difficultas est. An ex suppositione scientiæ mediæ, qua nouit Deus cōsensurum Petrū, si tali auxilio vocaretur; possit Deus exequi eā vocationem per decretum essentialiter connexum cum consensu, & inconiungibile cum dissensu: vel exequenda sit per decretum indifferens, & de se coniungibile tam cum consensu, quàm dissensu? Dixi tam cum consensu, quam dissensu, quia decretum exequutiuum vocationis respectu illius entitatiuè sumptæ, & præcisis extrinsecis circumstantiis efficacitatis, & specialis beneficij, semper est determinatum intrinsecè, & essentialiter connexum cum existentia auxilij pro sua temporis differentia, & nullatenus indifferens ad non existentiam illius. 782

783 Prior ſententia aſſerit poſſe Deum, ſalua creata libertate, exequi vocationem per ſolum decretum intrinſecè, & eſſentialiter connexum cum conſenſu, & inconiungibile cum diſſenſu. Ita aliqui recentiores noſtri. Poſterior ſententia negat poſſibile tale decretum exequens ſe ſolo exiſtentiam vocationis, abſque conſortio alterius indifferentis. Eam ſententiam tenent communiter Authores noſtri, eam vel ſupponentes vel directè probantes, ſubſcribit nouiſſime P. Ribadeneyra de prædeſtinatione diſp. 2. cap. 1. cum P. Leſſio, & aliis. Alij tamen recentiores cenſent, non poſſe Deum exequi vocationem per decretum eſſentialiter connexum cum conſenſu, etiamſi adiungatur illi aliud decretum de ſe indifferens, coniungibile tam cum conſenſu, quàm diſſenſu.

784 Aſſero primò: Deſtrui creatam libertatem, ſi Deus vocationem exequatur per ſolum decretum eſſentialiter connexum cum conſenſu, & inconiungibile cum diſſenſu. Vt clariùs procedamus, ſermo ſit de decreto primam vocationem exequente. Probatur concluſio: Quia cum eo decreto nulla ſtat poteſtas proxima diſſentiendi: ergo neque libertas. Antecedens probatur, quia me poſſe cum eo decreto diſſentire, eſt vel dicit, me poſſe coniungere diſſenſum cum decreto vocationem exequente: id implicat, cum decretum ſit inconiungibile cum diſſenſu: ergo. Maior patet, quia me poſſe cum eo decreto diſſentire, eſt vel dicit, me poſſe ponere diſſenſum ſtante decreto: id autem eſt vel dicit, ſtare ſimul diſſenſum & decretum: ergo, & coniungi ſeu coëxiſtere, quod idem eſt.

785 Dices primò, ad poteſtatem proximam diſſentiendi ſatis eſſe, quod poſſim coniungere diſſenſum vocationi, quamuis non poſſim coniungere decreto. Contrà, quia ſtante vocatione & decreto illius connexo cũ conſenſu, non poteſt coniungi diſſenſus vocationi, quin coniungatur decreto; ſicut non poteſt diſſenſus coëxiſtere vocationi, quin coëxiſtat decreto: ergo qui non poteſt coniungere diſſenſum cum decreto, neque poterit cum vocatione coëxiſtente eidem decreto. Confirmatur, quia ſtante prædeterminatione phyſica ad conſenſum, non eſt in me poteſtas coniungendi diſſenſum cum iudicio indifferenti, quia non poſſum coniungere illi diſſenſum, quin coniungam eundem ſimul cum prædeterminatione ad conſenſum, at hoc implicat: ergo ſtante decreto connexo cum conſenſu, & inconiungibili cum diſſenſu, non poſſum coniungere diſſenſum vocationi, quin coniungam decreto: hoc autem implicat: ergo, & me poſſe coniungere diſſenſum vocationi.

Dices ſecundò, ſtante eo decreto 786
connexo cum conſenſu, me poſſe coniungere diſſenſum cum vocatione ſecundum ſe præſcindendo à decreto connexo cum conſenſu. Non ſubſiſtit reſponſio, quia ſtante decreto connexo cum conſenſu, non poſſum ego ponere diſſenſum, quin ſtet coëxiſtentia diſſenſus cum decreto connexo cum conſenſu: ergo non poſſum ponere diſſenſum præſcindendo ab ea coëxiſtentia; ſicut non poſſum ſtante prædeterminatione ad conſenſum, ponere diſſenſum, eumque coniungere iudicio indifferenti, præſcindendo à coëxiſtentia diſſenſus cum prædeterminatione: ea autem coëxiſtentia diſſenſus cum decreto connexo cum conſenſu, eſt prorſus implica

implicatoria: ergo non est mihi possibile ponere te ipsa dissensum, à quo ea coëxistentia & coniunctio inseparabilis est.

787 Dices tertiò. Me posse coniungere dissensum vocationi, impediendo ne fuerit decretum connexum cum consensu. Hæc responsio, qua vnicè posset saluari creata libertas, ex professo à nobis expungenda est.

788 Contra igitur primò. Ego non possum impedire ne fuerit decretum connexum cum consensu, nisi liberè dissentiendo: non autem possum ego impedire, ne fuerit decretum connexum cum consensu liberè dissentiendo; nisi existat in me potestas liberè dissentiendi distincta à decreto connexo cum consensu: ergo seorsim ab eo decreto debet in me supponi potestas liberè dissentiendi: ergo & existens vocatio dans posse ad consensum, & complens potestatem liberam dissentiendi: ergo & supponi debet decretum exequens vocationis existentiam indifferens ad dissensum; cum tota illa potestas coniungi possit cum dissensu: ergo sine hoc decreto non stat libertas, cum stet potestas impediendi decretum connexum cum consensu,& inconiungibile cum dissensu. Minor illa cuius probatio desiderari posset, ostenditur, quia potestas impediendi aliud,manere potest illo impedito: ergo hæc potestas habetur seorsim & distincta à te impedibili:ergo potestas liberè dissentiendi, quæ est potestas impediendi ne fuerit decretum connexum cum consensu, habetur seorsim, & distincta à tali decreto.

789 Secundò, si in me non esset potestas peccandi seorsim, & distincta à gratia sanctificante, neque esset in me potestas impediendi gratiam peccando. Insuper, si in me non esset potestas dissentiendi seorsim, & distincta à præscientia mei consensus, neque esset in me potestas impediendi eam præscientiam, idemque est de aliis sexcentis: ergo si in me non esset potestas dissentiendi seorsim, & distincta à decreto connexo cum consensu,neque esset potestas impediendi tale decretum liberè dissentiendo.

Tertiò, quia decretum exequens vocationem connexam cum consensu, supponit præscientiam consensus sub conditione vocationis: ergo, & prærequisita vocationis: vnum est decretum exequutiuum illius: ergo hoc non est decretum connexum cum consensu, sed aliud indifferens præsuppositum ab ipso. Probatur hæc consequentia, quia decretum exequens vocationem, præsuppositum ad decretum connexum cum consensu, constituit vnà cum vocatione potestatem proximam dissentiendi, & impediendi decretum connexum cum consensu: ergo est de se coniungibile cum dissensu; Aliunde non est coniũgibile cum consensu: ergo est de se coniungibile tam cum consensu, quã dissensu: ergo & indifferens tam ad consensum quam dissensum:ergo non stante eo decreto indifferenti,non stat libertas. 790

Quartò. Quod sit vel non sit decretum indifferens exequens vocationem, non est in mea potestate, sed imò solius Dei beneplacito, vt docuit Augustinus lib. 1. ad simplicianum quæst. 2. *Vt velimus, & suum esse voluit, & nostrum: suum, vocando, nostrum sequendo.* Et libro 83. quæstionum quæst. 68. *propterea, etsi quisquam sibi tribuit, quod venit vocatus, non potest sibi tribuere, quòd vocatus est.* Ex suppositione autem quod decretum indifferens non sit quæ, sup- 791

positio solius est diuinæ voluntatis, existentia vocationis pendet essentialiter à decreto connexo cum consensu: ergo omne exercitium liberum nostræ voluntatis pendens essentialiter à vocatione, pendet etiam ab eo decreto.: ergo impedibile non est à nobis. Patet consequentia, quia præquisitum antecedens omne exercitium liberum nostri arbitrij impedibile non est à nobis.

792 Occurrunt Recentiores nostri, respondentes; verum quidem esse in solius Dei potestate positum, quod sit, vel non sit decretum indifferens exequens vocationem: id tamen non obstare, quominus positum sit in nostra potestate, Quod si vocatio exequenda sit, id fiet decreto indifferenti. Nam eo ipso quòd ego præuideat à Deo sub conditione vocationis dissensurus, impeditur Deus meo dissensu ad exequendam eam vocationem per decretum connexum cum consensu; vnde si exequi eam vellet, id præstare deberet per decretum indifferens & coniungibile cum dissensu, non verò per decretum inconiungibile cum illo. Non satisfacit responsio, quia ego non alia ratione præstare possum, quod si vocatio exequenda sit, id fiat decreto indifferenti, nisi liberè dissentiendo: ergo antequam intelligatur Deus meo dissensu impeditus ad exequendam vocationem per decretum connexum cum consensu, & quasi adstrictus, vt si exequi eam velit, id fiat per decretum indifferens: debet in me supponi potestas liberè dissentiendi: ergo & existens vocatio complens eam liberam potestatem: ergo & supponi debet decretum indifferens exequens eam vocationis existentiam. Probatur consequentia, quia vocatio vna cum eo decreto illam exequente, constituit potestatem proximam indifferentem & coniungibilem tam cum consensu, quàm dissensu: ergo decretum est de se cum vtroque coniungibile.

Quintò. Finge, si admittere renuas, possibilem esse vnam vocationem indifferentem, aliam verò connexam cum consensu, & inconiungibilem cum dissensu. Ita dissero. Casu quo Deus donaret mihi solam vocationem connexam cum consensu, & inconiungibilem cum dissensu; nec possem ego liberè dissentire, nec eam impedire, nec ea vocatio supponere posset aut dependere à præscientia conditionata mei consensus liberi: ergo casu quo Deus donaret vocationem solo decreto connexo cum consensu, & inconiungibili cum dissensu, nec possem ego liberè dissentire, nec tale decretum impedire, nec idem decretum supponere posset aut dependere, à præscientia conditionata mei consensus. Patet consequentia, quia esse possibile decretum indifferens satis non est, quamdiu non existit; sicut esse possibilem vocationem indifferentem non sufficit, dum non est. 793

Dices quartò. Potestatem dissentiendi, & impediendi decretum connexum cum consensu, supponere quidem existentem vocationem, sed non determinatè existentem per decretum connexum cum consensu, & inconiungibile cum dissensu; neque determinatè existentem per decretum indifferens, & de se coniungibile tam cum consensu, quàm dissensu; sed vel per alterum eorum distinctiuè, vel per aliud præscindens, tam à differentia decreti coniungibilis, quàm inconiungibilis cum dissensu. 794

Contra tamen. Vel cum hoc decreto possum ego dissentire, & impedire ne fuerit decretum connexum 795

cum

cum consensu; vel non? si non possum, perit libertas, quæ à potestate dissentiendi præscindere non potest. Si possum dissentire: ergo illud decretum est coniungibile cum dissensu: ergo non præscindit à differentia decreti coniungibilis cum dissensu. Prima consequentia probatur, quia ego non possum dissentire, & impedire decretum connexum cum consensu, nisi prout coniunctus vocationi, vt existenti per decretum illud disiunctiuum vel præscindens; ergo non possu dissentire nisi coniungendo dissensum cum vocatione, vt exercitæ per tale decretum: id autem diuidi non potest à potestate coniungendi dissensum cum eo decreto: ergo neque diuidi, aut præscindi potest à coniungibilitate decreti cum dissensu. Confirmatur, nam vel ego cum vocatione, vt exercita per decretum illud disiunctiuum vel præscindens, constitutus sum proximè potens tam ad consensum quàm dissensum; vel non? si secundum, nulla est libertas, nec potestas impediendi decretum connexum cum consensu. Si primum: ergo vnà cum vocatione, & decreto illo possum consentire, & dissentire: ergo & possum coniungere, tam consensum quàm dissensum cum vocatione, & decreto illo: ergo decretum de se coniungibile est tam cum consensu, quàm dissensu.

796 Contra secundò, quia vocatio non existit re ipsa, quin existat, determinatè vel per decretum indifferens, vel per connexum cum consensu: potestas autem dissentiendi imbibit existentem vocationem: ergo per decretum re ipsa indifferens, vel per decretum connexum cum consensu; à parte rei enim non datur decretum præscindens, nec disiunctiuè existens.

Contra tertiò, quia ea responsio non stat conclusioni, quam probandam suscepimus, scilicet non stare libertatem, ex suppositione, quòd executioni mandatur vocatio per solum decretū connexum cū consensu, quo casu intendimus naufragaturam libertatem. Quid autem dicendum sit casu, quo decretum connexum cum consensu, coniungatur alteri decreto indifferenti, constabit sect. 4. 797

Nec momenti est, quod tentare posset aliquis sine fructu, videlicet decretum exequutiuum auxilij non esse requisitum proximum, sed remotum ad libertatem, quia immediatè non causat actum liberum, sed media vocatione. Non inquam, momenti est, nam voluntas vt sit proximè libera, expedita debet esse, & soluta ab omni impedimento tam proximo, quam remoto inconiungibili cum altero tantùm extremo libertatis, quod impedire non sit in eius potestate; aliter enim semper manet illi impossibilis electio libera. Sic necessariæ sunt ad proximam peccandi potestatem, carentia visionis beatæ, & vnionis hypostaticæ; etiamsi non sint principium immediatum; imo neque mediatum peccati, eo solo titulo, quod sint impedimentorum remotio: ergo potestas proximè libera dicit potestatem solutam, & expeditam ab omni impedimento, quale esset decretum inconiungibile cum dissensu, si in mea potestate non esset illud impedire. 798

Ex dictis collige, decretum indifferens exequens vocationem, esse simpliciter necessarium creatæ libertati; cum sine illo non stet potestas proxima dissentiendi, vt hactenus probatum est. 799

Obiicies primò. Vel decretum exequens vocationem connexum cum 800

 consensu,

consensu, infringeret libertatem, quia causaret vocationem indifferentem; & hoc non, vt perspicuum est. Vel quia connexum esset cum consensu, & inconiungibile cum dissensu, & neque hoc, quia ea connexio cum consensu, & inconiungibilitas cum dissensu, originem trahit à præsupposita scientia futuri consensus sub conditione vocationis; Quæ suppositio antecedens non est, & libertati contraria; sed consequens, & cum ea compossibilis: ergo ex nullo capite huiusmodi decretum iura libertatis infringit; atque adeo poterit Deus vocationem exequi solo decreto connexo cum consensu. Respondeo, decretum illud non auertere libertatem præcisè, quia vocationem causat; nec præcisè quia connectitur consensui; sed quia abest prærequisitum simpliciter ad potestatem dissentiendi, in nostra potestate minimè constitutum, quale esse ostendimus decretum indifferens tam ad consensum, quàm dissensum.

801 Obiicies secundò. Decretum exequens vocationem connexum cum consensu, si esset, vellet consensum liberè fieri: ergo cum eo decreto, omni alio secluso, consensus liberè fieret: ergo cum prærequisitis ad vtrumque: ergo non abest prærequisitum ad dissensum. Respondeo, concesso antecedenti, negans omnes consequentias, quia dato eo casu non fieret quod decretum vellet; sicuti neque fieret casu quo Deus vellet liberè fieri consensum, non stantibus prærequisitis ad dissensum.

802 Instabis: ergo decretum exequens vocationem connexum cum consensu libero, & secluso decreto indifferenti, non admittitur possibile: ergo destruitur casus præsentis disputationis, quæ procedit, dato tali decreto. Respondeo, concessa prima consequentia, negans secundam: præsens enim disputatio non inquirit, an sit possibile decretum illud, vel non; sed, an eo dato, sequeretur liberè consensus, vel necessariò: vnde colligenda est possibilitas, vel impossibilitas decreti volentis fieri liberè consensum, non stantibus prærequisitis ad dissensum, ex suppositione, quòd eo dato sequatur, vel non sequatur liberè consensus.

SECTIO IV.

An cum consortio decreti indifferentis, possit Deus conferre auxilia decreto connexo cum consensu.

Hæc decreta circa vocationem exequendam, dupliciter in Deo constitui possent: Primò, ita vt neutrum eorum sine alterius consortio exequi possit vocationem. Secundò, ita vt decretum indifferens se solo sufficiens sit ad exequendam vocationem, per accidens tamen coniungatur illi decretum connexum cum consensu, & vocationem causet. An autem huiusmodi decretum possit causare immediatè consensum, vel tantum media vocatione, non est præsentis instituti, pertinet enim ad prædefinitiones diuinas in tractatu de prædestinatione, solitas agitari. 803

Assero primò. Si decretum indifferens se solo sufficiens non sit ad exequendam vocationem, nec posse Deum etiam cum consortio illius exequi vocationem, per decretum connexum cum consensu, salua creata libertate. 804

libertate. Probatur, quia in eo casu, decretum connexum cum consensu non esset à me impedibile per dissensum; qua sola ratione stare posse libertatem, satis à nobis ostensum est Sect. præcedenti: ergo. Antecedens probatur. Primò, quia decretum connexum cum consensu, esset prærequisitum simpliciter ad existentiam vocationis: prærequisitum autem simpliciter ad existentiam vocationis, non est à me impedibile, sicut nec vocatio: ergo. Confirmatur. In me non est potestas proxima liberè dissentiendi, nisi existat vocatio: existere autem non posset vocatio, nisi existente decreto connexo cum consensu: ergo neque existere potest potestas proxima liberè dissentiendi, nisi existente decreto connexo cum consensu: stante autem decreto connexo cum consensu, non possum ego dissentire, cùm non possim illi decreto coniungere dissensum: ergo nulla esset in me potestas dissentiendi, cum neque esset potestas dissentiendi sine decreto connexo cum consensu, nec vna cum illo: sine illo, quia non esset existens, nec potens existere vocatio: cum illo, quia non possem illi coniungere dissensum.

805 Probatur secundò illud idem antecedens. Quod sit vel non sit vocatio, non est in mea potestate; ergo neque est in mea potestate, quod sit vel non sit decretum connexum cum consensu: ergo neque est in mea potestate tale decretum impedire. Antecedens certum est, tum ex Augustino citato Sect. præcedente num..... Tum ex vnanimi consensu Theologorum. Prima consequentia probatur, nam vocatio penderet essentialiter à decreto connexo cum consensu: ergo cuius est potestas vt sit vel non sit decretum connexum cum consensu, etiam potestas, vt sit vel non sit vocatio pendens ab illo: ergo qui posset impedire decretum connexum cum consensu, quoque posset impedire vocationem.

Tertiò. Ego non possum impedire ne fuerit decretum connexum cum consensu, nisi liberè dissentiendo: non autem possum liberè dissentire, nisi existat in me potestas libera dissentiendi, distincta à decreto connexo cum consensu: ergo seorsim ab eo decreto debet in me supponi potestas liberè dissentiendi: ergo existens vocatio: ergo & decretum exequens vocationem, & se solo ad id sufficiens: ergo sine hoc decreto non stat libertas, aut potestas dissentiendi. Minor probata iam à nobis est, & multis confirmata sect. præcedenti à num... 806

Assero secundò, stante decreto indifferenti sufficiente se solo ad exequendam vocationem, posse Deum cum illius consortio exequi vocationem per decretum connexum cum consensu. Probatur. Quia vt sic, est in me integra potestas dissentiendi, & impediendi, ne fuerit decretum connexum cum consensu: ergo, & salua libertas. Antecedens probatur, quia est decretum indifferens, & vocatio, quibus stat integra, & completa potestas dissentiendi, & impediendi ne fuerit decretum connexum cum consensu: ergo. 807

Dices, potentiam illam non esse expeditam ad dissensum, quamdiu non intelligatur cum carentia decreti connexi cum consensu; nam hoc decretum est impedimentum dissensui; potentia autem expedita ad dissensum, dicit remotionem, seu carentiam omnium impedimentorum, atque adeò carentiam decreti connexi cum consensu. 808

Contra

809 Contrà tamen, nam quoties carentia alicuius impedimenti ad dissensum, est nostræ libertati subiecta, non constituit potestatem proximam dissentiendi, sed est effectus illius: sic carentia consensus impedientis dissensum, quia subiecta est nostræ libertati, non constituit potestatem proximam dissentiendi, sed præscindit huiusmodi potestas tam à consensu, quàm carentia illius: ergo cum carentia decreti connexi cum consensu, subiecta sit nostræ libertati, non constituet potestatem proximam dissentiendi, sed præscindet huiusmodi potestas tam à decreto cõnexo cum consensu, quàm à carentia illius: ergo præscindendo ab ea carentia stabit vnà cum decreto indifferenti, & existentia vocationis, potestas proxima & expedita ad dissentiendũ & impediendum, ne fuerit decretum connexum cum consensu: sicut præscindendo à carentia consensus, stat vnà cum decreto indifferenti potestas proxima, & expedita ad dissentiendum, & impediendum ne fuerit consensus.

810 Obiicies primò contra secundam conclusionem, qua diximus, posse Deum duplici decreto exequi vocationem altero indifferenti, & altero connexo cum consensu. Suppositio, & coëxistentia duplicis illius decreti, est inconiungibilis cum dissensu, cum imbibat ex vna parte decretum inconiungibile cum dissensu: aliunde autem nullatenus est impedibilis à me: ergo neque relinquet mihi potestatem proximam dissentiendi. Cõsequentia legitima est ex præiactis à nobis fundamentis; ex consimilibus enim præmissis eam nos consequentiam eruebamus. Minor ergo; in qua sola est difficultas, probatur. Suppositio, & coëxistentia duplicis illius decreti, est causa vocationis: causæ autem vocationis, quippe antecedentes, non sunt à nobis impedibiles, sicut nec vocatio: ergo neque suppositio, & coëxistentia duplicis illius decreti, erit à nobis impedibilis. Confirmatur. Stante illo duplici decreto, non possum coniungere vni dissensum, quin coniungam etiam alteri: id autem implicat, cum alterum decretum sit inconiungibile cum dissensu: ergo & dissentire.

Respondeo, concessa maiori, negans minorem. Ad probationem distingo maiorem. Suppositio & coëxistentia duplicis illius decreti, est causa per accidens vocationis, concedo, per se, & essentialiter requisita ad existentiam vocationis, nego. Et distingo minorem. Causæ vocationis per accidens, & in sua existentia, per se, & essentialiter à consensu dependentes, non sunt à nobis impedibiles, nego. Causæ per se, & essentialiter requisitæ, concedo. Et nego consequentiam, quia decretum connexum cum consensu, non impedit mihi potestatem proximam dissentiendi, & impediendi ne fuerit tale decretum, cum in me existant omnia principia, & requisita, ad id præstandum. Ad confirmationem respondeo, verum quidem esse, stante illo duplici decreto, non posse me coniungere dissensum vni, quin coniungam alteri; cæterùm, quod stent simul, meæ libertatis est, & à me impedibile, siquidem in me est potestas dissentiendi & impediendi ne simul fuerint aut coëxiterint; ad id enim præstandum parata mihi sunt omnia requisita. 811

Instabis. Ego non possum impedire decretum connexum cum consensu, nisi prioritate naturæ præexistat in me potestas dissentiendi: potestas 812

Potestas autem dissentiendi inhibit vocationem exequutioni mandatam, & decretum illius: ergo non possum ego impedire decretum connexum cum consensu, quin prioritate naturæ præexistat in me vocatio exequutioni mandata: ergo superueniens decretum connexum cum consensu, non potest exequi, & causare vocationem, saltem quoad primam existentiam, cum illam supponat.

813 Respondeo, concesso toto argumento, negans vltimam consequentiam; quia principium per accidens, etiamsi prioritate naturæ supponat existentem effectum, quando dependet ab illo independenti; hoc tamen non obstante potest illum causare, etiam quoad primam illius existentiam; vt patet primò in actu efficaciter imperante, qui prioritate naturæ supponit existentiam imperati, cum sit dependens ab illo independente; & tamen eum causat per accidens, & inducit primam illius existentiam. Secundò in hac munero determinata actione, qua fit prima existentia effectus, quæ prioritate naturæ supponit effectum existentem, cum sit dependens ab illo independenti; & tamen causat primam existentiam effectus. Ex præmissis autem argumenti tantum sequitur, principium natura posterius, non posse esse principium per se & essentialiter requisitum ad primam existentiam; non autem sequitur, non esse principium per accidens.

814 Obiicies secundò, si posita vocatione ad vitandum peccatum per decretum indifferens, Deus alio decreto donaret mihi vnionem hypostaticam, vel aliud quodvis donum inconiungibile cum peccato, non maneret in me potestas proxima ad peccandum, & impediendum ne fuerit tale donum: non alia de causa, nisi quia non possem tali dono coniungere peccatum: ergo cum non possim decreto connexo cum consensu, coniungere dissensum, nulla erit in me potestas proxima dissentiendi, & impediendi ne fuerit tale decretum.

Respondeo, duplici decreto posse 815
Deum donare vnionem hypostaticam, vel quod-vis aliud donum inconiungibile cum peccato. Primò, per decretum connexum, & dependens à meo consensu libero. Secundò, per decretum independens à meo consensu, & nullo habito respectu ad illum, saltem vt liberum. Si primo decreto donet mihi Deus illud donum, qui est casus præsentis disputationis; dico posse me peccare, & impedire existentiam talis doni. Si secundo decreto donet, quid contra nos; etiamsi tunc libertas nulla esset; qui disputatione præsenti versamus decretum exequens vocationem, connexum cum consensu libero, & ab eo dependens? Etenim etiamsi impedibile non esset à me, quod à meo consensu libero non dependet; impedibile sine dubio esset, quod dependet ab illo.

* * *

Ff SEC

SECTIO VI.

Explicatur obiectum ſcientiæ mediæ tam directæ, quàm reflexæ.

816 ASſero primò Obiectum creatum ſcientiæ mediæ directæ, imbibitum ſub ea conditione; *Si vocauero Petrum tali auxilio, & circumſtantia*; dicere entitatem auxilij, quam ſupponimus indifferentem, per modũ conditionis præſcindentis ab exiſtentia, & non exiſtentia abſoluta, & ab extrinſecis circumſtantiis efficacitatis, & non efficacitatis; ſpecialis, & non ſpecialis beneficij. Itaque entitas auxilij, quoad eſſe tantum phyſicum, & entitatiuum ipſius, eſt obiectum ſcientiæ mediæ directæ ex parte conditionis. Idem dicimus de circumſtantiis loci, temporis, & aliis comitantibus vocationem. Probatur, quia ſcientia media directa v. g. conſenſus ita habet: *Si vocauero Petrum tali vocatione & circumſtantia, conſentiet*: ſcientia verò media diſſenſus, ita: *ſi vocauero Paulum tali vocatione & circumſtantia, diſſentiet*. Eiuſmodi autem ſcientiæ per modum conditionis, ſolam attingunt entitatem phyſicam vocationis, & circumſtantiæ; cum ab omni alio præſcindant: ergo, &c.

817 Aſſero ſecundò obiectum increatum ſcientiæ mediæ directæ, imbibitum in ea conditione: *ſi vocauero Petrum tali auxilio*, &c. Dicere decreta [illegible] indifferentia, & de ſe coniungibilia tã cum conſenſu quàm diſſenſu, ſcilicet decretum præparans omnipotentiam ad vtrumque, & decretum exequens vocationem, pariter coniungibile tam cum conſenſu, quàm diſſenſu. Probatur. Quia ſcientia media directa ex parte conditionis ſolum attingit cauſas ſimpliciter ad illam requiſitas, talia autem ſunt ſola decreta indifferentia, vt in ſuperioribus oſtenſum eſt: ergo. Ea autem decreta non attinguntur, vt abſolutè exiſtentia, neque vt non exiſtentia, ſed per modum conditionis præſcindentis tam ab exiſtẽtia abſoluta, quàm non exiſtentia, ſicut diximus de conditione creata. Inſuper, neque attinguntur vt exiſtentia per modum conditionis immediatè per ſe ipſa, neque imperata per actum reflexum; ſed vt exiſtentia vel immediatè per ſe ipſa, vel reflexè imperata.

Aſſero tertiò, ſcientiam mediam directam attingere non per modum conditionis, ſed tanquam terminum à quo conditio dependet, aliquam ſciẽtiam mediam diſiunctiuè, ſcilicet vel conſenſus, vel diſſenſus: ita vt ſcientia de conſenſu ſub conditione futuro, ita habeat. *Si vocauero Petrum tali auxilio & decreto dependente à ſcientia vel conſenſus, vel diſſenſus, conſentiet*. Et ſcientia de diſſenſu ſub conditione futuro, ita habet: *ſi vocauero Paulum tali auxilio & decreto dependente à ſcientia vel conſenſus vel diſſenſus, diſſentiet*. Probatur, nam vt oſtendam diſp. ſequenti, decretum exequendi auxilium pendet eſſentialiter ab aliqua ſcientia media vel conſenſus, vel diſſenſus, tanquam à prærequiſito eſſentiali expediente diuinam voluntatem ad auxilia diſpenſanda: ergo neceſſariò attingi debet vt terminus illius conditionis: *ſi vocauero*, &c. Probatur conſequentia, quia in ea attinguntur omnia prærequiſita eſſentialia, tam vocationis quàm decretorum indifferentium: 818

ergo

ergo si vnum ex prærequisitis essentialibus decretorum indifferentium sit aliqua scientia, vel consensus, vel dissensus, attingi debet in conditione, in qua decreta indifferentia cognoscuntur. Confirmatur, decretum exequens auxilium, est intrinsecè & essentialiter dependens ab aliqua scientia media: similis autem dependentia, vtique de constitutiuo decreti, in nullo statu deperditur: ergo neque in statu conditionis: scientia autem media est perfectissimè comprehensiua conditionis: ergo & dependentiæ illius ab aliqua scientia media: ergo cognoscenda est aliqua scientia media, tanquam terminus à quo dependet conditio.

819 Dixi, per modum termini, & non per modum conditionis. Quia si sciẽtia media directa attingeret per modum conditionis, aliquam scientiam mediam disiunctiuam, falsa esset. Scientia enim consensus ita haberet: *Si vocauero Petrum sciens vel consensurum vel dissensurum, consentiret.* Et scientia dissensus ita: *si vocauero Paulum sciens vel consensurum, vel dissensurum, dissentiret.* Quæ scientiæ profectò falsæ sunt: Nam si Deus sciret Petrum dissensurum non consentiret Petrus: ergo falsum est, Petrum consensurum, si sciret Deus vel consensurum vel diss[illegible] Pariter, si Deus sciret Paulum co[illegible] nõ dissentiret Paulus: e[illegible] falsum esse, Paulum dissensurum, [illegible] Deus vel consensurum vel di[illegible]

820 Assero quartò scie[illegible] reflexam attingere p[illegible] conditionis causas per [illegible], t[illegible] vocationis, quàm conse[illegible], scilicet decretum exequens vocationem, connexum cum consensu, [illegible] prædefinitiua eiusdem consensu[illegible] ua libertate. Declaratur, quia in voluntate creata, stante decreto connexo cum consensu libero, stat simul potestas, non quidem coniungendi tale decretum cum dissensu, sed potestas impediendi meo dissensu, ne fuerit decretum connexum cum consensu: ergo Deus non solùm habet hanc scientiam mediam directam: *Si vocauero Petrum tali vocatione, consentiet*; sed etiam istam aliam reflexam: *si præfiniero consensum, vel decreto connexo cum illo vocationem decernerem, voluntas non impediret suo dissensu, ne fuerit prædefinitio; vel decretum connexum cum consensu; sed potius coniungeret consensum cum illis decretis.* Hæc enim veritas non est necessaria, sed contingens. Antecedens probatur, quia non minus inconiungibilis est consensus cum dissensu, quàm decretum cum eodem consensu connexum: hoc tamen non obstante, vnà cum consensu stat potestas impediendi medio dissensu, ne fuerit consensus: ergo eadem stabit potestas vnà cum decreto connexo cum consensu. Minor probatur, quia si vnà cum consensu non staret potestas impediendi medio dissensu, ne fuerit consensus, neque staret potestas dissentiendi: hæc stat, cum prioritate naturæ præcesserit consensum; & duret vnà cum consensu libero, quidquid prioritate naturæ antecedit illum; aliter fieret consensus sine potestate ad dissensum: ergo.

Assero quintò. Scientiam mediam reflexam etiam attingere per modum conditionis scientiam mediam directam. Ratio est, quia decreta connexa cum consensu libero, pendent essentialiter à scientia media directa, tanquam à prærequisito essentialiter dirigente: per scientiam autem mediam reflexam, attinguntur per modum conditionis, decreta connexa cum 821

consensu libero : ergo & scientia media directa, essentialiter ad ea decreta prærequisita. Quæ scientia ita habet : *Si sciens Petrum tali vocatione consensurum, ponerem decretum connexum cum consensu, Petrus potens impedire tale decretum ne fuerit, non impediet.* Quæ scientia contingens est, nam non impediri tale decretum, qui est effectus conditionatus illius scientiæ, contingens est.

822 Obiicies: decretum connexum cum consensu, habet necessariam connexionem cum illo : ergo scientia consensus sub conditione talis decreti, est necessaria, & non contingens. Probatur consequentia. Illa scientia conditionata est necessaria, quæ attingit effectum sub conditione necessario connexa cum illo : scientia autem consensus sub conditione decreti connexi cum illo, est scientia sub conditione necessariò connexa cum effectu : ergo est scientia necessaria. Confirmatur, ideo scientia consensus sub conditione decreti prædeterminantis, est necessaria, quia conditio decreti prædeterminantis est necessariò connexa cum consensu : conditio autem decreti connexi cum consensu, est necessariò connexa cum eodem consensu: ergo, &c.

823 Respondeo, concesso antecedente negans consequentiam. Ad probationem, distingo maiorem. Illa scientia conditionata est necessaria, quæ attingit effectum sub conditione necessariò connexa cum illo, & inimpedibili, concedo ; impedibili nego. & & distingo minorem ; scientia consensus sub conditione decreti connexi cum illo, est scientia sub conditione necessariò connexa cum effectu & inimpedibili, nego ; impedibili concedo, & nego consequentiam ; nam vt aliqua scientia sit necessaria ex parte obiecti, non sat est quod conditio necessariò connexa sit cum effectu; sed vlterius opus est, quòd talis conditio ineuitabilis sit ab eo, à quo ponendus esset effectus ; si enim sit euitabilis, quoque erit euitabilis, & contingens effectus. Ad confirmationem, nego maiorem : scientia enim effectus sub conditione decreti prædeterminantis necessaria est, non præcisè quia conditio est necessariò connexa cum effectu, sed quia simul etiam ineuitabilis est ab eo, à quo ponendus esset effectus ; quod longè distat à nostro casu.



DISPVTATIO XV.

De directione, & necessitate scientiæ mediæ.

Dirigi Deum scientiâ mediâ ad distribuenda auxiliorum dona, difficultas quidem est magna ; sed gloria tanta scientiæ mediæ, eiusque vtilitatis adeò illustris commendatio, vt qui negauerint exterriti labantis creatæ libertatis apparenti ruina, sine dubio sceptrum manibus & laurum capiti eripuisse videantur. Hæc scientiæ mediæ gloria, hæc corona, quam inconcussam ac stabilem tota ferè Societas, vno vel altero tantùm Iuctore reclamante, perpetuò cum Augustino firmauit. Idcirco felices erunt labores, opportunæ excubiæ, si frangantur Recentiorum impetus, qua parte incauti huius directionis Arcem inuadant, & irruentium clamores, veluti 824

Claudiana

Claudiana tonitrua, cassa fulmine, contemnantur.

SECTIO I.

An Deus ex præscientia futuri consensus, moueri possit ad exequendam conditionem; & ex præscientia futuri dissensus, ad eam remouendam?

825 PRior sententia, eáque communis Doctorum Societatis, affirmat. Pro qua stant P.Molina P. Soarius. Cardinalis Bellarminus P. Vasquez, P.Ruiz P.Herice, P.Fonseca, P.Alarcon. P.Mærarius, P.Tannetus. P.Gaspar Hurtadus. Quos citat & sequitur nouissimè P. Ribadeneyra de prædestinatione disp.3.cap.1 num.1. Posterior sententia negat, quam tenent pauci recentiores.

826 Motio præscientiæ conditionatæ non est, nec esse potest per modum causæ meritoriæ, sed tantùm per modum causæ finalis; nam opera conditionatè tantùm præuisa, sufficientia non sunt ad meritum vel demeritum. Actus verò diuinæ voluntatis, qui à præscientia conditionata dirigi possent, illi tantùm sunt, à quibus exequenda est conditio efficax, vel inefficax remouenda v. g. præuidet Deus te consensurum, si tale conferat auxilium: Quæritur, an ex tali præscientia moueri possit Deus, ad tale auxilium exequendum, hoc vel simili actu: *Volo hoc auxilium, vt consentias, vel quia cum eo consenties.* Insuper videt Deus te peccaturum, si tale conferat auxilium, vel si diuturniorem vitam largiatur. Quæritur, An Deus moueri possit ex ea præscientia, ad nolendam conditionem talis auxilij, vel diuturnioris vitæ, hoc vel simili actu: *Nolo hanc conditionem, ne pecces; vel quia cum ea peccabis.* * Dixi actus diuinæ voluntatis, qui à præscientia conditionata dirigi possent, illos tantum esse, à quibus exequenda est conditio efficax consensus, vel inefficax remouenda. Quia actus à quibus exequenda est conditio inefficax consensus, & efficax remouenda: non posse moueri, aut dirigi à scientia media futuri dissensus, mihi certissimum est; nam illi actus ita haberent: *Volo conditionem inefficacem vt pecces, vel quia cum ea peccabis: Nolo conditionem efficacem ne consentias, & à peccato deficias.* Id autem sine dubio esset velle peccatum, quod longissimè positum est à diuina bonitate. Eos igitur actus habet Deus ex alijs motiuis nobis quidem occultis, sibi tamen notis, semperque iustis, vt loquitur Augustinus.

Actus autem quibus Deus conditionem efficacem exequi potest, aut inefficacem remouere, duo sunt, de quibus pluribus à nobis actum est disput. præcedenti. Alter indifferens, & de se coniungibilis, tam cum consensu, quàm dissensu, & simpliciter requisitus tam ad potestatem proximam consentiendi, quàm dissentiendi. Alter connexus cum consensu, & inconiungibilis cum dissensu, & de hoc secundo actu procedit præsens controuersia, non de primo illo indifferenti, & essentialiter ad libertatem prærequisito: tum quia huiusmodi decretum non potest esse inconiungibile cum dissensu, vt ibidem ostendimus: esset autem si vocationem vellet, quia vel ... cum ea consentires. Tum etiam quia 827

huiusmodi decretum constituit potestatem impediendi medio dissensu, si fuerit scientia futuri consensus; decretum autem volens conditionem ex directione scientiæ futuri consensus, non potest constituere talem potestatem: cum diuidi non possit à præscientia futuri consensus à qua essentialiter dependet tanquam à præsentante motiuum.

828 Assero priorem sententiam veram esse, posteriorem autem falsam. Probatur 1. ex Scriptura, nam Sapientiæ 4. 11. de Iusto scribitur: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius.* Id est, noluit Deus conditionem diuturnioris vitæ, quia ea posita peccaret iustus; hoc autem motiuum, quippe conditionatum proponitur à scientia Media futuri peccati sub conditione vitæ diuturnioris: quod re ipsa aliud non est, quàm dirigi à tali scientia; sicut actus quo vis medium aliquod vt sequatur finis, dirigitur à cognitione finis: ergo pariter actus quo Deus vult carentiam diuturnioris vitæ ne sequatur peccatum, dirigetur à cognitione peccati sub conditione vitæ diuturnioris.

829 Insuper, Deuteronomij 32. 27. Ait Deus: *Propter iram inimicorum distuli* (suppliciũ scilicet Israelitarum) *ne forte superbirent hostes eorum, & dicerent: Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia.* Vbi proponitur Deus protrahens & nolens tunc supplicium Israelitarum, quia si tunc poneretur, tumidi, & arrogantes insultarent inimici, dicentes: Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia: ergo Deus noluit tunc conditionem supplicij, quia si posita fuisset, insolentes inimici intumissent. Videas alia apud Patrem Herice disp. cap. 2. Et multò plura apud P. Ruiz de scientia Dei à disp. 62. vsque ad 66.

830 Probatur secundò, ex Patribus. Imprimis Augustinus integrum nostrum tenet assertum, docens Deum vnum vocare, vt consentiat, alium verò non vocare ne dissentiat. Primum tenet lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. *Cuius autem miseretur, sic eum vocat, quando scit congruere, vt vocantem non respuat.* Secundum exprimit tract. 73. in Ioannem. His verbis. *Malè vsurus eo, quod accipit, Deo potius miserante non accipit.* Vtrobique commendat Augustinus misericordiam Dei, vocantis hominem ea vocatione sub qua nouit eum consensurum, & non vocantis ea vocatione, sub qua nouit dissensurum: Quæ Dei misericordia longè illustrior apparet sine dubio, si voluntates illæ ex præscientia futuri consensus, & dissensus descendant: idem confirmat serm. 59. de verbis Domini inquiens. *Nec Senatorem, nec Imperatorem, nec Philosophum, electos esse ad prædicationem: sciebat enim Christus, quia si eligeret Senatorem, diceret Senator, dignitas mea electa est*, &c. Et paulò pòst addit, *ideoque, legisse infirma Mundi, non in se, sed in Domino gloriaturos:* ergo ex Aug. noluit Deus eligere Senatorem, quia de sua dignitate præuisus est gloriaturus, & voluit infirma Mundi, quia præuisi sunt in Domino gloriaturi. Idem inculcat lib. de correptione & gratia circa finem his verbis. *Respondeant si possunt, cur illos Deus cum fideliter & piè viuerent, non tunc de vita huius periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum. Vtrum hoc in potestate non habuit? an eorum futura mala nesciuit? Nempe, nihil horum nisi peruersissime & insanissimè dicitur:* Ergo *peruersissimum & insanissimum* censet Augustinus dicere, non potuisse Deum rapere eum hominem eo motiuo, ne malitia mutaret intellectum eius. Item lib. 2. contra

tra 2. Epistolam Gaudentij cap. 17. inquirens; cur voluit Deus, vt Rex Niniuita indiceret populo jejunium? Respondet: *Quia erant quidam ex illis, qui nec curarent, nec crederent prædicationi diuinæ, nisi territi potestate terrena.* Ergo præscientia fidei & pœnitentiæ Niniuitarum, si à Rege indiceretur jejunium & non aliter, direxit & mouit Deum ad volendam conditionem jejunij à Rege indicti.

831 Insuper disertè satis S. Thomas 1. part. quæst. 23. art. 5. ad 1. *Dicendum, quod vsus gratiæ, præscitus, non est ratio collationis gratiæ, nisi secundum rationem causæ finalis.* Vbi sermonem esse de præscientia conditionata certum est, nam vsus gratiæ absolutè præuisus non solum est secundùm rationem causæ finalis, sed etiam meritoriæ, quod excluditur à S. Thoma verbis illis: *Nisi secundum rationem causæ finalis*: Præscientia autem boni vsus excludens rationem meriti, & solam habens rationem causæ finalis, sola est conditionata: ergo hæc potest esse finis, & motiuum collationis gratiæ.

832 Præterea, idem firmant Patres, illius dubij solutionem inquirentes: Cur Deus homines & Angelos creauit, quos peccaturos præsciuit? Cur Euam coniunxit Adamo, sciens illum ex tali consortio peruertendum? Quos dedimus disp. 4. sect. 4. num... Eos autem Patres loquutos fuisse de præscientia futuri conditionati, certum videtur, quia loquuntur de præscientia cum qua Deus in sensu composito potuit re ipsa Adamum, & malos Angelos non creare; hoc enim erat assumptum, cuius solutionem inquirebant, cur scilicet Deus præsciens lapsuros Angelos & Adamum, non omisit eorum creationem, cum potuerit: si enim non potuisset, prompta fuisset Patribus hæc responsio, quam tamen nullus assumit: præscientia autem peccati absolutè futuri componi non potest cum non creatione Adami, & Angelorum, cum iam supponat eos creatos: ergo Patres illi non loquuntur de præscientia peccati absolutè, sed conditionatè futuri.

Eos autem Patres supponere, 833
potuisse Deum moueri ex præscientia futuri mali ad nolendam perituri hominis, & Angeli creationem, apertè constat ex ratione dubitandi quam proponunt; cur Deus videns tantam hominis, & Angeli ruinam, non abstituit ab eorum creatione, ne tanta mala sequerentur? Cur Euam coniunxit Adamo, sciens eum præuaricaturum, & non potius disjunxit, ne tanta generis humani iactura sequeretur? Quæ omnia clarè satis indicant motiuum fuisse aptum, & sufficiens ad id præstandum: aliter enim ridicula esset ratio dubitandi, Cur scilicet præsciens ea mala futura, non abstinuit? Nam de illo quem iuuare aut mouere nequit scientia mali, vt illud vitet, fatuè inquiritur, cur non omisit conditionem, ex qua malum futurum esse præuidit? sic ineptè quis interrogaretur, cur sciens oblato gladio futurum homicidium, non illum negauit? Si ad negandum gladium nihil iuuare posset aut mouere, scientia illa.

Dices, Deum eodem modo ponituum conditionem, etiamsi non præ- 834
uideret te consensurum, & eodem modo negaturum, etiamsi præuideret te non dissensurum; atque adeo neque ponendam conditionem ex præ-
uiso

uiso consensu, neque ad illam negandam ex præuiso dissensu.

835 Contrà tamen, quia Deus non habuisset hanc voluntatem: *Volo conditionem vt consentias*; nisi præcessisset scientia futuri consensus. Neque habuisset istam aliam: *Nolo conditionem ne dissentias*; nisi præcessisset scientia futuri dissensus: Deus autem habet eas voluntates, vt probatum est: ergo non habuisset illas, si non præcessissent scientiæ illæ: ergo diriguntur ab illis. Confirmatur. Nam alioqui causales illæ, quibus Scripturæ & Patres docent, positas esse aliquas conditiones vt fiat consensus; & positas non esse alias ne fiat dissensus, falsæ essent: sicut falsum esset dicere, te date beneficium Petro, vt memor sit tui; si eodem modo dares, siue memor siue immemor futurus esset: & falsum esset dicere, te negare pugionem Paulo ne se interimat, si eodem modo donares, siue se intempturus esset siue non: ergo.

836 Rursus, Chrysostomus homil. 65. in cap. 9. Matth. assumptum firmat his verbis: *Operarios aliquos vocatos, tertia, sexta, & vndecima hora, & non antea, quia præsciebat Deus tunc benè operaturos, & non antea: Paulumque prope Damascum, & Latronem in Cruce, & non antea vocatos, ob eandem rationem.* Quibus vtraque nostræ sententiæ pars adeo dilucidè continetur, vt nulla sit ponderationis necessitas: scilicet vocatos esse tunc, quia præuisi sunt operaturi; & non illo antea vocatos, quia præuisi sunt non operaturi. Similia habet homil. 34. & homil. 4. de laudibus S. Pauli. Et ad Romanos 9. serm. 16. Alia plura videas apud Authores citatos, si permiserit otium.

837 Denique, vt omittam cæteros, contestes sunt huius veritatis Basilius, & Gregorius Nyssenus. Ille in Constitutione monastica ita scribit: *Si enim intellexisset Dominus, te, si munus impetrares, id nequaquam esse omissurum, sine dubio vltrò tibi sine vllo rogatu detulisset: nunc autem tibi prospiciens hoc facit.* Iste oratione de infantibus, qui præmaturè rapiuntur: *Ne quod vi præscientia malum animaduersum est in eo, qui ita victurus fuisset, perficiatur.* Ergo Deus non vult ponere conditionem, quia malum ab eo præuisum sequeretur, vel ne sequeretur, quod idem est.

Ex dictis collige, Deum non solùm posse, sed etiam de facto dirigi 838
à præscientia futuri consensus, ad ponendam conditionem, & à præscientia futuri dissensus, ad eam nolendam. Quia vtrumque conuincitur testimoniis Scripturæ & Patrum: vnde potissima ratio ad quæstiones de facto, emenda est, maximè in punctis Theologicis, qui alioquin nobis incerti sunt, nisi Scripturarum & Sanctorum Patrum nos instrueret disciplina. De quo iterum infrà disputat. sequenti.

SECTIO II.

Directio scientiæ mediæ rationitionibus stabilitur.

Rationes, quibus communiter à 839
nostris Doctoribus ea directio scientiæ mediæ stabiliri solita est, sunt.

Prima. Quia si Deus ex præscien- 840
tia futuri consensus moueri non posset ad exequendam vocationem; aut ex

ex præſcientia futuri diſſenſus ad non exequendam; fieret, orationes Christi, & fidelium irritas, & inanes eſſe, quod impium eſt: ergo. Sequela probatur, quia irritè, & inaniter petitur ab eo aliquid, quod ipſe exequi non poteſt: at Deus impoſſibili directione ſcientiæ mediæ non poſſet exequi, quod ab ipſo peteretur: ergo. Minor probatur, quia ſæpius rogatur Deus à fidelibus pro auxiliis efficacibus, quatenus efficacibus: at Deus nequit velle abſque ſcientia media dirigente auxilium efficax, vt efficax, vel quia efficax: ergo. Minor probatur, quia Deus non poteſt velle auxilium efficax vt tale, quin velit illud, quo conſtituitur efficax, ſcilicet conſenſum; non autem poteſt velle conſenſum, niſi illi per ſcientiam mediam proponatur ſub conditione futurus: ergo Deus nequit velle auxilium efficax, vt efficax, abſque ſcientia media dirigente.

841 Orationibus autem Chriſti, & fidelium rogari Deum pro auxiliis efficacibus, vt efficacia ſunt, probatur. Nam Chriſtus Dominus id petiit pro Apoſtolo Petro: *Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua.* Vbi non exigitur nuda entitas auxilij, ſed efficacia illius. Idem etiam præſtitit pro Apoſtolis, Ioan. 17. *Non pro Mundo rogo, ſed pro iſtis quos dediſti mihi.* Et infrà. *Pater ſancte, ſerua eos quos dediſti mihi.* Quibus Chriſtus Dominus exigebat, & remoueri à Patre eas vocationes, quæ præuidebantur inefficaces; & eas concedi, quibus perſeueraturi præuidebantur: ergo exigebat vocationes efficaces, vt diſtinctas ab inefficacibus: id autem aliud non eſt, quàm exigere conſenſum Diſcipulorum perſeuerantem.

842 Idem rogari à fidelibus certum eſt; nam ſæpius petimus à Deo in eo ſtatu conſtitui in quo benè operaturi ſumus. Quibus petitur ſtatus gratiæ efficacis, vt diſtinctus ab inefficaci, quod aliud non eſt quàm petere bonum vſum gratiæ ſiue conſenſum. Item ſæpius rogatur Deus à bonis pro bonis temporalibus, niſi ſaluti æternæ nocitura ſint, ſed potius profutura. Præterea, pro eligendo ſtatu, piè, & iuſtè rogatur Deus, vt illum inſpiret in quo prædeſtinatio noſtra conſummanda eſt. Quæ omnia aliud non ſunt, quàm ſtatus gratiæ efficacis, vt diſtinctus ab efficaci. Vel ergo Deus poteſt velle donare nobis ſtatum gratiæ efficacis, quatenus diſtinctum ab ſtatu gratiæ inefficacis, vel non? ſi poteſt: ergo poteſt velle efficaciam vnius ſtatus, & nolle inefficaciam alterius, Quod abſque dirigente præſcientia inefficaciæ vnius & efficaciæ alterius contingere non poteſt; quia non poteſt Deus velle hunc ſtatum quia efficax eſt, niſi id cognoſcat. Si dicatur ſecundum: ergo Deus non poteſt velle, & decernere id, quod petitur à nobis, quod tanquam abſurdiſſimum deteſtatur Auguſtinus lib. 2. de dono perſeuerantiæ cap. 6. *Dicat mihi quiſquis audet, vtrū à Deo dari non poſſit, quod à ſe poſci imperauit? Hoc certè qui ſapit, non dico deſipit, ſed inſanit. Imperauit autem Deus, vt ei Sancti eius dicant orantes: Ne inferas nos in tentationem. Quiſquis ergo exauditur hoc poſcens, non infertur in contumacia tentationem, &c.*

Confirmatur. Nam donum perſeuerantiæ finalis, & reparatio poſt lapſum in opinione ſatis probabili cadere poſſunt ſub meritum congruum; ergo ad tale meritum concedendum, poteſt Deus moueri ex præſcientia perſeuerantiæ finalis, 843

& reparationis post lapsum.

844 Dices, Deum ex his omnibus moueri ad eligenda auxilia morali certitudine, & infallibilitate illatiua consensus, seu vt aiunt alij, moraliter prædeterminantia; non autem ad volendum consumipsum, vel auxilium propter consensum. Hæc solutio non satisfacit. Nam orationibus illis non solum mouetur Deus ad concedendum id, quod absolutè separabile est à dono postulato, & sub meritum nostrum cadente; sed etiam ad id concedendum, quod re ipsa petitur, & sub meritum cadit: quod autem petitur, & sub meritum cadit, est ipsa perseuerantia, ipsa reparatio, bonus vsus gratiæ, tentationum victoria, &c. Ergo orationibus, & meritis mouetur Deus ad ea volenda, & decernenda, & non solùm ad auxilia moraliter prædeterminantia: vt autem Deus ea dona velit, & decernat, id præstare debet ex præscientia, qua certissimè nouit ea dona futura sub talibus auxiliis: ergo ductus tali præscientia.

845 Confirmatur. Nam Christus Dominus, & fideles non solùm postulant, vt morali certitudine, & infallibilitate eos manuducat ad perseuerantiam, & bonum vsum gratiæ; sed etiam vt id præstet omnimoda, & infallibili certitudine: Hæc autem talis non est, quæ auxiliis moraliter prædeterminantibus innititur; sed quæ petitur ex præscientia conditionata: ergo nisi ab ista moueatur, & dirigatur Deus, conferre non poterit exoratum donum.

846 Secunda ratio sumitur ex promissionibus diuinis multiplicis nostri actus liberi, quæ passim in Scripturis commendantur. Abrahæ enim promisit fidem gentium: *Patrem multarum gentium constitui te*, Genesis 17. 6. Contestantur Paulus Romanorum 4. & August. lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 10. *Quomodo ergo promisit Deus Abraha in semine eius fidem gentium, dicens: Patrem multarum gentium posui te.* Ezechielis 11. 19. promisit obseruantiam mandatorum. *Ego dabo eis cor vnum, & spiritum nouum tribuam in visceribus eorum, & dabo eis cor carneum: vt in præceptis meis ambulent*, &c.

Ita argumentor. Non potest Deus promittere meum actum liberum, nisi volens se obligare ad ponendum illum per principia indifferentia & libera: non autem potest velle se obligare ad ponendum actum liberum per principia indifferentia, nisi ex præscientia infallibiliter repræsentante illi, extiturum talem actum si ea principia ponerentur: ergo. Minor probatur, quia nullus prudenter potest se obligare ad ponendum effectum per medium indifferens & pendens quoad determinationem ab alterius voluntate, nisi sciat tale medium determinandum ad effectum, casu quo ponatur; aliter se exponeret periculo frustrandi suam promissionem, cum eligere posset medium casu quo non sequeretur effectus, & tunc irrita foret promissio: id autem vitatur præscientia futuri effectus: ergo. 847

SECTIO III.

Directio scientiæ mediæ componitur cum libertate.

VNicum fundamentum, quod paucos illos Recentiores impulit ad directionem scientiæ mediæ possibilem 848

possibilem negandam, est, quia intelligere non potuerunt, quonam pacto cum ea directione salua possit consistere creata libertas. Nam scientia media consensus sub conditione auxilij, est causa tum existentiæ auxilij, tum consensus, cùm Deus ex illa moueatur ad decernendum auxilium, vt sequatur consensus: aliunde est inconiungibilis cum dissensu posita conditione, & connexa cum consensu: ergo est principium ad vnum determinatum: hoc destruit libertatem: ergo & directio scientiæ mediæ. Si hoc fundamentum deturbauerimus, non est cur vlterior nostræ conclusionis probatio desideretur.

849 Sit ergo conclusio nostra. Directione scientiæ mediæ inoffensa stare iura creatæ libertatis. Probatur primò. Quia ex triplici capite posset ea directione nostra concuti libertas. Primò, si esset principium proximum & immediatum, vi sua & efficacitate rapiens ad consensum. Secundò, si excluderet principia ad dissensum, nam principia ad consensum non excludi, extra dubium est. Tertiò, si ea directio non posset à nobis impediri. Nullo ex his capitibus concutitur humana libertas: salua ergo est libertas, & inconcussa directio scientiæ mediæ. Minor sigillatim per partes comprobanda est.

850 Non ergo euerti libertatem, quia ea directio scientiæ mediæ sit principium proximum & immediatum, vi sua & efficacitate rapiens ad consensum. Probatur, quia ea directio tantùm mouet ad ponendas causas proximas & immediatas, ex quibus præuisus est consensus futurus, potius quàm dissensus: huiusmodi autem influxus proximus & immediatus non est, sed mediatus tantùm & remotus: ergo directio scientiæ mediæ non est principium proximum & immediatum consensus. Minor certa est, quia influxus causæ in causam alicuius effectus, non est influxus immediatus & proximus in effectum, sed mediatus & remotus. Maior probatur, quia directio scientiæ mediæ solùm mouet ad ponendum id, ex quo nouit ipsa futurum potius consensum quàm dissensum: id autem ex quo nouit scientia media futurum potius consensum quàm dissensum, sunt causæ proximæ & immediatæ consensus futuri potius quàm dissensus: ergo directio scientiæ mediæ tantùm mouet ad ponendas causas proximas & immediatas, ex quibus præuisus est futurus potius consensus quàm dissensus.

Neque destrui libertatem, eo quòd directio scientiæ mediæ excludat principia proxima ad dissensum. 851 Probatur, quia directio scientiæ mediæ inducit principia proximè indifferentia tam ad consensum, quàm dissensum: ergo ea non excludit. Consequentia clara est. Antecedens probatur, quia scientia media mouet ad volendum consensum eo modo, quo præuisus est ab ipsa futurus: ab ipsa autem præuisus est futurus consensus cum potestate proxima dissentiendi: ergo mouet ad volendum consensum cum potestate proxima dissentiendi: ergo non excludit illam. Confirmatur. Si ea directio excluderet potestatem dissentiendi, maximè quia connexa cum consensu: inde non excludit: ergo. Minor probatur, quia nihil magis connexum cum cōsensu; quàm ipse consensus: consensus autem non excludit potestatem proximam ad dissensum, imo cum ea componitur, & coniungitur, cum duret siue permaneat vnà cum con-

sensu potestas proxima dissentiendi, quæ prioritate naturæ præcessit consensum: ergo neque directio scientiæ mediæ excludet potestatem proximam dissentiendi, quia connexa cum consensu.

Dices, directionem scientiæ mediæ non eo præcisè excludere principia proxima ad dissensum, quia connexa est cum consensu, sed quia est principium illius inconiungibile cum dissensu, cuius carentia exigitur ad potestatem proximam dissentiendi.

852 Contrà tamen, quia scientia media futuri consensus non constituitur à nobis principium per se consensus, sed per accidens, vt constabit infrà, & à nobis impedibile: carentia autem huiusmodi principij non complet potestatem proximam dissentiendi; sed eam supponit, estque illius effectus: ergo directio scientiæ mediæ non eo præcisè excludit potestatem proximam dissentiendi, quia est principium consensus inconiungibile cum dissensu. Confir. potestas proxima dissentiendi non minus impeditur consensu, quàm principio connexo cum consensu: & tamen carentia consensus non complet potestatem proximam dissentiendi, sed eam supponit, estque illius effectus: ergo licet potestas proxima dissentiendi impediatur principio connexo cum consensu, eius carentia non complebit potestatem proximam dissentiendi, sed eam supponet, eritq; effectus illius.

853 Denique neque destruit libertatem, eo quòd scientiæ mediæ directio impedibilis non sit à nobis. Ostenditur. Quia in manu nostra constitutum est, ne fuerit ea directio: ergo est nobis impedibilis: principium autem connexum cum consensu, & inconiungibile cum dissensu, si impedibile sit à nobis, non destruit libertatem: ergo neque directio scientiæ mediæ. Antecedens probatur, nam cui est potestas dissentiendi, est quoque potestas impediendi ne fuerit consensus, & consequenter ne fuerit quidquid pendet essentialiter, aut connectitur cum consensu: directio autem scientiæ mediæ connectitur essentialiter cum consensu: ergo cui est potestas dissentiendi, est quoque potestas impediendi ne fuerit directio scientiæ mediæ: directio autem scientiæ mediæ non excludit potestatem proximam dissentiendi; imò cum ea connectitur, cum pendeat à positione auxilij & decretorum indifferentium, in quibus stat potestas proxima dissentiendi: ergo neque excludit potestatem proximam impediendi ne fuerit ea directio.

Confirmatur. Scientia media non mouet aut dirigit primum decretum indifferenter collatiuum auxilij, sed alterum reflexum volens exequi auxilium vt fiat consensus: huiusmodi autem decretum est à nobis impedibile: ergo & directio. Minor constat ex dictis disp. præcedenti sect... vbi ex professo ostensum à nobis est, tale decretum esse à nobis euitabile, videas ibi dicta. 854

SECTIO IV.
Obiectionum solutio.

Obiicies primò. Deus dirigi non potest in distributione auxiliorum à scientia media futuri dissensus: ergo neque à scientia media futuri consensus. Respondeo, concesso antecedente, negans consequentiam. Disparitas nimis clara est, quia videlicet scientia media futuri consensus proponit motiuum Deo expetibile & amabile; secus verò scientia 855

ſcientia Media futuri diſſenſus : peccatum enim motiuum eſſe nobis eligendi auxilium propter ipſum.

856 Obij. Secundò. Si ſcientia Media futuri conſenſus dirigeret in ſtatu abſoluto poſitionem conditionis, etiam dirigeret in conditionato : in iſto non dirigit : ergo neque in illo. Minor eſt certa, quia poſitio conditionis in ſtatu conditionato præcedit ſcientiam Mediam futuri conſenſus : ergo non dirigitur ab illa. Maior autem probatur: nam conditio in ſtatu conditionato pendet ab eiſdem omnino principiis, à quibus pendet in ſtatu abſoluto, ſiue ſint principia per ſe, ſiue per accidens : ergo ſi dependet in ſtatu abſoluto à directione ſcientiæ Mediæ, quoque pendebit in conditionato. Antecedens probatur, quia de illis principiis de quibus abſolutè exiſtentibus verum eſt dicere, effectus infallibiliter exiſtet, verum etiam eſt dicere, quod ſi eſſent, effectus quoque infallibiliter eſſet, ſiue ſint principia per ſe, ſiue per accidens : ergo ab illis pendet in ſtatu conditionato, à quibus pendet in abſoluto.

857 Reſpondeo diſtinguens maiorem. Si ſcientia Media dirigeret in ſtatu abſoluta, dirigeret etiam in ſtatu conditionato, primo nego : in ſecundo, concedo. Similiter diſtinguo minorem, non dirigit in ſtatu conditionato primo, concedo : in Secundo nego. Et nego conſequentiam. Ad minoris probationem reſpondeo, ſcientiam Mediam eſſe quidem poſteriorem primo ſtatu conditionato, priorem verò ſecundo, ideoque poſſe hunc dirigere, non illum. Ad probationem autem maioris, diſtinguo Ant. Conditio in primo ſtatu conditionato pendet ab eiſdem principiis à quibus pendet in abſoluto, ſiue ſint principia per ſe ſiue per accidens : nego : in ſecundo, concedo. Similiter diſtinguo conſequens. Si conditio dependet in ſtatu abſoluto à directione ſcientiæ Mediæ, etiam pendebit in conditionato, primo, nego : in ſecundo, concedo.

858 Hæc omnia clariora fient, ſi explicuerimus, quid ſit primus ſtatus conditionatus, quid ſecundus. Primus ergo ſtatus conditionatus ille eſt, cuius conditio tantùm complectitur principia per ſe & eſſentialiter requiſita, eaque indifferentia tam ad conſenſum, quàm diſſenſum præſcindendo à principiis reflexis & per accidens v. g. *Si vocauero Petrum tali auxilio, conſentiet* ; quod futurum conditionatum eſt prius ſcientia conditionata illius, & conſtituit primum ſtatum conditionatum, qui non dirigitur à ſcientia Media, quia hæc eſt principium per accidens, & primus ſtatus eſt tantùm principiorum per ſe; ſecundus ſtatus cõditionatus eſt principiorum per accidens pendentium à primo, ſcilicet ſcientiæ Mediæ futuri conſenſus, & decreti exequentis vocationem vt fiat conſenſus ; & hic ſtatus dirigitur à ſcientia Media directa, nam verum eſt, quod ſi eſſent ea principia fieret conſenſus.

859 Sed inſtabis. Primus ſtatus abſolutus dirigitur à ſcientia Media : ergo & conditionatus. Antecedens patet, nam prima exiſtentia auxilii eſt primus ſtatus abſolutus : prima autem exiſtentia auxilii dirigitur, cum Deus ad eam ponendam moueatur ex conſenſu futuro præuiſo : ergo.

860 Reſpondeo, conceſſo antecedente, negans conſequentiam : diſparitas eſt, quia prima exiſtentia abſoluta auxilij poteſt ſupponere ſcientiam Mediam, quippe ab ipſa independentem ; prima autem exiſtentia conditionata eiuſdem auxilij, non poteſt ſcientiam Me-

diam supponere,nam pendet essentia-
liter ab illa;ideoque istam dirigere non
potest, benè verò illam. Si autem
quæras,cur scientia Media pendeat ab
existentia auxilij conditionata, siue
per modum conditionis, non verò ab
absoluta? Facilis est responsio, quia
videlicet scientia conditionata non
potest esse sine conditione, vt condi-
tio est, cùm vt talem eam essentialiter
respiciat: at potest esse sine conditio-
ne vt absolute existentente, quia vt
sit eam non repræsentat, sed præscin-
dendo ab eo, quod absolutè sit, vel
non sit existens; quod commune est
cuicùmque actui conditionato.
861 Obiicies tertiò.Si sciẽtia Media diri-
geret voluntatẽ dandi auxilium vt fiat
cõsẽsus,esset principiũcõsensus:id im-
plicat:ergo& dirigere.Minor probatur.
Si esset principium,euerteret libertatẽ:
ergo implicat esse principium.Antece-
dens probatur, quia scientia Media
esset principium connexum cum con-
sensu & inconiungibile cum dissen-
su,principium autem connexum cum
862 consensu & inconiungibile cum dis-
sensu destruit libertatem: ergo.
Respondeo distinguens maiorem.
Scientia Media esset principium per
se & essentialiter requisitum, nego:
per accidens,concedo. Et nego mino-
rem. Ad cuius probationem distin-
guo maiorem. Scientia Media esset
principium per accidens connexum
cum consensu,& inconiungibile cum
dissensu, concedo: per se, nego. Si-
militer distinguo minorem, princi-
pium per accidens connexum cum
consensu,& inconiungibile cum dis-
sensu destruit libertatem, nego: prin-
cipium per se,concedo. Et nego con-
sequentiam. Ratio est, quia princi-
pium per se non est à nobis impedi-
bile, cùm vsus nostræ libertatis pen-
deat essentialiter ab illo: at princi-
pium per accidens pendens essentia-
liter à meo consensu cum potestate
dissentiẽdi,est à nobis impedibile me-
dio dissẽsu;ideoque nõ obstat libertati. 863
Instabis,si possem ego impedire cau-
sas per accidẽs,posse quoque impedire
causas per se:has non possum impedi-
re: ergo neque causas per accidẽs:ergo
neque directionẽ scientiæ Mediæ.Ma-
ior probatur,quia si Deus non præui-
disset hoc auxiliũ efficax,non illud de-
disset,sed aliud,quod sciret futurũ effi-
cax;hoc enim præstat directio scien-
tiæ Mediæ: ergo qui potest impedi-
re ne sit ea directio, quoque pote-
rit impedire ne sit hoc auxilium: hoc
autẽ auxiliũ est causa per se:ergo impe-
dire quoque poterit ne sit causa per se.
Confirmatur.Directio scientiæ Mediæ
est requisitum ad existentiã illius au-
xilij, quod non esset, nisi talis dire-
ctio præcessisset: cuius autem est po-
testas impediendi requisitum ad exi-
stentiam auxilij, est etiam potestas
impediendi existentiam auxilij, ergo
si in me esset potestas impediendi di-
rectionem requisitam ad existentiam
huius auxilij,quoque esset potestas ad
existentiam auxilij impediendam.
Respondeo negans maiorem. Ad
probationem distinguo antecedens.
Si Deus non præuidisset hoc auxi- 864
lium efficax, non illud dedisset, po-
tens donare, concedo: non potens,
nego. Et nego consequentiam. Quia
Deum non donare auxilium inefficax,
cùm possit, non est nostræ libertatis
sed diuinæ: quæ libertas nec impedi-
tur præscientia futuri consensus, nec
dissensus, cum qualibet enim earum
potest Deus donare auxilium quod
placuerit: vnde meus dissensus impe-
dimentum esse non potest ne existat
auxilium, quod inefficax præuidetur,
etiam dum efficax eligitur, & inefficax
remouetur. Meus autem dissensus
conditionatus

conditionatus reddit Deo impossibilem præscientiam consensus conditionati,&decretum exequendi vocationē propter consensum,vel vt fiat consensus,quæ sunt causæ per accidēs cōsensus,ideoque sunt à nobis impedibiles.

865 Ad confirmationem, Respondeo distinguens maiorem. Directio scientiæ Mediæ est requisitum necessarium ad existētiā illius auxilij,quod nō esset, nisi talis directio præcessisset, nego: est requisitum per accidens, concedo. Et distinguo minorem. Cujus est potestas impediēdi requisitum necessarium ad existentiā auxilij, est etiam potestas impediendi existentiam auxilij, concedo. Cuius est potestas impediēdi requisitum per accidens, nego. Et nego consequentiam: nam requisitum per accidens ad ponendam existentiam auxilii efficacis, non impedit potestatem non ponendi nec potestatem ponendi inefficax, vt vidimus: atque adeo, quòd Deus ponat auxilium efficax,& remoueat inefficax; vel quòd ponat efficax, non positurus si præuideretur inefficax, negotium est solius diuinæ libertatis, nec à nobis impedibile.

866 Obiicies quartò. Si Deus ex directione scientiæ Mediæ donaret mihi auxilium,quo prouideor consensurus, non daturus si præuiderer dissensurus, fieret me cum eo auxilio nō posse dissentire: ergo Deus nec ita dat, nec dare potest. Sequela probatur. Quia si ego cum eo auxilio dissentirem, siue quod idem est, illi coniungerem dissensum, implicaret: ergo impossibile mihi esset dissentire. Antecedens probatur, quia illud auxilium esset, & non esset; esset quia illi coniungerem dissensum; non esset quia non poneretur à Deo præuiso dissensu, & non præuiso consensu: ergo. Confirmatur, deficiente præscientia futuri consensus sub hoc auxilio, non esset hoc auxilium: me autem dissentiente deficeret præscientia futuri consensus sub hoc auxilio: ergo non esset hoc auxilium: aliunde esset, quia illi coniungerem dissensum: ergo esset & nō esset.

Tota huius obiectionis difficultas oritur ex implicatione terminorū. Idcircò diligenter aduertas. Entitatiuæ existentiæ huius auxilii extrinsecum esse & contingens, quod consentias potius quàm dissentias, & quòd à Deo præuidearis consensurus potius quàm dissensurus. Similiter extrinsecum & contingens est, Deum donare hoc auxilium, non daturum si dissensurus præuidereris. Quia in re aliud non est, quàm extrinseca denominatio à decreto dandi hoc auxilium propter consensum, vel vt consentias: hoc autem decretum extrinsecum est & contingens entitatiuæ existentiæ huius auxilij: extrinsecum ergo & contingens quoque erit entitati auxilij esse tale. quod non esset, si præuidereris dissensurus. Vnde cōiungere dissensū huic auxilio, non extituro si non præuidereris cōsensurus, non tantū dicit conjunctionē dissensus cum entitate huius auxilij, sed etiā cum decreto dandi illud propter cōsensum, directo & regulato per scientiam mediam futuri consensus. His positis: 867

Respondeo, negans sequelā. Ad probationē nego Ant. ad cuius probationē concedo primā partē, scilicet esse illud auxilium me dissentiente; & nego secundā, scilicet nō esse. Ad cuius probationē, dicimus in casu dissensus nō futurum illud auxilium tale, quod nō poneretur à Deo; quia id habet entitas auxilij ab extrinseca circunstātia decreti, volentis auxilium propter consensū ex directione sciētiæ Mediæ; quæ circumstātia meo dissensu impediretur, & cōsequēter nō esset vnde deficeret entitatiua existētia auxilij: atque adeo verū esset tunc, esse auxiliū, falsum non esse. Esset autem simul & non esset, 868

si

si ego dissentirem non solum coniungendo dissensum cum auxilio, sed etiam cum extrinseca illa circumstantia; *non esset auxilium si prauiderer dissensurus*; quia hæc circũstantia tolleret auxilium: Vnde licet non possim dissentire coniungendo dissensum cum ea circumstantia, possum tamen dissentire eam impediendo.

869 Ad confirmationem distinguo maiorem. Deficiente præscientia futuri consensus sub hoc auxilio, non esset hoc auxilium permanente circumstantia extrinseca, vnde non esset si præuideret dissensurus, concedo; ea impedita, nego. Et distinguo minorem: me dissentiente deficeret præscientia futuri consensus sub hoc auxilio, permanente circumstantia extrinseca, vnde non esset tale auxilium si præuideter dissensurus, nego: ea impedita, concedo. Et nego consequentiam. Quia in casu dissensus sub eo auxilio, sicut impeditur præscientia consensus & decretum dandi tale auxilium propter consensum, pariter impeditur circumstantia illa, vnde non esset tale auxilium si dissensurus præuideretis.

870 Instabis. Sequi ex nostra sententia consequens implicatorium ex præmissis veris: id autem absurdissimum est: ergo. Sequela probatur hoc syllogismo. Si Deus hoc auxilium præuideret inefficax ad consensum, non existeret hoc auxilium: si hoc autem auxilium coëxisteret cum dissensu, Deus præuideret illud inefficax ad consensum: ergo si hoc auxilium coëxisteret cum dissensu, non existeret hoc auxilium. Consequens hoc est implicatorium, & legitimè deductum ex præmissis veris in nostra sententia: ergo.

871 Respondeo negans sequelam. Ad probationem, distinguo maiorem syllogismi. Si Deus hoc auxilium præuideret inefficax ad consensum, non existeret hoc auxilium, volente Deo me consentire, concedo; non volente Deo, aut præscindendo ab ea voluntate diuina, incertum, quia est status indifferentiæ, qui nec excludit auxilium ratione inefficaciæ, nec illud determinat ratione efficaciæ. Et distinguo minorem, si hoc auxilium coëxisteret cum dissensu, Deus præuideret illud inefficax ad consensum, volens me consentire, nego; quia impossibile est, velle Deum me consentire pro instanti quo meus dissensus existit: non id volens, concedo. Vnde falsa est consequentia, quia non volente Deo me consentire; non est vnde inferatur non extiturum hoc auxilium, quo præuideat dissensurus.

Obiicies quintò. Si Deus donaret mihi hoc auxilium ex directione scientiæ mediæ, fieret tale auxilium non præcedere meum consensum absolutum: id falsum est: ergo. Sequela probatur, quia si ego non consentirem, neque existeret auxilium illud ex directione scientiæ mediæ: ergo me actu consentire, est requisitum simpliciter ad existentiam auxilij ex directione scientiæ mediæ: requisitum autem ad existentiam alicuius, supponere non potest existentiam illius: ergo neque me actu consentire, supponere potest existentiam auxilij ex directione scientiæ mediæ: ergo existentia auxilij ex directione scientiæ mediæ, præcedere non posset meum consensum absolutum. 872

Aduerto dupliciter posse vnam rem esse requisitam ad existentiam alterius. Primò, per modum effectus cui connectitur; sic me existere requisitum est ad decretum, quo Deus ab æterno decreuit creare me; & actus imperatus 873

imperatus requisitus est ad actum imperantem efficacem; quia si ego non existerem; neque extitisset decretum creandi me; & si actus imperatus non existeret, neque imperans extitisset. Secundò, per modum purè concomitantis, aut principij, qua ratione dispositiones naturales requiruntur ad formam, cognitio ad amorem, causa efficiens respectu sui effectus, & alia huiusce generis: Respondeo negans sequelam. Ad probationem concesso antecedente, distinguo consequens: me actu consentire est requisitum ad existentiam auxilij ex directione scientiæ mediæ, per modum effectus, cui ea existentia auxilij connectitur, concedo: per modum principij aut purè concomitantis, nego. Et distinguo minorem; requisitum ad existentiam alicuius per modum effectus cui ea existentia connectitur, non potest supponere illius existentiam, nego: requisitum purè comitans, aut per modum principij, concedo, & nego consequentiam; quia me consentire, non est requisitum huius generis ad existentiam auxilij ex directione scientiæ mediæ, sed alterius per modum effectus.

874 Obiicies sextò. Admissa directione scientiæ mediæ, præuisis omnibus auxiliis inefficacibus, potest Deus habere hoc decretum: *Nolo existere in Petro vllum auxilium inefficax.* Hoc posito, demus Deum donare Petro auxilium *A.* Eo dato auxilio non posset Petrus dissentire: ergo nulla esset in eo libertas. Antecedens probatur, quia in primis non posset dissentire coniungendo dissensum cum eo decreto, *Nolo existere in Petro vllum auxilium inefficax,* quia hæc sunt prorsus inconiungibilia: deinde neque potest dissentire impediendo decretum illud: alius modus medius dissentiendi non est: ergo nullo modo potest dissentire. Secunda maioris pars probatur, quia Petrus suo dissensu impedire tantum potest decretum connexum cum consensu; illud autem decretum non est connexum cum consensu: ergo. Minor probatur, quia illud decretum existere potest non solùm sine consensu Petri, sed etiam quin vllum auxilium conferatur Petro: decretum enim tantum vult, non existere vllum auxilium inefficax: ergo non connectitur cum consensu Petri.

Respondeo admisso eo decreto, negans secundam maioris partem, scilicet Petrum non posse dissentire impediendo ne fuerit tale decretum. Ad cuius probationem concessa maiori, distinguo minorem; illud decretum non est connexum cum consensu secundum se & præciso alio decreto donante auxilium *A*, concedo: vnà cum illo, nego: quia posito ex vna parte decreto nolente existere vllum auxilium inefficax, & ex alia decreto ponente auxilium *A*, ponitur connexio cum consensu. Vnde patet ad probationem, nam licet decretum nolens existere vllum auxilium inefficax secundum se & præciso alio decreto ponente auxilium *A*, possit existere sine consensu, non tamen coniunctum cum alio decreto, atque adeo stante alio decreto ponēte auxilium, stat in me potestas impediendi illud. Sicut posita conditione, stat in me potestas impediendi meo dissensu scientiam mediam consensus; quia licet scientia illa media secundum se & præcisa conditione, connexionem non habet cum consensu absoluto; posita tamen conditione, ponitur ea connexio. 875

SECTIO V.

An ea directio scientiæ mediæ non solum sit Deo possibilis, sed etiam necessaria.

876 Difficultas est, An Deus non solum moueri possit ex præscientia futuri consensus ad dandum auxilium efficax, & remouendum inefficax; sed An ita necessariò moueatur, vt nulla ratione exequi possit auxilium re ipsa efficax, nisi directus ex præscientia futuri consensus. Itaque non inquirimus, an Deus possit exequi vocationem per decretum connexum cum consensu, & à scientia media consensus regulatum, sine scientia media consensus; hoc enim impossibile esse, satis constat ex dictis. Sed, an Deus necessariò vocationem re ipsa efficacem ponere teneatur si velit eam exequi, per decretum connexum cum consensu, & directum à scientia media eiusdem consensus, nec alia via aut decreto eam vocationem exequi possit.

877 Prior sententia affirmat eam directionem esse prorsus necessariam ad conferenda auxilia efficacia. Ita aliqui Recentiores Societatis, quos refert P. Ribadeneyra de prædestinatione disp. 4 cap. 1. Posterior sententia negat eam directionem necessariam ad conferenda auxilia re ipsa efficacia. Ita communiter Doctores Societatis, id vel supponentes quotquot cum magno Soatio docent, prædefinitiones non esse necessarias ad existentiam actuum liberorum; vel discertè punctum agitantes, Ita P. Arriaga tom. 1. in 1. part. disp. 32. sect. 4. subsect. 2. P. Ribadeneyra disp. 4. de prædestinatione cap. 1. num. 3. & communiter Recentiores.

Sit nostra conclusio, eam directionem scientiæ mediæ necessariam non esse. Probatur primò. Nam si scientia media consensus esset necessaria ad decernendum auxilium re ipsa efficax, quoque esset necessaria ad existentiam consensus, vt notum est: ad existentiam consensus necessaria non est: ergo neque ad decernendum auxilium re ipsa efficax. Minor probatur, nam si scientia media consensus esset necessaria vt ego consentirem, in eo qui dissentit non esset potestas proxima consentiendi, vnde neque libertas: id dici non potest: ergo. Maior probatur. Cui deest requisitum simpliciter ad consensum, cuius acquisitio non est in manu ipsius, quoque deest potestas proxima consentiendi: ei autem, qui dissentit deest requisitum simpliciter ad consensum, quod acquirere non est in manu illius, scilicet scientiam mediam consensus: ergo deest potestas proxima consentiendi Maior certa est in Schola Societatis, & fortè vnicum fundamentum, vnde in causa auxiliorum arguitur contra Thomistas. Minor quoad primam partem indubitata est, nam re dissentiente non stat scientia media futuri consensus. 878

Quoad secundam verò partem, scilicet, non esse in manu illius, qui dissentit, acquirere existentiam scientiæ mediæ consensus. Probatur, nam eam scientiam duplici via comparare posset. Prima, liberè dissentiendo; & hoc impossibile est, nam adeò distat, per dissensum comparari scientiam mediam consensus, vt eam penitus excludat. Secundo, liberè consentiendo, & neque hac via esse in manu tua acquirere scientiam mediam consensus, 879

sus, probatur. Nam id, ad quod necessario supponitur existentia alterius, non potest esse acquisitio primariæ existentiæ illius, sic quia primum auxilium est simpliciter requisitum tam ad consensum quàm dissensum liberum, neque consensus, neque dissensus possunt esse acquisitio primi auxilij. Insuper, quia cognitio & voluntas sunt necessarò prærequisita ad amorem, amor non potest esse acquisitio cognitionis aut voluntatis. Denique, quia prædeterminatio est necessariò requisita ad consensum, fatentur omnes tum nostri, tum Thomistæ, consensum non posse esse acquisitionem prædeterminationis. Scientia autem media consensus necessariò præsupponitur ad consensum: ergo consensus non potest esse acquisitio illius. Hæc ratio semper mihi euidentissima fuit.

880 Dices tamen, eam directionem non esse necessariam ex parte effectus, vt benè conuincit nostrum argumentum, esse tamen necessariam ex parte Dei perfectissimè dispensantis auxilia.

881 Contrà tamen, quia meus consensus pendet essentialiter à voluntate diuina, non solùm cooperante, sed etiam auxilia præparante: pendet insuper à voluntate diuina non solum vt voluntas est, sed etiam vt diuina est: voluntas autem diuina, quà talis, est perfectissimè operans: ergo si directio scientiæ mediæ esset necessaria ex parte perfectissimè operantis, quoque esset necessaria ex parte consensus. Confirmo, ex parte consensus exigitur decretum exequens auxilium, non minus quàm ipsum auxilium. Vel ergo possibile est decretum exequens auxilium sine directione scientiæ mediæ consensus, vel nō? si est possibile: ergo potest Deus exequi auxilium re efficax absque directione scientiæ mediæ, atque adeo ista neque ex parte effectus, neque ex parte Dei erit necessaria. Si non potest: ergo consensus, qui exigit decretum exequens auxilium, quoque exiget directionem scientiæ mediæ, sine qua tale decretum existere non potest: atque adeò ea directio necessaria erit ex parte effectus.

Obiicies primò, Non minus requiritur ad potestatem dissentiendi, posse impedire, quod officit; quàm ad potestatem consentiendi, posse comparare quod deficit: atqui datur potestas dissentiendi, etiamsi non detur potestas impediendi scientiam mediam consensus, quæ officit: ergo & dabitur potestas consentiendi, etiamsi non datur potestas comparandi scientiam mediam consensus, quæ deficit. Minor probatur, quia scientia media consensus non pendet à meo dissensu, vt perspicuum est, neque à meo consensu absoluto, quia etiamsi ego nunquam consentirem, neque dissentirem, fuisset scientia media mei consensus sub conditione; imo etiamsi numquam existerem: quod autem non dependet à meo consensu absoluto, non potest impediri meo dissensu: ergo neque scientia media consensus. 882

Respondeo concessa maiori; negans minorem: ad probationem concessa similiter maiori, distinguo minorem: quod non dependet à meo consensu absoluto neque conditionato, non potest à me impediri, concedo: quod non dependet à consensu absoluto, pendet tamen à conditionato, nego. Et nego consequentiam. Quia eo ipso quod scientia media pendeat à consensu conditionato, pendet etiam ab absoluto posita conditione; nam verum non esset, me consensurum si 883

talis conditio poneretur, quę est scientia media consensus; si ego posita conditione non consentirem: vnde cum scientia media essentialiter vera sit, pendet essentialiter à meo consensu absoluto posita conditione etiamsi non dependeat ab illo ante positionem conditionis: idcirco in statu absolnto & purificationis conditionis possum ego meo dissensu impedire, ne vnquam fuerit scientia media consensus.

884 Sed instabis: scientia media consensus extitit ante purificationem conditionis, imo antequam ego existerem, cum fuerit ab æterno: quod autem extitit ante me impediri non potest à me, ne sit, aut fuerit: ergo. Minor probatur, quia ego nihil possum operari antequam sim: ergo neque possum impedire ne fuerit scientia media, quæ existit, antequam ego sim. Hæc instantia soluenda ab omnibus est in scientia visionis existente antequam ego sim, & potente à me impediri, ne vnquam fuerit. Respondeo igitur, concessa maiori, negans minorem Ad probationem, concesso antecedenti nego consequentiam. Quia vt ego possim impedire scientiam mediam, non opus est me posse operari antequam sim, sed satis est, me posse non operari, aut dissentire dum sum; quia cum scientia media pendeat à meo consensu dum sum, & posita est conditio; nunquam fuisset me dissentiente, dum sum: vnde eo ipso quod possim dissentire dum existo, & posita est conditio; possum quoque facere ne vnquam fuerit scientia mei consensus.

885 Instabis iterum: scientia visionis non esset à me impedibilis, si non dependeret à meo consensu absoluto: ergo cum scientia conditionata ab eo non dependeat, neque impedibilis erit. Respondeo concesso Antecedente negans consequentiam, disparitas est, quia scientia visionis aliam dependentiam habere non potest quàm à consensu absoluto, vnde si eam non haberet, nullam haberet, atque adeo nihil mirum quod impedibilis non esset: at scientia conditionata licet non dependeat à consensu absoluto ante positionem conditionis, tamen pendet à consensu conditionato, & posita conditione etiam ab absoluto, ideoque impedibilis est à me.

Obiicies secundò. Si ego possem meo dissensu scientiam mediam consensus impedire, possem quoque meo consensu scientiam mediam consensus comparare: id non possum: ergo neque primum. Maior certa est, quia sicut stante meo dissensu stare non potest scientia media consensus, ratione diuinæ voluntatis actum falsum patere non valentis, vnde à me impediri potest; ita stante meo consensu non potest non stare scientia media consensus ex diuina & infinita virtute cognoscendi omne cognoscibile: si ergo in mea potestate est impedire scientiam mediam consensus dissentiendo, similiter in mea potestate erit eam ponere consentiendo. Minor ergo probatur. Si in mea potestate esset comparare scientiam mediam consensus, possem, & de facto ego consentiendo determinarem Deum ad scientiam consensus: id non possum: ergo. Maior patet, quia determinare ad aliquid, aliud non est quàm ponere connexionem cum illo, meus autem consensus supposita infinita virtute intelligendi diuina, est connexio cum scientia media consensus; qui ergo ponit consensum ponet quoque determinationem ad eam scientiam, atque adeò determinabit ad illam. Minor 886

nor igitur probatur. Si ego meo consensu determinarem Deum ad scientiam mediam consensus, etiam Deus ponendo auxilium cum præscientia futuri peccati me determinaret ad peccatum: id falsum est: ergo. Sequela probatur, quia sicut coniunctio mei consensus cum auxilio est connexio infallibilis cum scientia media consensus, eamque non præsupponit, ita positio auxilij coniuncta cum scientia media futuri peccati, est connexio infallibilis cum peccato, illudque non præsupponit: ergo si ego coniungens meum consensum cum auxilio determinarē Deum ad scientiā mediam consensus, etiam Deus coniungens auxilium cum scientia media peccati, determinaret ad peccatum.

887 Respondeo concessa maiori, negans minorem. Ad cuius probationem, nego maiorem de stricta determinatione & propria. Ad illius probationem Respondeo, determinare ad aliquam operationem, non esse præcisè ponere connexionem cum illa; sed ponere connexionem omnino independentem ab operatione præsupposita tam absoluta quàm conditionata, nam si aliquo modo præsupponitur operatio, pariter etiā præsupponitur determinatio ad illam. Insuper, est vnus determinetur ab alio, opus est de se supponatur indifferens, aliter non ab alio sed ab intrinsecis prædicatis determinaretur. Dico igitur, nec me meo consensu determinare Deum ad illum cognoscendum, quia ex intrinsecis prædicatis est Deus essentialiter determinatus ad cognoscendum omne verum, vnde meus consensus tantum est positio veritatis, non quæ Deum determinet, sed qua posita Deus ab intrinseco est determinatus ad illius cognitionem. Nec Deum, positione auxilij ex præscientia peccati, determinare me ad peccatum, quia ea præscientia est dependens à meo peccato præsupposito conditionatè. Vnde non idem est me posse expedire Deum ad præscientiam mei consensus consentiendo, ac determinare Deum ad consensum: Neque idem est, posse Deum expedire me ad peccandum ponendo auxilium cum præscientia futuri ex illo peccati, & me determinare ad peccatum: hoc enim tantum est remouere prohibens.

Obiicies tertiò. Voluntas suo consensu non potest comparare, quod necessariò præsupponitur ad illum, vt nos arguebamus contra Recentiores, directionem scientiæ mediæ necessariam statuentes: scientia autem media consensus necessariò præsupponitur ad consensum: ergo non potest voluntas suo consensu scientiam mediam consensus comparare, atq; adeo neque poterit suo dissensu impedire. Minor probatur. Scientia Media consensus potest per nos dirigere Deū ad positionem auxilij & consensus, & eā aptitudinem ad dirigendum necessariò habet, nec potest non habere: ergo necessariò existit in signo apto ad dirigendum Deum: hoc autem signum necessariò antecedit existentiam auxilij & consensus: ergo scientia media consensus necessariò præsupponitur ad consensum. Minor probatur, quia signum potens mouere Deum ad positionem tam auxilij quàm consensus, est signum antecedens tam auxilium quàm consensum. 888

Confirmatur primò. Scientia Media consensus non est, nec potest esse posterior positione auxilij, nihil enim iuuaret ad positionem illius: Vel ergo est comitans, vel antecedens positionem auxilij, medium enim 889

non est. Si est antecedens positionem auxilij: ergo & consensus. Si est comitans: ergo existit in eodem signo cum auxilio: signum autem in quo existit auxilium est necessario antecedens. ergo & signum in quo existit scientia.

890 Diximus in superioribus, Deum duplici decreto posse ponere auxilium; vno indifferenti & de se coniungibili tam cum consensu, quam dissensu, quo velit existentiam auxilij vel ex motiuo libertatis, aut alio simili indifferenti; altero connexo cum consensu & inconiungibili cum dissensu, quo velit ponere auxilium vt fiat consensus. Diximus praeterea, decretum indifferens non dirigi à scientia Media, sed solum quòd connectitur consensui. Diximus tandem, consensum pendere per se & essentialiter à decreto illo indifferenti, per accidens verò à decreto connexo cum consensu; atque adeo consensum pendere per se ab auxilio vt exercito per decretum indifferens; per accidens verò ab auxilio vt exercito per decretum connexum cum consensu. His positis; quae oblinioni tradenda non sunt:

198 Respondeo, concessa maiori, negans minorem. Ad probatioñe, concesso Entymemate; distinguo minorem, signum aptum ad dirigendum necessariò antecedit existentiam auxilij, vt exercitam decreto indifferenti, nego: vt exercitam decreto connexo cum consensu, concedo. Et nego consequentiam, quia consensus non pendet per se & essentialiter ab auxilio, vt exercito per decretum connexum cum illo; atque adeo neque à praesupposita scientia media consensus, neque ab illa vt existente in signo apto ad dirigendum; sed ab his omnibus per accidens dependet, supposito videlicet quod Deus illud auxilium exequatur per decretum connexum cum consensu, quae suppositio accidentalis est consensui. Vnde scientia Media dirigit & mouet, si Deus ponat auxilium solo decreto indifferenti; quia primo modo mouetur Deus, ex praeuiso consensu ad ponendum auxilium, cum velit istud, vt fiat ille: secundo verò modo non mouetur ex praeuiso consensu, sed ex alio motiuo indifferenti.

Ad confirmationem, respondeo in casu consensus, scientiam Mediam illius non esse posteriorem positione auxilii, vt benè probat confirmatio. Vel ergo est antecedens vel comitans? 892
Respondeo cum distinctione; esse quidem antecedentem per accidens, si ponatur auxilium decreto connexo cum consensu; si verò ponatur solo decreto indifferenti, esse comitantem, etiam per accidens: nam illud idem auxilium poni potuisset scientiâ futuri dissensus comitante, si Deus praeuidisset me cum eo dissensurum. Vnde scientia Media consensus nec est per se comitans auxilium, nec per se antecedens. Et nego illam consequentiam; scilicet signum in quo existit scientia Media consensus, esse signum necessario antecedens consensum, quia signum auxilij, quod ipsa comitatur, est necessario antecedens. Ratio est, quia illud signum non est signum in quo & existentiae, sed signum à quo causalitatis, & dependentiae: bene autem stat, duo inter se, se habere comitanter absque vlla prioritate à quo causalitatis, siue dependentiae vnius ad alterum; & vnum respectu tertij esse necessariò prius illo, non verò alterum: quia tertium oriri & dependere ab vno, non verò ab altero, nihil obstat. Sic cognitio repraesentans Petrum, & cognitio repraesentans Paulum comitanter se habent inter se; & tamen respectu amoris Petri, vna est necessariò

prior,

prior nō verò altera. Ita dicimus auxilium necessariò præcedere consensum, non verò scientiam Mediam illius, etiamsi scientia & auxilium comitanter se habeant inter se.

Obiicies quartò, Deum dirigi ex præscientia consensus ad decernendum auxilium, aliud non est, quàm eam præscientiam coëxistere decreto: ergo implicat ea coëxistentia, quin stet directio; atque adeo in casu consensus necessaria Deo erit. Antecedens probatur variis exemplis; Primò, putam omissionem dirigi ex motiuo alicuius notitiæ aliud non est quàm eam notitiam illi coëxistere. Secundo, amorem Dei propter diuinam bonitatem dirigi ab hac numero cognitione bonitatis diuinæ, aliud non est, quam cognitionem amori coëxistere, cum ab ea essentialiter non dependeat.

893 Respondeo negans Ant. ad primam instantiam puræ omissionis, nego dirigi ex notitia motiui, nisi vltra coëxistentiam ipsius & notitiæ, specialis connexio cum eo motiuo ex parte puræ omissionis assignabilis sit. Ad secundam instantiam, dicimus amorem Dei propter diuinam bonitatem non eo præcisè dirigi à cognitione diuinæ bonitatis quia illi coëxistit, sed quia nititur motiuo ab ea notitia præsentato. Vnde cum in Deo impossibilis sit pura omissio, solum illud decretum dirigetur à scientia Media consensus, quod volet auxilium propter consensum, quod est motiuum ab ea scientia præsentatum.

894 Sed instabis, stante scientia Media consensus nullum est possibile decretum, quod non velit auxilium propter consensum: ergo nullum est possibile decretum, quod ab ea non dirigatur. Antecedens probatur. Nam qui certo scit posita aliqua conditione infallibiliter ponendum esse effectum, non potest velle positionem conditionis, quin velit effectum: posita autem scietia consensus, Deus certo scit, posito auxilio infallibiliter ponendum esse consensum: ergo non potest velle auxilium, quin velit consensum. Maior probatur, ideo enim sciens prohibitam esse comestionem carnium, non potest eam velle, quin velit præcepti transgressionem saltem interpretatiuè, quia posita comestione carnis infallibiliter sequitur transgressio præcepti, posito autem auxilio infallibiliter sequetur consensus: ergo Deus id sciens non poterit velle positionem auxilij, quin saltem interpretatiuè velit consensum.

Hæc tamen instantia nimia est, probaret enim, Deum cum scientia Media futuri dissensus non posse ponere auxilium, quin vellet peccatum. Respondeo igitur, negans antecedens. 895 Ad probationem nego maiorem, si conditio non sit necessariò connexa cum effectu, qualis est conditio auxilij de se indifferentis. Nec instantia, quæ adducitur est momenti, nam comestio carnis supposita aduertentia præcepti, non solùm infallibilem, sed & necessariam connexionem habet cum transgressione præcepti, cum præceptum non sit transgressori euitabile: auxilium autem necessariam connexionem non habet cum consensu, etiā dum est scientia Media illius, quia hæc est à nobis euitabilis, vt vidimus.

Obiicies quintò. Deus circa quodlibet obiectum, quod repræsentatur ipsi vel possibile, vel sub conditione futurū, necessario debet exercere actū positiuum, quo aut velit illud existere, aut nolit existere; cum necesse sit illud esse, aut non esse, & Deus purè omittere nō possit: efficacia autem auxilij in casu consensus est obiectum, quod 896

proponitur Deo sub conditione futurum: ergo Deus necessario debet aut velle existere efficaciam, aut nolle: vtrumque necesse est dirigi à scientia media: ergo directio scientiæ mediæ necessaria Deo est. Minor probatur, quia tam volitio efficaciæ, quàm nolitio illius diriguntur necessariò à cognitione sui obiecti: cognitio autem efficaciæ, quæ est obiectum vtriusque actus, est scientia media efficaciæ: ergo necessario diriguntur à scientia media.

897 Nimium etiam est hoc argumentum, probat enim Deum in casu dissensus necessario dirigi ex præscientia inefficaciæ & velle peccatum, cũ non est nolitio efficaciæ. Quia Deus exercere debet actum positiuum volitionis vel nolitionis circa inefficaciam, quam illi proponit scientia media: in casu autem dissensus non est nolitio efficaciæ: ergo volitio. Respondeo ergo maiorem veram esse de obiecto necessario, non vero libero; cuius disparitas est ipsa libertas & necessitas, quarum prima postulat indifferentiam, quam non exigit secunda. Idcirco licet necesse sit, quodlibet esse, vel non esse; inde non est necesse Deum circa efficaciam, quippe liberam, exercere actum positiuum, quo velit, aut nolit eam esse; sed satis est, necesse esse Deum circa conditionem efficaciæ vel exercere actum positiuum quo velit, aut nolit eam esse, quia id sufficit, vt sit, vel non sit efficacia.

898 Instabis: efficacia auxilij bona est, & expetibilis à Deo: ergo contingere non potest citra intentionem efficacem Dei. Respondeo concesso antecedenti, negans consequentiam. Ratio est, quia bonitas creata libere mouere potest Deum ad intentionem siue decretum efficax illius, vnde nos docuimus posse Deum dirigere; necessitare autem non potest ad eam intentionem siue decretum, quia vt ostendimus, destrueret libertatem.

Ex dictis colligo scientiam mediam consensus necessariam non esse ad exequutionem auxiliorum. Nam illud idem auxilium quod de facto donat Deus ex præscientia futuri consensus, donare potuisset cum præscientia futuri dissensus, si me dissensurum præuidisset, non aliter quam de facto confert auxilia iis quos præscit dissensuros. Pariter colligo neque scientiam mediam dissensus necessariam esse ad exequutionem auxiliorum, quia similiter illud idem auxilium, quod de facto Deus exequitur cum præscientia futuri dissensus, exequi potuisset ex præscientia futuri consensus, si me consensurum præuidisset. Vnde nulla scientia media determinate sumpta necessaria erit ad auxiliorum distributionem: superest ergo inquirere; an saltem aliqua scientia media disiunctiue & vage sumpta necessaria sit. 899

SECTIO VI.

An aliqua scientia Media disiunctiuè sumpta, necessaria sit ad distributionem auxilij.

Non est difficultas, An aliqua scientia media dirigens sit Deo necessaria ad collationem auxilij: constat enim ex dictis, eam directionem nullam esse necessariam nec determinatè nec disiunctiuè. Ratio est, quia vt vidimus, sola scientia media consensus, est, quæ posset Deum dirigere in distributione donorum; nulla autem scientia media consensus siue determi- 900

determinata aut disiunctiua necessaria est ad positionem auxilij præcisam: ergo neque scientia media dirigens.

901 Difficultas ergo est, An aliqua scientia media ex oppositis, scilicet vel consensus vel dissensus, necessaria sit Deo in distributione donorum, ne inscius, tentans, & suspensus procedat, exequens auxilium; si enim Deus non intelligatur vel sciens me consensurum, vel dissensurum, cum auxilio, ab his imperfectionibus liber non esset: decernens auxilium, & ignorans euentum.

902 Asserendum est, aliquam scientiam mediam disiunctiuè vel consensus vel dissensus, esse necessariam simpliciter ad cuiusuis auxilij exequutionem; ita vt Deus non sit proximè potens decernere auxilium, quin in actu primo intelligatur sciens euentum, vel consensus, vel dissensus. Probatur. Quia Deus non potest exequi auxilium inscius & suspensus de futuro euentu: si autem Deus sine vlla scientia media decerneret auxilium, inscius & suspensus id præstaret de futuro euentu: ergo non potest ita decernere: ergo ad potestatem proximam decernendi necessaria est aliqua scientia media, eam suspensionem & insciriam remouens. Minor certa est, nam inscitia & suspensio de futuro euentu, formaliter excluditur per scientiam euentus: ergo si Deus absque vlla scientia futuri euentus decerneret auxiliũ, inscius & suspensus id præstaret. Maior ergo probatur, quia prouidentia exequens medium de se indifferens, quale supponimus auxilium absque vlla scientia euentus, propria est agentis limitati & imperfecti; vnde Sapientiæ 9.14. dicuntur, *Incerta prouidentia nostra*: Deo autem penitus repugnat huiusce generis prouidentia: ergo & exequi auxilium, inscium & suspensum de futuro euentu.

Confirmatur. Inscitia & suspensio termini sunt imperfectionibus admixti, vt per se patet: inscitia enim ignorantia est; suspensio verò, limitata virtus intelligendi, quæ omnia ex terminis repugnant Deo: ergo & posse inscium & suspensum, de futuro euentu exequi auxilium. 903

Probatur secundò conclusio. Quodlibet decretum diuinum necessariò est summè & infinitè prudens; & tale non esse prorsùs repugnat illi: ergo supponit necessariò voluntatem diuinam in actu primo illis notitiis constitutam, sine quibus decretum non esset summè & infinitè prudens: vna autem ex illis notitiis, sine quibus decretum exequens auxilia summè & infinitè prudens non esset, est scientia euentus: ergo hæc supponitur necessariò ad quodlibet decretum exequendi auxilium. Minor probatur. Illa operatio agentis rationalis non est summè & infinitè prudens, quæ exequitur medium indifferens absque vlla præmeditatione, & præscientia euentus ex tali medio futuri: hæc autem præmeditatio & præscientia est scientia media: ergo vna ex notitiis, sine quibus decretum exequens auxilium non esset summè & infinitè prudens, est aliqua scientia media. 904

Probatur tertiò. Quia vnica ratio, quæ hactenus impulit ad necessitatem scientiæ mediæ negandam, est iactura creatæ libertatis, vnde nos in superioribus docuimus, nullam scientiam mediam determinatam esse simpliciter necessariam ad auxilia conferenda: nulla autem stat iactura libertatis in necessitate respectu positionis auxilij alicuius scientiæ mediæ disiunctiuè sumptæ: ergo 905

concedenda est. Minor probatur, quia cum ea necessitate alicuius scientiæ mediæ, coniungi potest auxilium tam cum consensu, quàm dissensu: ergo non est vnde creatam euertat libertatem Consequentia clara est. Antecedens probatur, quia cum necessitate alicuius scientiæ mediæ coniungi potest auxilium tam cum scientia media consensus quàm dissensus: ergo & coniungi potest tam cum consensu, quàm dissensu. Probatur antecedens, quia ex necessitate alicuius disiuncti ad positionem entis; cum neutra parte determinata, redditur ens inconiungibile, sed cum sola negatione vtriusque: sic necessitas alicuius actionis ad existentiam effectus, cum nulla actione determinata reddit inconiungibilem effectum, sed cum sola carentia omnis actionis. Similiter, necessitas tua existendi alicubi, cum nulla præsentia determinata reddit te inconiungibilem, sed cum sola carentia omnis præsentiæ, & idem est de aliis sexcentis: ergo positio auxilij cum necessitate alicuius scientiæ mediæ, cum nulla determinata reddetur inconiungibilis, sed cum sola carentia omnis scientiæ mediæ: ergo coniungibilis erit cum quacumque scientia media determinata, tam consensus quàm dissensus.

606 Obiicies primò. Si aliqua scientia media esset necessaria ad positionem auxilij, vel esset scientia media consensus, vel scientia media dissensus: neutra per nos est necessaria: ergo nulla. Respondeo negans maiorem; vt enim aliqua scientia media necessaria sit, non opus est, quod sit scientia consensus, neque scientia dissensus; sed satis est, quòd disiunctum vnius vel alterius necessarium sit.

907 Instabis primò: disiunctum vnius vel alterius, aliud re non est, quàm vel scientia media consensus vel dissensus: ergo si disiunctum vnius vel alterius necessarium est, vna vel altera scientia necessaria erit: neutra necessaria est: ergo neque disiunctum vnius vel alterius. Respondeo concesso antecedente, distinguens consequens; vna vel altera scientia sub disiunctione necessaria erit, concedo: vna vel altera determinata, nego. Et concessa minori de qualibet scientia determinata, nego consequentiam. Quia benè stat nullam partem disiuncti esse determinatè necessariam, & disiunctum esse, vt patet exemplis à nobis propositis.

Instabis secundò. Aliqua scientia media sub disiunctione est necessaria ad auxilium exequendum: ergo casu, quo non sit scientia dissensus, necessaria erit scientia consensus; & casu, quo non sit scientia consensus, necessaria erit scientia dissensus: in casu autem consensus non est scientia dissensus; & in casu dissensus non est scientia consensus: ergo in casu consensus necessaria erit scientia consensus; & in casu dissensus necessaria erit scientia dissensus. Prima consequentia probatur, quia quando disiunctum aliquod est necessarium ad existentiam alterius, casu, quo non fiet vna pars disiuncti, necessaria est alia: sic quia aliqua actio sub disiunctione necessaria est ad existentiam effectus, casu, quo non sit alia, nisi actio *A*, hæc necessaria est, & idem est de aliis: ergo cum aliqua scientia media sub disiunctione necessaria sit ad exequendum auxilium; casu, quo non sit scientia media consensus, necessaria erit scientia media dissensus; & casu, quo non sit scientia media dissensus, necessaria erit scientia media consensus: 908

de

de facto autem semper stat casus iste, cum vna tantum scientia media ex oppositis existat: ergo illa erit necessaria ad exequendum auxilium.

909 In primis, istantia ista non conuincit, scientiam mediam consensus esse absolutè necessariam ad positionem auxilij, idemque est de scientia media dissensus. An autem vna sit necessaria ex suppositione quòd alia non sit, res est, quæ creatæ libertati officere non potest. Nam suppositio illa, *quod non sit alia*, ponitur à voluntate creata, suo consensu impediente scientiam dissensus, & suo dissensu impediente scientiam consensus. Quia tamen tam consensus, quàm dissensus liberi supponunt essentialiter auxilium, etiam suppositio illa illud debet supponere, atque adeo necessariam reddere non potest scientiam mediam, quæ de facto est, ad positionem auxilij.

910 Respondeo igitur concesso antecedenti, negans consequentiam. Ad probationem distinguo antecedens: quando disiunctum aliquod est necessarium ad existentiam alterius, casu, quo non sit vna pars disiuncti, necessaria est alia, si existentia vnius coniungi possit cum non existentia alterius, antequam sit res illa ad quam disiunctum necessarium est, concedo: si non possit coniungi, nego. Et nego consequentiam: quia scientia media v. g. consensus coniungi non potest cum carentia scientiæ mediæ dissensus, antequam sit auxilium saltem conditionate, cùm pendeat à consensu conditionato præsupposito & consequenter ab auxilio: imo nec ipsa scientia media consensus existere potest, nisi dependenter ab auxilio conditionatè præsupposito, atque adeo nec coëxistere carentiæ scientiæ oppositæ ante existentiam auxilij cōditionatam. Exemplum autem, quod in sui auxilium exhibet instantia, non est huius generis; nàm actio *A*, independenter ab omni existentia effectus præsupposita, coniungi potest cum carentia omnis alterius actionis, ideoque illi coniuncta, necessaria est ad existentiam effectus.

Instabis tertiò, quando vna pars disiuncti vt coniuncta cum carentia alterius, necessaria non est ad existentiam alicuius, nulla pars disiuncti est necessaria: ergo neque aliqua. Respōdeo distinguens antecedens, nulla pars disiuncti determinata est necessaria, concedo: sub disiunctione, nego. Et nego consequentiam. 911

Instabis quartò, quando vna pars disiuncti non est, suspensio & inscitia tollitur per aliam: suspensionem autem & inscitiam tolli, est necessarium ad existentiam auxilij: ergo & existentia illius partis disiuncti, qua tollitur ea suspensio & inscitia. Respondeo distinguens maiorem; tollitur per aliam per accidens concedo: per se & necessariò, nego; quia tolli potuit ea suspensio per quamlibet partem disiuncti, atque adeo, quod sit hæc & non alia per accidens est, quia ad eum effectum per accidens est, non esse aliam, & esse istam cum carentia alterius: quia si fuisset alia cum carentia istius, sufficiens fuisset; atque adeo neque ista cum carentia alterius, neque altera cum carentia istius, necessaria est, sed vel vna cum carentia alterius, vel altera cum carentia istius: quod est disiunctum vnius vel alterius. 912

Obiicies secundò. Si aliqua scientia ex oppositis vel consensus vel dissensus, esset necessaria ad exequutionem auxilij, etiam esset necessaria ad exequutionem consensus: ad exequutionem autem consensus nec est, 913

nec potest esse necessaria: ergo neque ad exequutionem auxilij. Consequentia bona est Vtraque præmissa probanda est. Maior igitur probatur. Nam exequutio auxilij necessaria est ad exequutionem consensus: ergo quidquid necessarium est ad exequutionem auxilij, necessarium quoque erit ad exequutionem consensus: ergo si aliqua scientia media ex oppositis necessaria esset ad exequutionem auxilij, necessaria quoque esset ad exequutionem consensus. Impossibile enim est consensum dependere ab auxilio, & non dependere ab illis, à quibus pendet positio auxilij. Minor prioris syllogismi probatur. Nam exequutio rei pendentis ab aliquo disiuncto, dicit rem dependentem coniungi posse cum qualibet parte disiuncti; sic quia effectus pendet ab aliqua actione, coniungi potest cum quacumque determinata actione: ergo si exequutio cõsensus penderet ab aliqua scientia media ex oppositis; seu, quod idem est, aliqua scientia media necessaria esset ad exequutionem consensus, iste cum quacumque parte disiuncti coniungibilis esset: id falsum est; nam cum scientia media dissensus, quæ est pars illius disiuncti, coniungibilis non est consensus: ergo falsum est, ad exequutionem auxilij necessariam esse aliquam scientiam mediam ex oppositis.

914 Respondeo negans maioré. Ad cuius probationem concesso antecedéte, nego vtramq; consequentiam. Ratio est. Quia exequutio auxilij est operatio diuinæ voluntatis, de se indifferés tam ad consensum quàm dissensum; quare Deus, summè prudenter operans rem ad plura indifferentem, exigit aliquam scientiam mediam, ne operetur inscius & suspensus de futuro euentu. Consensus autem est operatio creatæ voluntatis, nec indifferens, nec coniũgibilis cum dissensu, sed ad vnum determinata: vnde etiamsi Deus ex sola simplici intelligentia consensum operaretur, nulla staret in eo inscitia & suspensio, sicut non stat in operatione aliorum effectuum determinatorum. Inde necessaria est aliqua scientia media ad exequutionem auxilij, non verò consensus: quia exequutioni auxilij insita est intrinseca coniungibilitas tam cum consensu, quàm dissensu, quæ coniungibilitas annexa non est consensui, sed repugnans.



DISPVTATIO XVI.

Quomodo decretum conferendi auxilium efficax, sit specialis beneficientia.

De duplici decreto posset præsens difficultas agitari. Primũ est decretum conferendi auxilia de se indifferens, & coniungibile tam cũ consensu quàm dissensu. Secundum est decretum conferendi auxilia connexum cum consensu & inconiungibile cum dissensu: Per vtrumque enim decretum posse Deum exequi auxiliorum dona, constat ex dictis. Et quidem auxilium efficax esse maius Dei beneficium quàm purè sufficiens, vndecumque petatur efficacia, de quo non disputo, certum mihi est ex Tractatu de Auxiliis. Nam Beneficiũ communiter dicitur, donũ gratuitum alteri vtile. Illud ergo erit maius beneficiũ, quod alteri erit magis vtile; illud verò minus, quod ea maiori vtilitate carebit: 915

bit: Auxilium autem efficax est homini magis vtile, quàm purè sufficiens, ergo & maius Dei beneficium. Atque adeò decretum conferendi illud, erit maior beneficientia. Quæritur ergo: Vnde tale sit diuinum decretum?

SECTIO I.

An Deus de facto in elargitione auxiliorum, attendat ad eorum efficaciam & inefficaciam?

916 Magni ponderis est huius difficultatis notitia, ad propositæ cõtrouersiæ medullam radicitùs penetrandam. Attendere Deum in elargitione auxiliorum, ad eorum efficaciam & inefficaciam, non tantùm est præscire efficaciam & inefficaciam, sed vlteriùs ex ea moueri, non tanquam causâ meritoriâ, sed finali motiuo, ad auxilium exequendum: taliter, vt Deus eligat auxilium efficax, quia futurum est efficax; & inefficax, quia tale futurum est. Sciens hoc punctum omisi disp. præcedenti, vbi factus est tantùm sermo de possibilitate directionis scientiæ Mediæ, vt ex præsenti illius decisione, diuinæ beneficientiæ intelligentia clarior elucerer.

917 Assero Primò. Deum in elargitione auxiliorum inefficacium, non attendere ad eorum inefficaciam. Hæc conclusio aperta est, ex dictis disp. præcedenti. sect. 1. num. 3. vbi posuimus, Deum non posse dirigi seu moueri ex inefficacia vocationis, ad eam eligendam: Estque communis omnium Doctorum Societatis. Probatur facilè ex ibi dictis; quia Deum attendere ad inefficaciam, seu quod idem est, Deum eligere vocationem, quia inefficacem, aliud re non est, quàm velle Deum vocationem inefficacem vt pecces, vel quia cum ea peccabis vrgente præcepto; aut non vrgente, quia cum ea non operaberis honestè: huiusmodi autem voluntas, diuinæ bonitati omnino est inimica, vtique intentiua peccati, & parans auxilium ex desiderio ruinæ: ergo.

Confirmatur. Nam alienum prorsus est à Deo, insidiari hominum saluti, & ex industria seligere illis auxilia inefficacia, efficacibus semotis: id autem præstaret Deus si in distributione auxiliorum attenderet ad eorum inefficaciam, ex eaque ad exequendum auxilium moueretur: ergo. Minor ostenditur: quia ille verè dicitur insidiari saluti alterius, & ex industria seligere illi media inefficacia, qui præuisis mediis profuturis & non profuturis; ex vna parte cunctas saluti profuturas occasiones amputat, & ex aliis ita quærit & seligit non profuturas, vt si profuturas præuidisset, non seligisset: ita autem se gereret Deus, si vocationem daret quia inefficacem; sicuti qui eligit pomum quia bonum, non illud selegisset si bonum non vidisset, sed putridum; & qui eligit medium quia profuturum ad finem, non illud elegisset si non profuturum, sed potius destructurum vidisset: ergo. 918

Assero secundò. Deum in elargitione auxiliorum efficacium, attendere de facto ad eorum efficaciam, ex eaque moueri ad donum profuturum conferendum. Probatur; quia omnia Scripturæ & Patrum testimonia, quibus ostendimus disp. præcedente sect. 1. Deum in collatione donorum efficacium attendere posse ad eorum efficaciam, ex eaque moueri & dirigi, pariter conuincunt, de facto dirigi & moueri: sermo enim est de his, quæ de facto operatus est Deus. Insu- 919

per rationes, quibus ibidem sect. 2. probabamus, Deum posse ex efficacia moueri pariter conuincent de facto moueri. Denique, quia ratio, cur ea decreta de facto negantur, est, quia supponuntur impossibilia ob iacturam creatæ libertatis: composita ergo ea difficili Prouincia, non est vnde de facto negantur Deo decreta illa, maximè cùm Scripturæ & Patribus conformius sit, in Deo existere de facto, quàm non existere.

920 Dices. Deum in distributione donorum efficacium, nunquam moueri ex circunstantia efficaciæ, ad seligendam vocationem efficacem præ inefficaci; sed nulla habita ratione efficaciæ, suas Deum vocationes distribuere ex desiderio vt omnes illæ pro nostra libertate reddantur efficaces; ita vt vocatio, quæ de facto efficax est, eodem modo donaretur si inefficax fuisset; & quæ inefficax est, ac si fuisset efficax.

921 Contra tamen Primò; quia sententia nostra nec leuiter obstat illi Dei desiderio, vt omnes eius vocationes pro nostra libertate reddantur efficaces. Nam qua parte vult Deus auxilium quia efficax futurum est, non impeditur desiderium efficaciæ, vt nostrum est: qua vero parte vult Deus auxilium inefficax non attenta eius inefficacitate, neque impeditur desiderium illud; sicut non impediretur, donante Deo auxilia non attenta eorum efficacitate neque inefficacitate. Quod enim Deus donet vocationem efficacem quia efficax est, arguit quidem specialem voluntatem circa prædestinatum, quam non habet circa reprobum; non tamen excludit generale illud Dei desiderium, vt omnes eius vocationes reddantur efficaces: ergo desiderium illud nihil obstat sententiæ nostræ.

922 Contra secundò. Quia incredibile videtur, sic Deum castissimæ Genitrici suæ auxiliorum dona dispensasse, vt nulla ad eorum efficaciam habita fuerit attentio: sed eodem prorsus modo donata fuissent, quamuis eisdem auxiliis B. Virgo præuisa fuisset turpiter abusura: ergo attentus fuit Deus in ea auxiliorum donatione ad eorum efficaciam. Confirmo: quia hic modus distribuendi efficacia dona, plus commendat beneuolentiam Dei erga prædestinatos, quàm oppositus: ergo. Antecedens probatur. Nam qui dat donum profuturum saluti, eodem modo daturus si profuturum non esset, non tam ardet salutis desiderio; quàm qui dat donum profuturum, non daturus illud si profuturum non esset, sed aliud, quod proficeret: Deus autem in nostra sententia, posteriori modo donaret auxilia efficacia, vt amplius constabit sect. sequenti: ergo plus commendat beneuolentiam Dei erga prædestinatos & amicos suos, quàm oppositus.

Ex his collige latissimum discrimen & clarissimum, inter collationem auxilii efficacis, & purè sufficientis. 923
Primò, quia collatio auxilij efficacis argumentum est ardentioris beneuolentiæ, quàm collatio auxilij purè sufficientis. Secundo quia collatio auxilii efficacis infallibilem habet certitudinem fructus, quàm non habet collatio auxilij purè sufficientis.

Obiicies primò. Maior beneficientia fuit decretum vocandi Iudam ad Apostolatum, in quo damnatus est; quàm decretum vocandi alterum ad statum Matrimonij in quo saluatus est: & tamen Deus in vocatione Iudæ ad Apostolatum, non attendit ad efficaciam vocationis. Ergo maior Dei beneficientia pensanda non est ex, vel in ordine ad efficaciam vocationis. Maior probatur, quia maius

maius & excellentius donum est vocatio ad Apostolatum, quàm ad statum Matrimonij; cum sit status longè perfectior, & præuaricatio Apostoli maiori increpatione digna, quàm vxorati: ergo decretum vocandi alterum ad statum Matrimonij.

924 Respondeo cum distinctione; si enim Iudas verè consentit vocationi in Apostolatum, quamuis postea præuaricatus fuerit: Argumentum nihil probat contra nos; quia cum ea vocatio fuerit efficax, Deus attendit ad eius efficaciam, vnde assumptum non probatur. Si verò Iudas verè non consensit vocationi, sed fictè Christum sequutus sit, in quo casu Deus attendere non potuit ad vocationis efficaciam. Respondeo negans Maiorem. Ad probationem distinguo antecedens: Maius & excellentius donum est vocatio ad Apostolatum quàm ad statum Matrimonij, inspecto & considerato vtroque dono in actu primo, & præscindendo ab efficacitate vnius & inefficacitate alterius, concedo: in actu secundo, & attenta efficacitate vnius & inefficacitate alterius, nego. Nam maior beneficientia Dei non pen atur ex maiori beneficio in actu primo, sed in actu secundo; quamuis inde sit homo maiori reprehensione dignus, quia donum excellentius frustrauit.

925 Obiicies secundò. Beneficium æstimandum non est ex euentu pendente à libertate recipientis: ergo beneficium vocationis non crescet ex bono vsu illius: ergo neque beneficientia crescet ex volitione boni vsus, siue efficaciæ vocationis. Respondeo, negans antecedens; si illi qui dat donum, det etiam physicè vel moraliter bonum vsum, vel vtroque modo, qualiter contingit in Deo, qui non solum efficit consensum bonum, sed etiam moraliter illum donat constituens te in eo statu in quo infallibiliter consensurus es, & ex affectu vt consentias. Alia commodiùs soluentur inferiùs.

SECTIO II.

An Deus ex industria seligat prædestinato auxilia efficacia, & reprobo inefficacia?

926 CVm Deus ex infinito auxiliorum Thesauro, vbi efficacia inefficacibus permixta sunt, sua dona distribuat: Quæritur, An Deus ex industria, & data opera seligat è tanto cumulo auxilia efficacia prædestinato, quibus salutem consequatur, & reprobo inefficacia, quibus ab eo fine deficiat? Cuius dubij decisio non minoris momēti est ad diuinum beneficium intelligendum, quàm præcedentis. Tunc aliquis dicitur ex industria seligere medium ad finem aliquem, quando ex intentione finis, ita eligit medium quia profuturum ad finem, vt si profuturum non esset, non illud elegisset, sed aliudquod profuturū fuisset. Sic qui poma ex industria seligit ad comedendum, ita eligit sanum, vt illud non elegisset si putridum competisset.

927 Asseo primò. Deum ex industria non seligere reprobo auxilia inefficacia, ne æternam felicitatem obtineat, aut damnationem incurrat. Hæc conclusio mihi est certissima, & ex terminis indubitata. Quis enim vel cæcus non videat, quantum distet à diuina pietate offendicula homini parare, ex industria vt pereat? Confirmo. Quia credendum non est diuinam pietatem negaturam reprobis auxilia,

auxilia, quæ de facto confert illis, casu quo ea præuidisset efficacia, & quæsiturum ex industria alia, quæ forent inefficacia, hoc enim vt expendebamus sect. præcedenti, esset insidiari hominum saluti; sed potius credendum est, eadem auxilia largiturum, & hominem nunc reprobum tunc prædestinaturum: ergo Deus non seligit ex industria reprobo auxilia inefficacia. Quæ ampliùs firmari possunt ex dictis pro primo asserto Sectionis præcedentis.

928 Assero secundò. Deum ex industria seligere prædestinato vocationes efficaces. Probatur; quia Deus ita donat prædestinatis vocationes efficaces, vt non donasset, si inefficaces præuidisset: ergo ex industria seligit illis efficaces. Consequentia constat ex dictis. Antecedens probatur: quia Deus donat prædestinatis vocationes efficaces ex fine efficaciæ efficaciter intento, vt iam ostendimus; quo distinguitur elargitio auxilij efficacis ab elargitione inefficacis, hoc enim confertur ex serio quidem salutis desiderio, inefficaci tamen: qui autem eligit medium aliquod, quia efficax, ad finem efficaciter intentum; non illud elegisset, si inefficax futurum præuidisset, sed aliud quod sciret efficax: ergo cum Deus donat prædestinatis vocationes efficaces ex fine efficaciæ efficaciter intentæ, eas non donasset si inefficaces præuidisset.

929 Confirmatur. Qui eligit velocissimum equum ex fine stadij currendi efficaciter intento, non illum elegisset, si testudinem esse comperisset. Insuper, qui vxorem eligit nobilem matronam ex fine puri sanguinis efficaciter intento, non illam elegisset si Iudaismo infectam agnouisset. Denique, qui medium profuturum & efficax eligit ex fine Cathedræ vel Dignitatis obtinendæ efficaciter intento, non illud elegisset, si omnino cassum & irritum prænouisset. Idemque est de aliis sexcentis: ergo cùm Deus dispenset prædestinatis vocationes efficaces ex fine efficaciæ efficaciter intento, non illas elegisset, si irritas & inefficaces præuidisset.

Idem arbitror dicendum de illis vocationibus efficacibus, quas Deus reprobis elargitur, & quibus aliquando operantur honestè. Idemque de vocationibus peccato interruptis in prædestinato. Nam cum in nostra sententia omnes vocationes efficaces conferat Deus de facto, ex motiuo efficaciæ efficaciter intento, eadem de omnibus est ratio. 930

Obiicies primò. Eligere vnum auxilium inefficax inter infinita efficacia, quibus permixtum est, contingere moraliter non potest, nisi ex industria seligatur: ergo Deus ex industria seligit reprobo auxilium inefficax. Confir. Eligere granum hordei inter infinita grana tritici quibus permixtum est, contingere moraliter non potest, nisi de industria seligatur: ergo neque eligere vnum auxilium inefficax inter infinita efficacia, quibus permixtum est, contingere moraliter poterit, nisi de industria seligatur. Hæc obiectio leuissima est. Tum quia, cùm electio diuina tantum pendeat ex cognitione obiecti, & Deus clarissimam cuiuslibet habeat notitiam, nulla eget industria ad vnũ è millibus eligendum, ad vincendam electionis difficultatem, quæ nulla est in Deo. Tum etiam, quia in cumulo auxiliorum sicut sunt infinita auxilia efficacia, ita & sunt infinita inefficacia: nulla ergo erit difficultas ad eligendum vnum inefficax. Confirmatio 931

firmatio extra rem est; quia clariùs industriam electionis ad difficultatem eligendi reuocat, quæ nulla est in Deo ad eligendum vnum ex infinitis, sicut in nobis. Nec scopum attendit; nam si infinito cumulo granorum tritici permixta essent infinita etiam grana hordei, nulla opus esset industria etiam in nobis ad vnum granum hordei potius, quàm tritici eligendum: ergo cum in infinito cumulo auxiliorum efficacium, permixta simul sint infinita, inefficacia, nulla opus erit industria ad vnum efficax eligendum.

Obiicies secundò. Si auxilium quod modò est efficax, præuisum esset
932 inefficax, non stetisset decretum volens hoc auxilium nunc efficax, quia efficax est: ergo nullum stetisset impedimentum ad donandum illud, si præuideretur inefficax: ergo gratis asserimus, non daturum Deum auxilium modò efficax, si præuideretur inefficax. Prior consequentia probatur; quia vnicum fundamentum, quo ducimur ad asserendum, Deum non daturum auxilium modò efficax si præuideretur inefficax, est, quia Deus de facto vult auxilium efficax: si autem præuideretur inefficax, non ita vellet, ergo neque staret fundamentum ad asserendum, Deum non daturum auxilium modò efficax, si præuideretur inefficax.

Respondeo. Hoc argumentum probare quidem, antecedenter ad omne de-
933 cretum diuinæ voluntatis, non constare nobis, quem prædestinaret Deus, quem non; quem vocaret efficaciter, quem inefficaciter. Nos autem tantùm asserimus, Deum non daturum hoc auxilium si præuidisset inefficax, ex suppositione quòd de facto eligat illud quia efficax: nam qui de facto eligit medium efficax ex fine efficaciter intento, non illud elegisset si inefficax præuidisset. Vnde ad argumentum, concesso primo Entymemate, neganda est secunda consequentia; ex suppositione decreti, quo de facto eligit Deus vocationem efficacem, quia efficax est; vnde nos colligimus non daturum Deum, si inefficacé prænouisset. Sicuti, quia de facto Deus Incarnationem elegit in remedium peccati, colligunt communiter Theologi Tractatu de incarnatione, non venturum Christum, Adamo non peccante.

Ex dictis collige, specialissimam beneuolentiam, qua Deus prosequitur 934
prædestinatos potius quàm reprobos. Quia videlicet ex industria seligit illis vocationes efficaces vsque ad mortem, non daturus eas si inefficaces; præuidisset, sed alias, quæ futuræ essent efficaces; quod specialissimæ beneuolentiæ magnum est argumentum. Collige insuper latissimum discrimen inter collationem auxilii efficacis & purè sufficientis. Nam illud ex industria seligitur à Deo, non verò istud.

SECTIO III.

An Deus conferat auxilia purè sufficientia, ex serio desiderio fructus & salutis æternæ?

SErmo non est de desiderio efficaci; 935
hoc enim implicare cum electione auxilij purè sufficientis, vtique inefficacis, constans est. Difficultas ergo procedit de desiderio inefficaci, seriò tamen expetente vt omnes eius vocationes fiant efficaces, quod satis declaratur his verbis; : vtinam omnes meæ vocationes fierent efficaces?

Quæritur ergo An Deus conferat entitatem auxilij, te inefficacem, ex vero desiderio salutis? Dixi entitatem, nam inefficaciam non causat Deus, sed permittit, nec entitatem auxilii donat, quia inefficax est, vt constat ex dictis.

936 Prior sententia negat in Deo re ipsa esse tale desiderium, sed tantum signum illius. Ita Scotus. Maior. Gabriel, & alij, quos refert & sequitur Basilius Legionensis 1 parte Variarum quæst. 6. In eadem sententia sunt Caietanus 1. Pauli ad Timoth. 2. ad illud: *Vult omnes homines saluos fieri*, Bannes & Zumel 1. part. quæst. 19. art. 6. Aluarez de auxiliis disp. 33. num. 4. Posterior sententia affirmat. Ita P. Molina. P. Soarius P. Vazquius. P. Lessius. P. Arrubal. P. Salas. P. Salmeron. P. Iustinianus. P. Cornelius. P. Herize. P. Ruiz. quos citat & sequitur. P. Alarcon. Tractatu de voluntate Dei disp. 6. cap. 6. In eadem sententia sunt P. Granadus P. Fasolus. P. Tannerus. P. Torres. P. Ripalda, & P. Petauius, quos citat P. Ribadeneyra de Prædestinatione disp. 6. cap. 1. num. 3. & sequitur cap. 2.

937 Asserendum; esse in Deo re ipsa tale desiderium, & non tantùm signum illius. Probatur primo ex Scripturis. Ezechielis 18. 23. *Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus, & non vt conuertatur à viis suis, & viuat?* Et infra. *Nolo mortem morientis, Dicit Dominus Deus, reuertimini, & viuite. Matthæi* 8. *Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cœlis est, vt pereat vnus de pusillis istis.* Vbi S. Thomas: *Minus dicit, & plus significat, quia voluntas est vt saluentur.* 2. Petri. 3. 9. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. Clarissimè Paulus* 1. *ad Timotheum* 2. 4. *qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

Ex quibus ita disputo. In eis Scripturæ testimoniis exprimitur seria & vera Dei voluntas salutis omnium, non per modum velleitatis, quæ medium non exequitur ex fine, sed per modum veri desiderij, exequentis Media ad finem conducibilia: ergo exprimitur existens in Deo serium desiderium salutis omnium: ergo etiam eorum, quos inefficaciter vocat. Confirmatur. Primò. Quia testantibus scripturis velle Deum impium non perire, sed viuere, omnes ad pœnitentiam reuerti, & omnes saluos fieri; si reuera talis voluntas in Deo non esset, phantastica omnino, imò & mendosa essent Scripturarum testimonia. Secundò, quia Scripturæ sacræ in rigoroso & proprio verborum sensu accipiendæ sunt, quandiu aliquod non imminet inconueniens, vt constans est Augustini regula: nullum autem imminere ex nostra sententia, constabit obiectionum solutione. Tertio. Quia si testimonia Scripturæ Sacræ ad sola signa voluntatis detorqueri possent, facilè tota posset Scriptura corrumpi, & asseri non res in ea, sed tantùm signa rerum contineri. Quod qui tenaciter assereret, difficilè posset ab aduersæ partis doctoribus conuinci, nam aliis quidem Scripturæ testimoniis obiectis, eandem responsionem exhiberet. Quartò: quia citatus Paulus postquàm obsecrauit fundi orationes pro omnibus hominibus, subdidit: *hoc enim bonum est, & acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri*: ergo si talis voluntas in Deo non esset, acceptæ non essent coram deo orationes illæ, 938

pro

pro omnium hominum salute. Quod idem non leuiter innuit Ecclesia oratione Feria sexta in Parasceue pro Hæreticis & Schismaticis: *Omnipotens sempiterne Deus, qui saluas omnes, & neminem vis perire, respice ad animas, &c*

939 Dices, ea Scripturæ testimonia non exprimere voluntatem salutis aut consensus, in eo qui non saluatur, nec consentit; sed tantùm voluntatem vocationis ad salutem & consensum. Hæc tamen responsio legat iterum Scripturarum testimonia, idque sufficit, vt desistat: etenim nullum perire, omnes viuere, & saluos fieri, non tantùm est vocari: ergo id velle, non est tantùm velle vocationem ad consensum & salutem, sed ipsum consensum & salutem; sicut velle creaturam, non est tantùm velle omnipotentiam; aliter Deus suam volens existere omnipotentiam, quoque vellet existere creaturas: vnde tam verum esset, Deum velle omnes creaturas existere, quàm verum sit velle omnium salutem.

940 Probatur secundò conclusio ex Patribus. Aug. lib. 3. de libero arbitrio cap. 19. & iterum lib. de natura & gratia cap. 67. Ad culpam deputari ait; quod, *Volentem sanare contemnus*: est ergo in Deo voluntas sanandi contemnentem sanitatem. Rursus de spiritu & littera cap. 33. *Infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum eius Euangelio non credunt.* Est ergo in Deo voluntas fidei respectu non credentis. S. Thomas in 1. dist. 46. quæst. 1 art 1. ad 1. Circa voluntatem generalem saluandi omnes, Damascenum affirmantem, & Augustinum negantem, sic concordat. *Ad primum ergo dicendum, quòd secundùm Damascenum, verbum Apostoli* (scilicet, vult omnes homines saluos fieri) *intelligitur de voluntate antecedente, & non consequente. Sed secundum Augustinum intelligitur de consequente*: Ergo ex mente sancti Thomæ, est in Deo voluntas antecedens saluandi omnes. Alios multos Patres videas apud Doctores de prædestinatione tractantes, præcipuè nostrum Ruiz.

Probatur tertiò ratione. Illud desiderium nullam in Deo arguit imperfectionem: ergo de facto est Deo concedendum. Consequentia bona est, quia non alio fundamento negatur existere, nisi quia imperfectionem inducit. Antecedens probatur. Si quã argueret imperfectionem, maximè, non fieri, quod seriè desiderat Deus: Hæc nulla est imperfectio in desiderio simplici & inefficaci: ergo. Maior est Aduersariorum. Minor probatur. Nam Deus seriò detestatur fieri peccatum, & tamen sæpius fit. Insuper, voluntas præceptiua seriò vult fieri rem præceptam, & tamen sæpe non fit. Denique, voluntas promissiua, etiamsi non sit connexa non sit cum serio desiderio adimplendi rem promissam; est tamen in Deo ratione suæ infinitæ fidelitatis; atque adeo promissio dandi omnibus gloriam, sæpius in Scripturis inculcata, annexum sibi habet serium desiderium donandi omnibus gloriam, si mandata seruauerint: nec tamen omnibus donatur gloria: ergo nulla est imperfectio, non fieri, quidquid Deus simplici desiderio, seu inefficaci vult. 941

Quartò. Deus dat omnibus, etiam reprobis, sufficientiam ad conuersionem vt conuertantur, & sufficientiam ad salutem vt salui fiant: implicat autem, Deum eligere medium vt existat finis, & nullo vero affectu intendere finem: ergo cum det omnibus Deus media vt conuertantur, & salui fiant, intendere debet vero af- 942

fectu omnium conuersionem & salutem. Inde Deus remedia generalia Redemptionis & Sacramentorum omnibus prouidet. Inde cunctos eleuauit ad gloriam. Quæ omnia serium Dei desiderium salutis omnium, vrgent & commendant. Inde dicitur Deus non omnino spontaneè, sed cum aliqua resistentia, & quodammodo coactè punire damnatos, quia videlicet desiderium salutis inclinat in gloriam. Alia circa qualitatem huius desiderij, videas apud P. Ribadeneyram citatum, nostro enim scopo hæc perstrinxisse sat est.

943 Obiicies primò. S. Augustinus lib. 4. contra Iulianum cap. 8. & de prædestinatione Sanctorum cap. etiam 8. illud Pauli: *vult omnes homines saluos fieri*; interpretatur. Omnes nimirum qui saluantur; quia nullus fit saluus, nisi quem Deus voluerit. Sic dicitur Ioan. 1. *Quia illuminat omnẽ hominem venientem in hunc Mundum*. Non quia Deus omnes illuminet, sed quia nullus iluminatur, nisi à Deo. Sic etiam 1. Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur*. Non quia omnes qui in Adam perierunt, viuificati fuerint in Christo; sed quia nullus fuit viuificatus nisi per Christum. Sic ludimagister vnicus in ciuitate, dicitur omnes pueros instruere non quia omnes discant, sed quia nullus instituit nisi ab ipso. Similis est alia August. interpretatio. *Vult omnes homines saluos fieri*, id est, omnia hominum genera seu Nationes, non autem omnia generum seu Nationum indiuidua: ergo Augustinus non agnouit in Deo aliam voluntatem, nisi quæ re ipsa impletur: si enim agnouisset, sine dubio distinxisset inter desiderium efficax & inefficax.

944 Respondeo cum S. Thom. in 1. dist. 46. quæst. 1. art. 1. ad 1. Augustinum loquutum de solo desiderio efficaci, seu voluntate consequenti, vt ipse ait: in quo casu opus non erat distinguere inter voluntatem efficacem & inefficacem.

Obiicies secundò. Sicut Paulus asserit, *Velle Deum omnes homines saluos fieri*, ita ait, *velle omnes ad agnitionem veritatis venire*: hoc autem intelligi non potest de omnibus, nam infantes incapaces sunt agnitionis veritatis: ergo neque primum. Nulla est hæc obiectio, nam infantes licet pro eo statu incapaces sint agnitionis veritatis, non tamen salutis: atque adeo, licet infantilis incapacitas limitaret secundam Pauli propositionem, non tamen primam. Addo, Deum etiam infantibus desiderare conditionatè agnitionem veritatis, si rationis vsum attigerint. 945

Obiices secundò. Possibilis non est volitio libera circa obiectum non futurum, neque existens: Desiderium autem salutis reproborum, esset volitio libera, & salus neque esset futura neque existens: ergo implicat. Hoc argumentum non me premit, qui actum liberum adæquatè Deo intrinsecum propugno, qua ratione nihil creatum exigitur futurum vel existens. Qua autem ratione effugere possint, qui actum liberum ex intrinseco creato componunt, videant ipsi. 946

Sed instabis. Decretum liberum in omni sententia terminatur ad futuritionem, aut existentiam sui obiecti: ergo stare debet futuritio vel existentia obiecti. Respondeo negans consequentiam; quia terminatio decreti liberi inefficacis, non est connexio cum futuritione aut existentia, quam vult; atque adeo poterit ad illam terminari, etiamsi non sit: sicut 947

actus

actus probabilis re tamen falsus, affirmans existentiam alicuius obiecti, terminatur ad illam etiamsi non sit. Ad illam inquam existentiam, non quam actu res habeat, sed quam haberet si res existeret. Nec opus est eam existentiam per scientiam visionis repræsentari, quia, sola simplex intelligentia sufficit ad liberam diuinæ voluntatis electionem.

948 Obiicies tertiò. Qui euidentissimè scit, medium futurum omnino irritum, & nullatenus profuturum ad finem, ineptè & imprudenter eligeret illud ex serio desiderio finis: Deus autem euidentissimè scit, auxilium purè sufficiens seu inefficax, futurum omnino irritum, & nullatenus profuturum ad finem consensus & salutis: ergo imprudenter & ineptè eligeret illud ex serio consensus & salutis desiderio: atque adeo implicat eligere. Confirmatur primò. Euidentissima notitia frustrandi finis, & nullatenus obtinendi per medium *A*, prorsus impedit spem prudentem finis per tale medium consequendi; cum spes sit affectus voluntatis anhelantis ad bonum iudicatum, saltem fortè futurum: ergo similis notitia pariter impediet prudentem electionem medij ex intentione finis certissimè frustrandi. Inde qui certissimus esset suæ damnationis, prudenter salutem sperare non posset. Nec tibi liceret orare pro salute illius, quem certissimè scires reprobum esse.

949 Hæc obiectio magna satis est & difficilis. Aliorum solutionibus omissis. Respondeo ex dictis de necessitate scientiæ mediæ, distinguens maiorem. Qui euidentissimè scit, medium futurum omnino irritum; & nullatenus profuturum ad finem, ineptè & imprudenter eligeret illud ex desiderio finis, electione pendente à certissima scientia inefficaciæ ad eamque subsequuta, concedo: electione independente ab ea scientia efficaciæ, ad eamque minimè subsequuta, nego. Et concessa minori, nego consequentiam. Quia electio auxilij inefficacis ex fine gloriæ non haberet à Deo dependenter à scientia medij frustrandi; cùm illa eadem electio stare potuisset cum scientia medij lucrandi & profuturi; atque adeo nec posterior est, nec dependens ab illa.

Idem dicimus ad omnia confirmationis exempla. Cum euidentissima enim notitia frustrandi finis per medium *A*, non impeditur prudens spes prior & independens ab illa, sed posterior & dependens. Quia pro priori naturæ concessis principiis ad sperandum, si vno ictu pro posteriori naturæ tu eliceres actum sperandi, & Deus infunderet notitiam damnationis, vel illam infunderet post præuisam spem, nihil obstaret ad prudenter sperandum in eodem instanti reali in quo existeret reuelatio; quidquid sit, an ex alio capite implicet: quia ea reuelatio solam reddit impossibilem spem dependenter ab ea elicitam, non verò elicitam independenter & antecedenter ad illam. Confirmo. Nam Christus D. pro eodem instanti reali, quo rogauit Patrem pro omnium hominum salute, etiam reproborum, ex eodemque fine pro illis sanctissimæ Passionis suæ merita Patri obtulit, euidentissimam habuit notitiam, Orationem & oblationem suam frustrandam iri in multis: & tamen ea notitia nec impedimentum fuit Orationi, nec oblationi, quia illi affectus habiti non sunt dependenter ab ea notitia, sed antecedenter ad illam. Idemque est de Ora- 950

tione Christi rogantis Patrem, vt calicem transferret, & clarissima notitia beneplaciti Patris de subeunda morte, & non obtinendi finis: ergo notitia frustrandi finis non impedit illius desiderium, habitum independenter à tali notitia.

951 Firmo vlteriùs. Quia si Deus ex præscientia, qua videt te in instanti *A*, erogaturum eleemosynam, ex motiuo subleuandi miseriam hominis, qui tibi pauper obiicitur, cum talis non sit; infunderet tibi in eodem instanti *A*, euidentissimam notitiam, qua certissimè scires nullam esse illius hominis miseriam: ea notitia non impediret affectum eleemosynæ ex motiuo subleuandi eius hominis miseriam, habitum independenter à tali notitia; sed solùm impediret affectum habitum consequenter & dependenter ab illa: ergo idem erit de affectu diuino conferendi auxilium re inefficax, & motiuo consensus & salutis, cum habeatur à Deo independenter à scientia frustrandi consensus & salutis.

SECTIO IV.

An decretum conferendi auxilium tam efficax, quàm inefficax, sit actus diuinæ beneficientiæ?

952 SVppono virtutem Beneficientiæ respicere vt motiuum formale, vtilitatem alterius, vt obiectum verò materiale, res illas, quæ ex se vtiles sunt. Suppono insuper, omnia auxilia diuinæ gratiæ esse intrinsecè vtilia ad consensum, nam ad illum natura sua intrinseca ordinantur, in eumque propendent. Inde dicuntur peccatores Dei gratiæ resistere, quia ipsa natiuo & suaui pondere propendet in sanctam operationem, qua fraudatur in peccatore. Suppono denique, virtutem aliquem finem actibus intentionis respicientem etiam respicere media actibus electionis, non solum propter finem, sed etiam vt conducentia ad illum, siue propter conducibilitatem eorum ad finem. Nam hic affectus distinctæ virtutis non est à virtute finis.

Assero primò. Decretum donandi vocationem, connexum cum consensu, esse virtutis beneficientiæ. 953
Probatur. Quia huiusmodi affectus vult auxilium, quia re ipsa tibi vtile: ergo est actus beneficientiæ. Antecedens probatur ex dictis disp. 14. Nam affectus ille vult auxilium quia re ipsa efficax, siue propter eius efficaciam, quæ vtilitas est tua sine dubio: ergo vult auxilium, quia tibi vtile.

Assero secundò. Decretum exequendi vocationem re efficacem, in- 954
differens tamen seu de se coniungibile, tam cum consensu, quàm dissensu, esse actum virtutis beneficientiæ. Probatur. Tum quia decretum illud vult auxilium propter eius efficaciam; non efficaciter, sed inefficaciter intentam; vt de decreto conferendi auxilium inefficax ostensum à nobis est Sect. præcedenti: ergo vult auxilium propter eius vtilitatem: ergo est actus virtutis beneficientiæ. Tum etiam, quia vult auxilium propter intrinsecam eius conducibilitatem, quod est etiam actus beneficientiæ: ergo. Antecedens probatur. Quia Deus nunquam omittit in suis actibus motiua intrinseca obiectorum, etiam quando aliis motiuis extrinsecis mouetur: sic omnes côueniunt, excellantiam Mysterij constans fuisse motiuum decernendi,

nendi Incarnationem, etiamsi alia extrinseca motiua coniungantur; quia excellentia Mysterij est motiuum Incarnationi intrinsecum: ergo cum conducibilitas ad consensum, sit intrinseca auxilio, in nullo actu circa auxilia omittitur à Deo hoc motiuum.

955 Assero tertiò. Decretum conferendi vocationem inefficacem, esse actum virtutis beneficientiæ. Patet ex dictis. Nam Deus illud auxilium confert ex fine vtilitatis & consensus serio, licet inefficaciter intenti; quod sufficit actui virtutis beneficientiæ. Vel saltem confert illud ex motiuo intrinsecæ conducibilitatis ad consensum, quod etiam sufficit: ergo.

956 Obiicies, auxilium inefficax nullum sortitur fructum: ergo nullius est vtilitatis: ergo neque beneficientia: ergo voluntas illius non est actus virtutis beneficientiæ. Respondeo, auxilium inefficax esse magnæ vtilitatis in actu primo, quamuis nullius sit in actu secundo: idque sufficere, vt affectus illius sit actus virtutis beneficientiæ, quia donatur à Deo ex motiuo fructus & consensus, quamuis ex abusu recipientis eo fructu priuetur. Imo id commendat Dei beneficientiam, donantis ingrato tantum beneficium, quo saluari posset.

SECTIO Vlt.

Vnde decretum conferendi auxilium inefficax, sit specialis, & maior beneficientia?

957 DEcretum conferendi auxilium efficax, esse specialem & maiorem Dei beneficientiam, quàm decretum conferendi purè sufficiens, vt certum supponitur ab omnibus. Difficultas ergo est, vnde tale sit tam decretum connexum cum consensu, quàm de se indifferens seu coniungibile cum dissensu, de quibus fusè à Nobis disputatum est disp. 14. Decretum connexum cum consensu vocamus, affectum imperantem vocationem, eiusque principia ex intentione efficaci consensus. Decretum verò indifferens, affectum immediatè exequutium vocationis modo de se indifferenti, & coniungibile tam cum consensu, quàm dissensu.

Assero primò. Decretum connexum cum consensu, esse specialem & maiorem beneficientiam ab intrinseca sua tendentia in obiectum. Huic conclusioni nullus eorum refragabitur, qui tale decretum admittit. Probatur. Quia decretum connexum cum consensu ab intrinseca sua tendentia in obiectum habet: Primò, connecti cum consensu, quod non habet decretum conferendi auxilium purè sufficiens seu inefficax. Secundò, attendere Deum ad efficaciam, & ex industria seligere auxilium efficax, vt ostendimus sect. 1. & 2. quæ omnia specialissimæ sunt beneficientiæ, & singularissimi amoris argumentum, nec communia decreto conferenti auxilium inefficax: ergo decretum connexum cum consensu, specialis est beneficientia ab intrinseca tendentia in suum obiectum. 958

Potissima tamen difficultas est, circa decretum immediatè exequutiuum vocationis efficacis, minimè connexum cum consensu, & de se coniungibile cum dissensu. In qua hoc mihi certum, huiusmodi decretum non esse ab intrinseco & se solo specialem beneficientiam: nam hæc connexa esse debet cum consensu potius quàm dissensu; 959

dissensu; ea enim connexione diuiduntur inter se specialis & non specialis beneficientia: decretum autem de se indifferens ad dissensum, habere non potest se solo & ab intrinseco connexionem cum consensu; nam eo ipso indifferens non esset: ergo ab extrinseco. Quæritur ergo, quodnam sit hoc extrinsecum, vnde decretum indifferens sit specialis beneficientia?

960 Assero secundò. Decretum indifferenter & immediatè exequutiuum auxilij, esse specialem beneficientiam à coniuncto ex ipso & scientia media futuri ex tali auxilio consensus, & non dissensus. Est communis assertio Doctorum Societatis. Et defendendã censeo etiamsi efficacia auxilij non sit extrinseca denominatio à scientia media consensus, sed ab ipso consensu. Nã hæc est differentia inter efficaciam auxilij & beneficientiam Dei, quòd efficacia est in eo in quo est auxilium, beneficientia verò non est in eo in quo est auxilium, sed solum beneficium; atque adeo cùm tota beneficientia sit in benefactore, constitui non debet in consensu conditionato, sed in scientia media illius, quæ in Deo est.

961 Probatur conclusio. Quia specialis beneficientia aliud non est, quàm voluntas benefactoris connexa cum fructu illius, cui confertur beneficium: id habet coniunctum ex voluntate dandi auxilium & scientia media futuri ex illo consensus: ergo in eo consistet specialis beneficientia respectu decreti indifferenter auxiliũ exequentis. Nec dicas, eam scientiam non includi in constitutiuo specialis beneficientiæ, sed connotari. Quia connotatio contingens, ex communi Philosophia, de constitutiuo includit vtrumque, & rem scilicet connotantem & connotatam: connotatio autem decreti indifferentis ad scientiam mediam consensus ex positione auxilij, est contingens; cum decretum indifferens potuerit esse sine illa, cum sola scientia media futuri dissensus: ergo connotatio ad scientiam mediam consensus includit illam.

Obiicies primò. Si decretum indifferenter collatiuum auxilij efficacis, esset specialis beneficientia ex scientia media futuri consensus, fieret in manu hominis esse, quòd decretum illud sit specialis beneficientia, vel non sit: hoc est absurdum: ergo. Sequela probatur. Quia in manu hominis est, quòd sit in Deo scientia media futuri sub conditione consensus, & non sit: ergo in manu hominis erit, quòd decretum indifferenter collatiuum vocationis efficacis, sit specialis beneficientia, vel non sit. Patet consequentia. Quia in manu eius est, quòd decretum indifferens sit, vel non sit specialis beneficientia, in cuius manu est, quòd sit vel non sit constitutiuum illius beneficientiæ: in manu autem hominis est, quòd sit vel non sit scientia media consensus constitutiua specialis beneficientiæ: ergo in manu hominis erit, quòd decretum indifferens sit specialis beneficientia. 962

Respondeo, nullùm esse absurdum, quòd in manu hominis sit, dependenter tamen à gratia, quòd decretum indifferens sit, vel non sit specialis beneficientia. Nam in manu eius est impedire suo dissensu, ne fuerit scientia media consensus. 963

Sed obiicies secundò. In manu hominis est, quòd decretum indifferenter collatiuum auxilij, sit, vel non sit specialis beneficientia: ergo in manu eius erit, quòd existat specialis beneficientia: ergo potius ipse sibi, quàm 964

quàm Deus illi specialiter benefaciet. Prior consequentia probatur. Quia in manu eius est, quòd existat specialis beneficientia, in cuius manu est, quòd decretum de se indifferens, sit, vel non sit specialis beneficientia: in manu hominis est per nos, quòd decretum indifferenter collatiuum auxilij, sit, vel non sit specialis beneficientia: ergo in manu hominis erit, quòd existat specialis beneficientia.

965 Respondeo concesso antecedente, negans vtramque consequentiam. Ad probationem nego maiorem: aliud enim est, te posse facere, quòd decretum indifferenter collatiuum auxilij, sit, vel non sit specialis beneuolentia; aliud, te posse facere quòd existat specialis beneficientia. Primũ dicit, te posse ponere & impedire scientiam mediam consensus. Secundum verò, te posse ponere non solum scientiam mediam consensus sub conditione huius auxilij; sed etiam decretum eiusdem auxilij: Hoc non est in manu tua, sed positum in solius Dei beneplacito, qui conditionem præuisam efficacem donat cui, & quando vult: vnde in solius Dei beneplacito stat, quòd existat specialis beneficientia, vel non existat; cùm in solius Dei beneplacito stet, te cõstitui in eo statu, in quo præuideris consensurus; vt latè à nobis expensum est disp. 6. sect. vltima.

966 Instabis. Ad existentiam specialis beneficientiæ non minus requisita est scientia media futuri consensus sub conditione, quàm decretum indifferenter exequutiuum conditionis: sed quia in manu Dei est ponere decretũ, in manu quoque eius est existere beneficientiam: ergo cum in manu hominis sit ponere scientiam mediam consensus, in manu quoque eius erit existere beneficientiam. Respondeo concessis præmissis, negans consequentiam. Disparitas est; quia Deus cum scientia media futuri sub conditione consensus, adhuc manet indifferens, ad exequendam conditionem, qua determinatur specialis beneficiẽtia: ideóque Dei est, & non creaturæ, quòd existat, vel non existat specialis beneficientia; quia Dei est & nõ creaturæ positio conditionis determinantis vltimò existentiam specialis beneficientiæ.

Instabis iterum. Ergo creaturæ saltem erit, & non Dei; quòd existat speciale beneficium. Probatur consequẽtia. Quia creaturæ est & non Dei quod sit determinatiò auxilij, quod supponimus indifferens, ad consensum, vnde est speciale beneficium: ergo sicut Dei est, quòd existat specialis beneficientia, quia eius est determinatio ad illam; ita creaturæ erit, quòd existat speciale beneficium, quia eius est determinatio ad illud. Respondeo negãs consequentiam. Ad probationem nego antecedens. Nam licet sola creatura sit, quæ determinat consensum, ea tamen determinatio licet non sit à Deo determinante, est tamen à Deo adiuuante, & principaliter agente, atque adeo potius est Dei quàm creaturæ, à qua tantùm instrumentaliter procedit. Alio etiam titulo existentia determinationis ad consensum, est propriissima solius Dei; quia scilicet libera sua voluntate constituit creaturam in eo statu, in quo præuisa est consensura, in quo si constituta non fuisset, nec determinatio ad consensum extitisset; atque adeo, quòd existat referendum est in Deum. 967

Instabis denique. Nulla est maior ratio, cur positio decreti sit potius vltima determinatio ad specialem beneficientiam, quàm scientia media: ergo 668

si Dei est, quòd existat specialis beneficientia, quia eius est positio decreti, creaturæ quoque erit, quòd existat eadem beneficiẽtia, cùm eius sit quod existat scientia media. Respondeo negans antecedens. Nam ad totum absolutum, quale est beneficientia, pars conditionata determinatur à positione conditionis, & non è contra. Sic omnes promissiones & contractus conditionati determinantur à positione conditionis ad pariendam obligationem absolutam. Cum autem beneficientia constet scientia conditionata, & positione conditionis, & hæc sit positio d.creti, inde ista potius, quàm scientia media, est vltima determinatio ad beneficientiam.

969 Obiicies tertiò. Scientia media cõsensus supponit beneficientiam specialem: ergo illam non constituit. Antecedens probatur, quia supponit cõsensum conditionatum: ergo, &c. Respondeo negans antecedens. Nam in statu conditionato sicut Deus non discernit vnum ab alio, vt ostendimus disputat. 6. sect. vlt. fine. Ita nec benefacit.



DISPVTATIO VIt.

Singularis sententia Caramuelis circa conditionatorum præscientiam, expenditur, & expungitur.

970 IN arduis controuersiis nouam semitam molientibus contingit non semel, quod iret agentibus, qui tritam, & recalcatam viam deserentes, diuertentem semitam initio planam, & facilem arripiunt; & postea difficultatum scopulis exterriti, proras vertunt, spretum iter anhelantes, edocti imposterum fugere diuerticula.

SECTIO I.

Proponitur sententia Caramuelis.

CAramuel in sua Theologia fundamentali Thesi sexta à fol. 27. reiectâ sententiâ Thomistarum, & nostrâ, negat Deum certò scire futura conditionata in decreto, & in se ipsis. In decreto quidem, quia non sibi placent decreta prædeterminantia. In se ipsis, quia non habent determinatam veritatem. Asserit ergo, sola futura conditionata imperata, quæ scilicet ab alio futuro absoluto, necessariò, aut infallibiliter oriuntur, habere determinatam veritatem, nimirum in futuro absoluto cum illis connexo; ita vt istud cognoscens, non possit ignorare illa. Ad quam classem ait pertinere futura conditionata in Scripturis contenta, quæ omnia sex sequentibus conclusionibus ita explicat. 971

Prima. Non datur scientia media, provt à Patribus Societatis defenditur.

Secunda. Non dantur physicæ prædeterminationes.

Tertia. Non dantur decreta in Deo conditionata, quæ actus hominum liberos prædefiniant, qualia ponuntur à Thomistis.

Quarta. Futura libera conditionata, nempe illa, quæ ab alio futuro absoluto non inferuntur infallibiliter, aut necessariò, nec habent deter

determinatam veritatem nec falsitatem.

Quinta. Futura conditionata impetrata, quæ ab alio futuro absoluto, necessariò, aut infallibiliter oriuntur, habent determinatam veritatem, nimirum in futuro absoluto; ita vt istud cognoscens, illa non possit ignorare.

Sexta. Ad hanc vltimam classem pertinent futura omnia conditionata, quæ in Scriptura sacra reuelantur, adeoque diuinæ illæ reuelationes tã formaliter quàm obiectiue sumptæ, habent certitudinem, & infallibilitatem, veram, realem in omni rigore metaphysico.

972 Hanc suam sententiam non alia ratione probat Caramuel, quàm solutione argumentorum, quæ sumuntur ex Scripturis. Ad illud ex 1. Reg. 23. de aduentu Saulis si Dauid maneat Ceïlæ, & de traditione Ceïlitarum si Saül descenderet. Respondet, Quòd sciebat Deus Saülem habere istam voluntatem: *Si Dauid maneat Ceila, descendam, & interficiam.* Videbat insuper Deus Saülem multis diebus sequentibus continuaturum hoc suæ voluntatis decretum, & hoc scientiâ visionis; sciebat etiam Ceïlitas apud se decreuisse: *Si Dauid maneat, & Saül descendat, & petat, trademus Dauidem* Stantibus his duobus decretis actualibus, altero Saülis, & altero Ceilitarum, quæ Deus scientiâ visionis cognoscebat; euidenter & infallibiliter videbat Deus, Saülem descensurum in Ceïlam, si ibi mansisset Dauid; & Ceilitas tradituros illum, si Saül descenderet.

973 Quam doctrinam hoc illustrat exemplo. Interdicit Cæsar v.g. sub pœna capitis ingressum in vrbem Pragensem; & reuelat mihi Deus, hoc decretum non esse reuocandum mense integro, nulli ignoscendum esse, adeóque quemcumque, qui ausus fuerit ingredi, statim trucidatum iri, quæ omnia sunt futura absoluta, nec ab vlla conditione pendentia. Quid ergo vetat, quod ego hac notitia præuentus subinferam: ergo si Petrus cras ingrediatur Pragam, trucidabitur; sane ista propositio erit conditionata contingens, & libera; & tamen infallibilis, & certa, & ex futuris absolutis per necessariam consequentiã illata. Potuit ergo infallibiliter Deus cognoscere illas duas conditionales infallibiles, quin vteretur scientia media, aut conditionalibus decretis; sufficiebant enim decreta humana absoluta sufficienti tempore esse mensura, & à Deo scientia visionis ea cognosci.

Ad aliud testimonium ex 3. Reg. 11. de non ingrediendo ad mulieres alienigenas, *Certissimè enim auertent corda vestra*: Respondet primò, posse intelligi de certitudine, & infallibilitate morali. Respondet secundò, admissa certitudine, & infallibilitate mataphysica, oriri illam posse ex futuris absolutis humanis; nam si ponatur ex parte Hebræorum voluntas absoluta concedendi vxoribus, quod primùm petant, & ex parte Ethnicarũ voluntas absoluta petendi Idololatriç propagationem; per consequentiã realiter infallibilem infertur, Hebræorũ corda auertenda, si ad mulieres Idololatras ingrederentur. 974

Ad aliud Ezechielis 3. *Si ad illos mittereris, ipsi audirent te*; & illud Matthæi 11. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone, &c.* Respondet, Babylones de quibus agit Ezechiel, habuisse piam affectionem erga Miracula & Prophetias, 975

 qualem

qualem etiam habuerunt Tyrus & Sido, & stante illorum decreto quòd vellent habere Religionem quæ confirmaretur Prophetiis, aut Miraculis, necessariò sequebatur per consequentiam realiter infallibilem; illos, si Prophetiam audiuissent, istos, si vidissent prodigia, fuisse ad Deum conuertendos: quos pios affectus cognoscebat Deus scientiâ visionis.

976 Tandem, ad illud Sapientiæ 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius.* Respondet, siue ille locus intelligatur de Enoch, siue de quocumque alio iusto; sæpe contingere, quòd scientiâ suæ visionis Deus cognoscat aliquod decretum humanæ libertatis per eueraturum v.g. per duos dies, & respecturum obiecta secundum se indifferentia; quæ prima die sint bona extrinsecus propter adiacentes aliquas circumstantias, postridie mala propter aliquas circumstantias superuenientes: poterit ergo Deus intacto hominis libero arbitrio, illas secundas circumstantias impedire, aut etiam hominem eripere è loco in quem illæ concurrerent, neque ad hoc egebit scientia media.

977 Et vt clariùs hoc ipsum innotescat, sit crastina dies ieiunio colenda Matriti, non Compluti. Sit Matriti Petrus, & nihil de ieiunio cogitans statuat apud se voluntate efficaci, se cænaturum tota hebdomade; maneat etiam hoc decretum tota hebdomada: ergo hodie cænando Petrus non peccabit, & cras si cænet Matriti peccabit. Quid vetat ergo, quòd vel Deus faciat, quòd in mentem eius non veniat diem crastinam esse ieiunij, aut etiam ad alicuius amici instantiam; vel Deo cogente, aut necessitante transferatur Complutum ante quàm legem agnoscat, quam violaturus erat infallibiliter, si mansisset Matriti? Sanè in hoc casu essent veræ illæ duæ propositiones. Prima: si Matriti mansisset, cænasset, & consequenter peccasset. Secunda: Raptus est, & translatus Matrito Complutum, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Hæc est tota Caramuelis doctrina circa præscientiam diuinam conditionatorum.

SECTIO II.

Expungitur sententia Caramuelis.

PRimò; Quia hæc sententia plena est diuinatione, aucupans absque solido fundamento interna illa decreta humana ad certam conditionatorum præscientiam necessaria. Quamuis enim, ea decreta ad plura conditionata cognoscenda inseruire possint, & de facto extiterint; ea tamen exigere ad omnem conditionatorum præscientiam, nec fundatum est in Scripturis, nec in sanctis Patribus, maximè Augustino, vt infrà constabit: ergo ea singularis Caramuelis cogitatio non satis fundata, & stabilita est. 978

Secundò: quia stando Scripturis, sine fundamento exigitur futurum aliquod absolutum connexum cum effectu, ad infallibilem scientiam, aut prædictionem conditionatorum: ergo. Antecedens probatur. Primò, quia in testimonio illo Ceilitarum traditionis, & descensus Saülis si Dauid Ceilæ mansisset, nulla vel leuis fit mentio decretorum existentium in Saüle, & Ceilitis; sed prædicuntur à Deo sub cõditione extitura. Secundò, 979

quia

quia stantibus decretis illis, omnis populus Hebræorum peccasset circa mulieres alienigenas, & istæ circa Hebræos. Hebræi quidem decreto concedendi fœminis, quidquid illæ primò peterent si ingrederentur ad ipsas. Alienigenę verò, decreto petendi Idololatriam, si assumerentur ab Hebræis: id autem absurdissimum esse, quis nõ videat? ergo. Sequela probatur, de populo Hebręorum (de alienigenis enim res est clara: nam voluntas petendi Idololatriam, tam absoluta, quàm conditionata, peccatum est) quia vel voluntas Hebræorum erat concedendi quidquid primò petierint licitum tantum, & hæc voluntas connexionem non habet cum Idololatria, vt est perspicuum; atque adeò neque Deus in illa videre potuit futuram Idololatriã. Vel concedendi quidquid primò petierint licitum vel illicitum; & hæc voluntas peccatum est, cum sit animi præparatio ad rem illicitam exequendam: vel concedendi quidquid primò petierint, præscindendo, an licitũ vel illicitum sit, nec de hoc cogitando: & mihi probabile non apparet. Tũ quia sufficienter erat populus à Deo monitus de petenda ab Alienigenis Idololatria, in motiuo prohibendi, ne ad eas ingrederentur; quia videlicet *certissimè auertent corda vestra*: ergo incredibile est, non occurrisse illis periculum idololatrandi, si apud se concedere statuerent, quod primò ab Idololatris peteretur. Tum etiam, quia simillima est huic, voluntas illa Herodis, Marci 6. ad saltatricem puellam: *Pete à me quod vis, & dabo tibi*: Nec Herodes in his cogitabat de amputando Ioannis capite, idcircò petente puella contristatus est: & tamen quia implicitè id in eo decreto generali cõtinebatur, & talis erat efficacitatis decretum, quòd posita petitione puellæ infallibiliter induceretur Ioãnis mors; temerarium fuit, nec à malitia homicidij liberum, vt testatur Aug. ser. 10. *Puella saltat, & sæuit mater, & inter lasciuias & delicias conniuantium temerè iuratur; & impiè quod iuratur, impletur*: ergo cum pariter voluntas illa generalis Hebræorum, concedendi Alienigenis quidquid primò peterent, tantæ efficacitatis esset: quòd posita mulierum petitione infallibiliter induceretur idololatria, temeraria fuisset, nec à malitia Idololatriæ libera. Tum denique, quia ea lex lata est pro toto populo Hebræorum, & prædictio diuina comprehendebat omnes etiam infantes: ergo sciebat Deus etiam eos, qui ante vsum rationis rapti sunt, auertendos esse, si adulti ad Idololatras ingrederentur: id autem scire non potuit in decreto absolutè futuro, vel existente ipsorum, concedendi alienigenis quod primò peterent, si ad illas ingrederentur, vt est per se notum: si ergo hi euẽtus præuidentur à Deo independenter ab omni decreto creato absolutè futuro, vel existente, cur ni & cæteri?

980 Tertiò Quia etiamsi demus, Deum certissimè scire ea omnia futura conditionata in decretis illis absolutis humanis, negari non potest scire etiam eadem futura conditionata ante decreta illa absolute existentia, vel futura. Nam in conditione metaphysicè connexa cum futuro conditionato, potest Deus cognoscere certò futurũ conditionatum, quin absolutè existat, vel futura sit conditio; sicut concedunt omnes, in conditione necessariò connexa cum futuro conditionato, cognoscere Deum futurum conditionatum ante omnem existentiam absolutam, aut futuritionem conditionis v.g. *Si ignis applicaretur stupa, combureret*

reret illam: Hæc autem conditio; *si Dauid maneat Ceila, & Saül & Ceilita haberent decretum efficax*, ille descendendi, isti autem tradendi, est metaphysicè connexa cum futuro conditionato, scilicet descensu Saülis, & traditione Ceilitarum: ergo in illa certò metaphysicè cognouit Deus futurum conditionatum ante quàm absolutè existeret vel futura esset. Quæ ratio ex dictis contra Thomistas disp... sect... vrgenda est.

981 Quartò. Quia Caramuel nullam re ipsa concedit Deo scientiam futuri conditionati contingentis, sed tantùm necessarij. Probatur, quia ex suppositione decreti efficacis operandi aliquid, necessariò sequitur operatio tam in Deo, quàm in nobis, cùm non possit non sequi; vnde negat ipse decreta prædeterminantia nostros actus liberos, quia ex suppositione prædeterminationis non possunt non sequi, atque adeo necessariò sequuntur: Deus autem stante Caramuelis sententia, sola cognoscit futura conditionata, ex suppositione decreti absoluti, & efficacis: ergo sola cognoscit futura necessaria. Confirmo exemplo ipso aduersarij; nam ex suppositione decreti efficacis, & irreuocabilis Cæsaris capite plectendi eum, qui Pragam ingrediatur; posito ingressu, necessariò sequitur pœna capitis; sicut ex suppositione actus efficaciter imperantis, necessariò sequitur imperatus: ergo hæc cognitio: *Si Petrus ingrediatur Pragam stante illo Cæsaris decreto, trucidabitur*: non cognoscit futurum conditionatum contingens, sed omnino necessarium; de quo nec disputatum, nec hactenus ab vllo dubitatum est, sed ab omnibus tanquam res extra controuersiam suppositum.

982 Quintò. Quia responsione Caramuelis ad illud Sapientiæ 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius*; non satisfit Augustino lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 23. ita scribenti. *Istum verò baptizatum in hac vita relinqui, quem præsciuit Deus impium futurum; alium verò baptizatum rapi ex hac vita, ne malitia mutaret intellectum eius.* Vbi apertissimè supponit Augustinus, Deum præscire vtrumque paruulum malum futurum si permaneat: id autem præscire non potuit Deus respectu illius, qui raptus est immediatè post baptismum, in decreto absolutè futuro aut existente eiusmodi infantis, cùm nullum extiterit aut futurum fuerit: ergo hoc futurum conditionatum nouit Deus in se ipso. Similiter, neque satisfit aliis testimoniis à nobis adductis totâ disp. 7. quæ ibi videri possunt.

Sextò. Quia inuentum Caramuelis non satisfacit Patribus illi dubio respondentibus: *Cur Deus Angelos, & homines creauerit, quos præsciuit malos futuros?* quos dedimus nos disp. 4. sect. 4. num. .. Eos autem Patres loquutos fuisse de præscientia, cum qua Deus in sensu composito illius, potuit re ipsa Adamum, & malos Angelos non creare, hoc enim erat assumptum cui respondebant, Cur scilicet Deus præsciens lapsuros Angelos, & Adamum, non omisit eorum creationem, cum potuerit? si enim non potuisset, prompta fuisset Patribus hæc responsio, quam tamen nullus assumpsit. Præscientia autem peccati in aliquo decreto, aut voluntate absolutè futura Angelorum, vel Adami, componi non potest cum non creatione eorum, cum iam supponat eos creatos, & absolutè decretos, vt est per se notum: ergo Patres loquuntur de præscientia peccati antecedente omne futurum absolutum creatum. 983

Septimò.

984 Septimò. Quia Caramuel non prouidit causæ præcipuæ, quæ nostros Doctores, & Thomistas diuisit; quomodo scilicet Deus conferat auxilia: Et vt clariùs procedamus, sermo sit de primo auxilio ad primum actum salutarem. Vel enim Deus donat hoc auxilium, sciens quid ex illo futurum sit, vel ignorans? si primum; habemus intentum; nam illud futurum cùm sit primum, non potest à Deo in alio futuro absoluto creato cognosci. Si secundum: ergo Deus dat auxilium ignorans, quid voluntas cum eo operatura sit. Quæ erat sententia antiquiorum Thomistarum, & longè difficilior; nam illi admittebant auxiliū intrinsecè efficax & prædeterminans, quo semel posito certissimè euentus extiturus erat: Caramuel autem ea auxilia reiicit, & indifferentia admittere tenetur; vnde constituit Deum decernentem primum auxilium, suspensum de futuro euentu, inscium, & ignarū: Quod adeo absurdum visum est etiam Hæreticis, vt dixerint apud Hieronymum lib. 3. aduersus Pelagianos columna 3. *Cui præscientiam tollis*, (scilicet conditionatorum) *aufer diuinitatem.*

985 Octauò. Quia non concordant, quæ tradit Caramuel. Nam in sexta conclusione ait, futura conditionata in Scripturis contenta tam formaliter, quàm obiectiuè, esse infallibilia in omni rigore, etiam metaphysico. Et ad illud testimonium ex 3. Reg. 31. *Non ingrediemini ad mulieres alienigenas*, &c. In prima responsione docet, sufficienter intelligi de infallibilitate morali. Hæc sanè non consonant. Et quāuis postea explicentur ab ipso ea futura de infallibilitate metaphysica in decretis illis Hebræorum, & Ethnicarum à nobis expensis; tamen tentanda non est solutio, quæ propositæ thesi non concordet, & à qua recedere necesse sit.

Nonò. Scire vellem ab hoc Authore, Quid eum impulerit ad negandum prædictiones diuinas in Scripturis cōtentas, non prædicere sub conditione decreta illa seu voluntates creatas, in quibus ipse ait Deum præscire futura conditionata? Vnde videlicet inferat, prædictionem illam 1. Reg. 23. *Si Dauid maneat Ceilæ, descendet Saül. Etsi Saül descenderit, tradetur Dauid*: non habere hunc sensum. Si Dauid maneat Ceilæ, Saül id sciens statuet descendere; quod si descenderit, Ceilitæ decernent tradere Dauid. Similiter, si Hebræi ingrederentur ad mulieres alienigenas, consentirent tunc earum Idololatriæ. Si dicas te id præstare, quia futura contingentia libera in se ipsis non habent determinatam veritatem; stant contra te omnia argumenta, toto hoc Tractatu parata, & insuper quæ sequentibus numeris proponentur à nobis. 986

Decimò. Deus certissimè scit futura absoluta contingentia libera non in decreto diuino prædeterminante, quia nullum à te admittitur; neque in decreto aliquo creato, quia primum futurum liberum non supponit aliud, cum tamen à Deo certò cognoscatur. Nunc sic. Futurum absolutum liberum contingens habet in se determinatam veritatem absolutam, qua in se ipso certò, & infallibiliter cognoscitur à Deo: ergo futurum conditionatum habebit in se determinatam veritatem conditionatam, quæ in se ipso certo, & infallibiliter à Deo cognoscatur. Patet consequentia. Nam vt exploratum est apud omnes, eodem modo discurrendum est de veritate futuri absoluti, & conditionati: vel ergo vtrumque, vel neutrum habere debet determinatam 987

minatam veritatem.

889 Confirmatur. Futurum absolutum est certum, & infallibile, & vt tale cognitum à Deo, à sola carentia existentiæ nunc & existentia postea, vt fusè à nobis ostensum est disput. 1. à sect. 2. ergo futurum conditionatum certum etiam erit, & infallibile, & vt tale cognitum à Deo à sola carentia existentiæ nunc, & existentia postea si conditio poneretur: superfluum ergo omnino erit, vel saltem minimè necessarium decretum absolutum creatum, ad præscientiam diuinam infallibilem conditionatorum.

989 Vndecimo. Nam vt expendimus disput. 13. sect. 1. num.... de illis principiis & requisitis, de quibus absolutè existentibus verum est dicere, voluntas infallibiliter consentiet; verum etiam est dicere; Quod si essent voluntas infallibiliter consentiret; idque independenter ab omni alio, quod non sit aliquod ex illis principiis, seu requisitis: dantur autem principia, & requisita, de quibus absolutè existentibus verum est dicere; voluntas infallibiliter consentiet: ergo verum etiam erit dicere, Quòd si essent voluntas infallibiliter consentiret; idque independenter ab omni alio, quod non sit aliquod ex illis principiis, & requisitis. Decretum autem absolutum creatum non est aliquod ex principiis, aut requisitis, de quibus absolutè existentibus verum est dicere; voluntas infallibiliter consentiet: ergo independenter à decreto absoluto creato verum est dicere, quòd si essent ea principia & requisita, voluntas infallibiliter consentiret. Minor ista probatur; nam ad primum actum liberum, (quem supponamus esse consensum) dantur principia, & requisita, quibus absolutè existentibus verum est dicere; voluntas infallibiliter consentiet: ad huiusmodi autem consensum non est principium aut requisitum decretum absolutum creatum; aliter non esset primus actus liber: ergo decretum absolutum humanum, non est aliquod ex principiis aut requisitis, de quibus absolutè existentibus verum est dicere; voluntas infallibiliter consentiet.

Confirmo. Nam ad decretum illud absolutum humanum, non requiritur aliud decretum creatum, 990
aliter abeundum esset in infinitum: atqui dantur principia & requisita, quibus absolutè existentibus verum est dicere; voluntas infallibiliter eliciet tale decretum: ergo verum etiam erit dicere, Quòd si essent voluntas infallibiliter eliceret. Negari ergo Deo non potest præscientia conditionata huiusmodi decreti creati, independenter ab omni alio decreto similiter creato. Hæc ratio validissima est contra inuentum Caramuelis, nec video qua ratione eneruari possit.

Denique, quia ex sententia Ca- 991
ramuelis fieret, nullum futurum liberum conditionatum prædici à Deo illis Scripturæ testimoniis à nobis expensis, maximè si voluntas efficax conditionata alicuius obiecti, se sola sufficiens sit posita conditione ad ponendum effectum, & noua non requiratur: ergo. Sequela probatur; nam in descensu illo Saulis, & traditione Ceilitarum, tria reperiuntur (idemque est de aliis.) Primum est conditio, & hæc non est futurum conditionatum quod prædicitur, vt perspicuum est. Secundum est decretum Saulis, descendendi Ceilam manente

manente in ea Dauid, & decretum Ceïlitarum, tradendi Dauidem descendente Saule; & neque hoc est futurum conditionatum, neque id quod prædicitur à Deo, sed medium absolutè existens vel futurum, in quo prædicitur euentus conditionatus: tertium est motus localis Saulis descendentis, & externa traditio Ceilitarum, & istarum neutra est actus liber: ergo illis Scripturæ testimoniis nullus actus liber prædiceretur à Deo.


992 Non autem requiri nouam voluntatem, vt posita conditione voluntas efficax sortiatur effectum, valdè probabile est. Tum quia positione conditionis voluntas efficax conditionata transit in absolutam, vnde promissio conditionata, præceptum, & contractus, sola positione conditionis, & notitia illius, absque nouo actu voluntatis absolutè obligat. Tum etiam, quia virtutes physicè productiuæ, & receptiuæ, respiciunt suos effectus sub conditione, videlicet si prærequisita ponantur. Sic ignis est productiuus caloris in ligno, si applicetur ligno, posita autem applicatione fit virtus absolutè productiua; & materia est receptiua formæ substantialis, si dispositiones existant in subiecto, & solà dispositionum existentiâ in subiecto, fit virtus absolutè receptiua: ergo similiter voluntas efficax conditionata descendendi, vel tradendi, sola positione conditionis fiet absoluta, & sufficiens se sola ad descensum, vel externam traditionem inferendam.

993 Si autem semel nobis concedatur, voluntatem illam efficacem descendendi, vel tradendi sub conditione, *Si Dauid manea: Ceilæ*, non inducere, aut inferre necessariò, & infallibiliter aliam voluntatem, descensum, vel traditionem externam inducentem; ad quod asserendum sola insufficientia prioris voluntatis cogere posset: ergo voluntas efficax descendendi vel tradendi sub conditione, non connectitur essentialiter cum altera voluntate descensum, vel externam traditionem inducente, etiamsi sit talis voluntas: ergo hæc secunda voluntas non infertur metaphysica certitudine ex priori; ad id enim sola sufficiens est essentialis connexio: ergo neque poterit hæc secunda voluntas infallibilitate, & certitudine metaphysica cognosci à Deo in priori voluntate, & consequenter neque simili certitudine prædici: nullum ergo futurum liberum certitudine metaphysica prædiceretur à Deo.

Si autem dicas, priorem illam voluntatem necessariò inferre aliam, externam traditionem aut descensum inducentem: ergo illa non erit futurum contingens & liberum, sed omnino necessarium ex suppositione prioris voluntatis: ergo nullum futurum contingens, & liberum prædiceretur à Deo, vt expendebamus suprà num... 994

Multa alia argumenta possent congeri contra Caramuelem ex toto hoc Tractatu. Nihil enim in illo est, quod Caramuelem non expugnet, tum ratione, tum authoritate Patrum, maximè Augustini, & Thomæ. Videas à nobis dicta disputatione prima à sectione secunda, & disputatione tertia à sectione secunda, disputatione septima & octaua, & disputatione 995

decimatertia sectione prima & secunda. Cuncta enim ibi parata contra Viues, pariter Caramuelem expugnant. Nec alius Scriptor contra scientiam mediam; cui responderem, in manus meas incidit.





INDEX

INDEX RERVM,

Prior numerus marginem, posterior Paginam designat.

A

ACademiæ Parisiensis Doctores pro scientia media, num. 365. pag. 99
Academiæ Salmanticensis Doctores pro eadem scientia, num. 366. & 367. p. 100
Academiæ Complutensis Doctores pro eadem, num. 368. ibid.
Academiæ Louaniensis, num. 369. ibid.
Quid de aliis 370. p. 101
Academia Valentina. ibid

Æternitas.
Æternitas alia intrinseca, extrinseca altera, & quo differant inter se, à num. 127. p. 34

Aluarez Dominicanus.
Aluarez Dominicanus testatur antiquiores Thomistas non meminisse prædeterminationis conditionatæ, num. 181. p. 49
Corrupit Augustini testimonium, num. 463. p. 130
Decipitur dum asserit Magistrum Lorcam non state pro scientia media, num. 356. p. 95

Ambrosius Catherinus Dominicanus.
Ambrosius Catherinus Dominicanus Doctrinam B.B. Augustini, & Thomæ circa Prædestinationem, crudelem, truculentam, & homines in desperationem impellentem sugillat, num. 471. p. 132

Angelus Manrique.
Angeli Manrique Cisterciensis illustre pro scientia media testimonium, num. 358. p. 96

Aristoteles.
Aristoteles negauit Deo præscientiam futurorum contingentium, n. 155. pag. 42

S. Augustinus.
Augustinus agnouit scientiam mediam, num. 426. p. 117
Id negasse Molinam & Vasquez falso imponitur à Magistro Viues Dominicano, à num. 427. ibid.
Idem negasse Fonsecam falso imponitur ab Aluarez, num. 430. p. 118
Augustinus approbauit scientiam mediam, & constanter defendit, à num. 434. p. 119
Augustinus ab Aluarez Dominicano corruptus, num 463. p. 130
Qualiter senserint de Augustini doctrina aliqui PP. Dominicani, num. 477. p. 135

Augustiniani.
Doctores Augustinianæ familiæ pro scientia media, numero 372. pag. 102

Auxilium Gratiæ.
Quale sit decretum dispensandi auxilia, à num. 782. p. 217
Auxilium executioni mandari non potest per solum decretum connexum cum consensu, & inconiungibile cum dissensu, à num. 784. pag. 218

Quid cum consortio decreti indifferentis, à num. 803. p. 222
An Deus in elargitione auxiliorum attendat ad eorum efficaciam, vel inefficaciam, à num. 916. pagina 253
An Deus ex industria seligat prædestinato auxilia efficacia, & reprobo inefficacia, à numero 926. pagina 255
An Deus conferat auxilia sufficientia ex serio desiderio fructus, & salutis, à num. 935.

B

Balthasar Nauarrete Dominicanus.
Negat in Deo esse formaliter scientiam futurorum contingentium sub conditione, numero 345. pagina 92
Falsò citatur à Mag. Viues pro sententia Dominicanorum, ibid.
Bannez Dominicanus.
Magister Bannez detulit scientiam mediam apud Inquisitores Lusitanos, irritus tamen eius conatus, num. 318. p. 86
Iterum eiusdem industria ad Vallisoleranos Inquisitores delata; Lite tamen ad supremam Hispaniæ Inquisitionem traducta, victrix euadit scientia media, numero 319 ibidem.
Basilius Legionensis Augustinianus.
Acerrimus scientiæ mediæ fautor, num. 358. p. 96
Illustre eiusdem testimonium circa Dominicanos, qui physicas prædeterminationes deseruerunt, num. 328. p. 88
Beneficientia.
An decretum conferendi auxilium tam efficax, quàm inefficax sit actus beneficientiæ, à num. 952. p. 262
Quomodo decretum conferendi auxilium efficax sit specialis beneficientia, à num. 957. p. 263

C

Cabezado Dominicanus.
Negat Deo certam, & infallibilem conditionatorum præscientiam, num. 244. p. 64
Caramuel.
Singularis sententia Caramuelis circa conditionatorum præsciētiam proposita, à num. 971. p. 266
Eadem sententia expulsa, à numero 978. p. 268
Catherinus Dominicanus.
Doctrinam BB. Augustini, & Thomæ circa Prædestinatos, crudelem, truculentam, & homines in desperationem impellentem sugillat, num. 471. p. 132
Cisterciensis Familia.
Cisterciensis familiæ Doctores pro scientia media, numero 376. pagina 102
Conditio.
Conditio futuri conditionati quid dicat diuinum, num. 213. p. 57
Quid creatum, numero 214. ibidem.
Quod sit rem existere per modum conditionis, à num. 216. ibid.
Quo differant prærequisita diuina, & creata constituentia conditionem, num. 215. ibid.
Controuersia.
Controuersia inter PP. Dominicanos, & Societatis circa Præscientiam conditionatorum duplex, n. 231. pag. 61
Primogenita, seu prior circa conditionatorum certam, & infallibilem Præscientiam, ibid.
Secūdo genita, seu posterior de modo cognoscendi

cognoscendi futura conditionata, num.316. p.85
Occasio controuersiæ, numero 318. ibid.
In puncto controuersiæ fallitur Magister Viues Dominicanus. à n.322. pag.87
In quo stet num.330. p.89

Cuncrus.

Cuncrus Episcopus Leonardiensis scientiæ mediæ acerrimus defensor falso citatur à Mag. Viues pro sententia Dominicanorum, n.353. p.94.

Curiel.

Curiel retractata sententia Dominicanorum, scientiam mediam amplexus est, num.357. p.96

D

Deus.

Deus certissimè scit futura absolute contingentia, num.93. p.26
Non tamen in præsentia futurorum in æternitate, etiam supposita, à num.130. p.35
An Deus cognoscat futura absoluta libera in proximis eorum causis, à num.135. p.37
An in ideis, vel in suæ scientiæ efficacitate, à num.144. p.39
An in decreto, vel in se ipsis, & propria eorum veritate, à num. 148. p.40

Decretum diuinum.

Decretum diuinum actu existens præcedit omne futurum absolutum, à num. 69. p.19
Futuro absoluto contingenti sufficeret decretum diuinum futurum, si tale esse posset, à numero 78. pagina 22
Quot modis sumi possit decretum conditionatum, numero 206. pagina.55.
Quale sit decretum præparandi Omnipotentiam ad actus liberos, n.750 p.209
Quale sit decretum dispensandi auxilia, num.782. p.217
Decretum conferendi auxilium tam efficax, quam inefficax est actus diuinæ beneficentiæ, à numero 952. p.262
Quomodo decretum conferendi auxilium efficax sit specialis beneficientia, à num.957. p.263

Desiderium.

An Deus ex serio desiderio fructus, & salutis conferat auxilia sufficientia, num.935. p.257

Discernere.

Expensus Paulus: Quis enim te discernit, &c. à num.414. p.113
Discretio vocationis Dei est, à num. 420. p.114
Discretio verò in consensu supposita vocatione, arbitrij est. ibid.
Respectu status conditionati nulla est stricta discretio, sed, permissio, num.423. p.116

Dominicani.

Qui negauerint Deo certam conditionatorum scientiam, solam coniecturalem supponentes, à num.223. p.59
Qui negauerint decreta prædeterminantia, num.327. p.88
Qui negauerint physicas prædeterminationes, num.328. ibid.
Antiquiores Dominicani absque fundamento citantur à Mag. Viues pro scientia conditionatorum in decreto, num.340. p.91

F

Forte.

Particulæ *Forte*, & *Forsitan* non arguunt in Deo dubitationem, à n. 263. p.69. & à n.292. p.77

Franciscus Soarius.
Franciscus Soarius vindicatur à calumnia imposita à Mag. Viues, quod non explicuerit dependentiã futuri absoluti à decreto, à num 70. p.20
Incautè Soarium exprobat Viues ambulasse in magnis, & mirabilibus super se, num.201. p.54
Ita diutius ambulasse plerosqueThomistas, num.203. ibid.

Futurum absolutum. Futuritio.
Non consistit in determinatione præsenti ad existendum postea, sed in carentia existentiæ nunc, & existentia postea, à num.10 pag. 4. & seqq.
Quo differant futurum, & possibile, à num.42. p.13
An detur futurum dubium, aut probabile, & quo differat à certo, à num.45. p.14
Qualiter futuritio connectatur existentiæ, num.54. p.16
Futuritio adæquata non extitit ab æterno, num.62. p.18
Nec existit in tempore, sed partim ab æterno, & partim in tempore, num. 63. ibid.
Idem dicendum de certitudine futuritionis, num.64. ibid.
Quo pacto propositiones de futuro contingenti veræ sint, Vide verb. Propositio. Futurum absolutum contingens tale non est ante decretum Dei absolutum ex parte actus, actu, & formaliter existens in Deo, à num.69. p.19
Futuro absoluto contingenti sufficeret decretum diuinum absolutum, si tale esse posset, à numero 78. pag.23
Futurum absolutum liberum, non cognoscitur à Deo in ideis, num.144 pag.39
Nec in coëxistentia futurorum in æternitate etiam concessa, n. 130. p.35
Nec in causis proximis, num. 135. pag.37
Nec in diuinæ scientiæ efficacitate, num 147. p.40
An in decreto, & in seipsis, à n.143. pag.39

Futurum conditionatum: futuritio.
Quotuplex sit futurum conditionatum, & quænam sit materia præsentis disputationis, numer. 161. p.44
In statu conditionato res eadem est præsens, præterita, & futura respectiuè ad tempora diuersa, n.163. ibid.
Dum vna est futura, altera est præsens, & præterita altera, à numero 164. pag.45
Futurum conditionatum, nec dicit existentiam esse absolutè ponendã, nec non ponendam, sed ab vtroque præscindit, num.166. ibid.
Pariter nec dicit conditionem ponendam, nec non ponendam, sed ab vtroque præscindit. ibid.
Quid sit futurum purè, & non conditionatum, num.167. ibid.
Futurum conditionatum à purè, & non purè conditionato præscindẽs quotuplex sit, num. 168. p.45
In quo consistat futurum conditionatum, num.177. p.47
Nullum est futurum conditionatum ante decretum conditionatum ex parte actus, num.207. p.56
Quale sit huiusmodi decretum, n.211 ibid.
Quotuplex sit, num.212. p.57
Futurum conditionatum certò, & infallibiliter à Deo cognitum, à num. 248. p.65

Futurum conditionatum disparatum.
Quod sit, num.218. p.58

Duplex

Duplex illius consideratio, scilicet secundum se, & cum aliqua extrinseca ordinatione, numero 219. ibid.
Non est propriè conditionatum, num. 220. ibid.
Nisi extrinseca aliqua ordinatio superueniat illi, num. 221. ibid.
Huiusmodi aliqua futura in Scripturis contenta, num. 222 p. 59
Qua ratione propositiones de futuro conditionato disparato sint veræ, vel falsæ, à num. 223. ibid.

G

Gabriel Vasquez.
Gabriel Vasquez vendicatur à calumnia imposita à Mag. Viues, quòd non explicuerit dependentiam futuri absoluti à decreto, num. 72. pag. 20
Gonzales de Albelda Dominicanus.
Vnus ex iis, qui Romæ pro suo Ordine disputarunt, testatur Thomistas negasse Deo certam conditionatorum contingentium scientiam, & solam coniecturalem admisisse, num. 246. p. 65
Testatur idem Nauarrerum Dominicanum negasse scientiam conditionatorum, & decretum conditionatorum esse formaliter in Deo, num. 345. p. 92
Physicas prædeterminationes deseruit, num. 328. p. 88

I

Idea diuina.
Quot modis sumantur, num. 144. pag. 39
An Deus in Ideis certò sciat futura absoluta contingentia, n. 145. ibid.
Impostura.
Impostura Theologi Salmanticensis Excalceati contra PP. Societatis circa futurum absolutum ante decretum, falsitatis conuicta, à num. 69. p. 19
Altera Magistri Viues Dominicani impostura contra PP. Soarium, & Vasquium, simili puncto conclusa, à num. 70. p. 20
Alia eiusdem impostura contra PP. Societatis, num. 75 p. 21
Innocentius X.
Quinque propositiones Augustini Iansenij ab eo damnatæ, & inter eas, Semipelagianos admisisse præuenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, num. 481. p. 136. & 748. p. 208
Ioannes Vincentius Dominicanus.
Physicas prædeterminationes reiecit, num. 328. p. 88
Ioannes Driedo.
Falsò adscriptus à Mag. Viues sententiæ Dominicanorum, num. 352. p. 94
Iesuitæ.
Perpetuò pro diuina certa, & infallibili conditionatorum scientia cótra Thomistas militarunt, num. 247 pag. 65.
Iesuitarum erga Augustinum reuerentia, maxime Molinæ, & Soarij, à n. 470. p. 132
Augustinum non agnouisse, aut percepisse scientiam mediam, falsò illis impositum à Mag. Viues, à num. 427. p. 117
Iesuitas solis rationibus naturalibus vsos fuisse pro scientia media vsque ad decretum Pontificis de mente Augustini inuestiganda, & tunc cœpisse quærere Augustini testimonia, impostura clara Magistri Viues, à numero 431. pagina 118
Quinam potius ambulauerint in magnis,

gnis, & mirabilibus super se, Iesuitæne, an Thomistæ, à num. 201 p. 54
Authores Iesuitæ centum pro scientia media, num. 265. p. 99

Ledesma Dominicanus.

Mordet prædeterminationes diuinas conditionatas, à num. 170. pagina 33
Negat Deo certam conditionatorum præscientiam, num. 233. p. 62
Solam coniecturalem concedit, & in ea sententia fuisse omnes discipulos S. Thomæ, num. 234. ibid.

Lemos Dominicanus.

Vnus ex iis, qui Romæ pro suo Ordine disputarunt, publicè docuit Romæ, physicas prædeterminationes esse contra S. Thomam, n. 233. p. 62

Lorca.

Falsò allegatus à Magistro Viues contra scientiam mediam, quam defendit, num. 356. p. 68

Libertas.

Præscientia futuri absoluti contingentis conciliatur cum libertate creata, à num. 154. p. 42
Libertas moriendi in Christo conciliatur cum stricto præcepto subeundi mortem, à numero 611. p. 173
Influxus gratiæ sanctificantis in opera præcepta, conciliatur cum libertate creata, num. 603. p. 171
Directio scientiæ mediæ componitur cum creata libertate, à num. 848. p. 234
Decretum prædeterminans destruit libertatem, à numer. 546. pagina 156
Destruitur creata libertas, si Deus solo decreto connexo cum consensu, & inconiungibili cum dissensu, vocationem exequatur, à num. 784. p. 218
Quid, cum consortio decreti indifferentis, à numero 803. pagina 222

M

Mancius Dominicanus.

Physicæ Prædeterminationis impugnator, num. 328. pag. 88

Maßilienses.

Massilienses in Gallia reliquiæ Pelagianorum, numero 481. pagina 136
Quantum cahos sit inter illos, & DD. Societatis circa Præscientiam Conditionatorum contingentium, à num. 476. p. 135
Doctrina Massiliensium contra quos agit Augustinus, num. 480. pagina 136

Meritum, & Demeritum.

Merita, & Demerita tantum conditionata insufficientia ad præmium, & supplicium, à numero 296. p. 78

Minoritæ.

Minoritæ Magistri qui scientiam mediam tenuerunt, numero 371. p. 101

Minimi.

Qui Magistri ex Familia S. Francisci de Paula scientiam mediam tenuerint, num. 375. p. 102

Molina.

P. Ludouicus Molina ab incursionibus Magistri Bannez, aliorumque Thomistarum triumphans, à num. 218. p.58

N

Nauarrete Dominicanus.

Negat esse formaliter in Deo certam, & infallibilem scientiam conditionatorum, numero 241. pagina 63

Testis huius veritatis est Gonzales de Albelda etiam Dominicanus, num. 243. p.64

Nolitio.

Nolitio impediendi peccatum, non est sufficiens præparatio Omnipotentiæ, à num. 763. p.212

O

Ordo Seraphicus.

Qui Magistri Ordinis Seraphici tenuerunt scientiam mediam, num. 371. p.101

Ordo Augustinianus.

Quinam illius Doctores scientiam mediam propugnauerint, num. 372 p.102

Ordo Carmelitanus.

Præcipui Theologiæ Professores Valentini Conuentus pro scientia media, num. 312. p.84

Ordo SS. Trinitatis.

Marcus Antonius Alos, qui selectas disputationes edidit, perpetuus scientiæ mediæ fautor. n. 774. p.215

Ordo B.M. de Mercede.

Reuerendissimus Zumel sententiam Thomistarum circa scientiam conditionatorum in decreto conditionato, acriter improbat, num. 351 p.94

Ordo S. Francisci de Paula.

Magistri, qui scientiam mediam constanter propugnarunt, numer. 375. p.102

Ordo Clericorum Minorum.

Raphaël Auersa Præpositus Generalis, insignis scientiæ mediæ fautor, num. 377. p.102

Ordo Cisterciensis.

Qui eius Doctores scientiæ mediæ susceperint Patrocinium, num. 376 p.102

Ordo Hieronymianus.

Magister Cabrera Thomistarum sententiam de scientia conditionatorum in decreto conditionato, improbat, num. 351. p.94

P

Parisiensis Academia.

Illius Doctores pro scientia media, num. 365. p.99

Præsentia futurorum in æternitate.

Confutatur, num. 94. & seqq. pagina 27

Est impostura contra S. Thomam, & antiquiores Thomistas, numer. 96, ibid.

An ea supposita cognoscat in illa futura, num. 130. p.35

Propositiones de Futuro contingenti.

Necessariò atringunt plura tempora, num.

num. 65. p.18
Qualiter veræ sint, à num. 67. pagina 19
An ad propositionem verám conditionalem necessaria sit bonitas consequentiæ, à nnmero 173. pagina 36
Propositiones de futuro conditionato disparato, qua ratione sint veræ, vel falsæ, à numer. 223. pag. 59.

Prædeterminatio Physica.

A multis Dominicanis derelicta etiam ex iis, qui Romæ pro ea disputarunt, numero 328. pagina 88

Præscientia.

Præscientia futuri contingentis absolutè conciliatur cum libertate creata, à num. 154. p.42
Præscientia futuri conditionati, Vide scientia media.

Prædestinatus.

An Deus ex industria seligat Prædestinato auxilia efficacia, & reprobo inefficacia, à numero 926. p.255

Prædiffinitio.

Componitur cum creata libertate; & disparitas illius à Prædeterminatione, à numero 593 pagina 168

Preceptum.

Christus vnà cum præcepto moriendi liberè mortuus est: nec id iuuat decreto prædeterminanti, à num. 611. p.173
Præcepta absolutè obligant, etiamsi imbibant illam conditionalem, *Donec dispenseris*, numer. 613. ibid.
Præceptum, eiusque dispensatio in eodem instanti componi possunt, num. 614. ibid.

R

Raphael Auersa.

Clericorum Minorum Præpositus Generalis pro scientia media, num. 377. p.102

Ripa Dominicanus.

Negat Deo certam, & infallibilem conditionatorum præscientiam, n. 245. p.65
Falsò citatur à Viues pro scientia conditionatorum in decreto conditionato ex parte obiecti, n. 347. p.93

Ruardus Tapper.

Decanus Louaniensis constans scientiæ mediæ defensor, falsò allegatus à Mag. Viues, num. 352. pag.94

S

Salmanticensis Academia.

Professores illius pro scientia media, à num. 366. p.100
Theologi Salmanticensis impostura contra PP. Societatis circa futurum absolutum ante decretum, conuicta, à numero 69. pagina 19

Scientia absoluti contingentis.

Certissima est, numero 93. pagina 26
Conciliatur cum libertate creata, à num. 154. p.42

Semi

Semipelagiani.

Meritis solùm conditionatis vim absolutam merendi tribuebant, num. 480. p.136
Eos admisisse necessitatem interioris gratiæ ad initium salutis, damnatum nouissimè ab Innocentio X.num.481. ibid.
Chaos magnum inter Semipelagianismum, & scientiam mediam, numero 480. & sequentibus, ibidem.

Senonense Concilium.

Firmat necessitatem gratiæ etiam ad initium salutis, numero 481. pag.136

Scientia conditionatorum contingentium.

Thomistæ antiquiores eam Deo negarunt, à numero 233. pagina 62
Doctores Societatis perpetuò pro certa, & infallibili conditionatorum scientia decertarunt, num. 257. p.64
Probatur ex Scripturis, à num.249. p.66
Ex Patribus, à numero 265. pagina 70
A ratione, à numero 274. pagina 73

Scientia conditionatorum in decreto.

Scientia conditionatorum in decreto prædeterminante, à Recentioribus Thomistis inuenta, ab antiquioribus vel negata, vel non cognita, à numero 233. pagina 62
Impugnatur ex veteri Testamento, à num.381. p.105
Ex Nouo, à numero 392. pagina 106
Ex Augustino, à numero 434. pagina 119
Ex Thoma, à numero 492. pagina 140
Ex fundamentis Thomistarum, à num.513. p.147
Ex læsione creatæ libertatis, à n. 547. p.150
Præcluditur effugium indifferentiæ iudicij, à numero 565. pagina 161
Item præcluditur effugium potentiæ remotæ, à numero 576. pagina 164
Effugium aliud necessitatis consequentis concluditur, à num. 580. pag.165
Cum decreto prædeterminante non stat auxilium sufficiens, num.623. pag.176
Neque vota, contractus, & iuramenta, à num. 650. pagina 183
Neque graues, aut leues tentationes, à numero 657. pagina 185
Et Deus esset causa peccati, à num. 666. p.188
Et posset illud præcipere, à num.681. p.191
Trangressores legum excusandi essent à peccato, à num. 689. pagina 193

Scientia media.

Authoritas sententiæ Dominicanorum impugnantium scientiam mediam, à numer. 335. pagina 90

Qui Authores falsò citentur à Magistro Viues pro sua sententia, n. 340. p.91
Authoritas Domestica sententiæ Societatis Iesu num 362. p.97
Authoritas externa eiusdem sententiæ, numero 365. pagina 99
Scientia media sæpius à Thomistis apud sacros Inquisitores delata, nullius tamen criminis conuicta, num. 318. p.86
Rationibus stabilitur, numero 698. p.195
Ab obiectionibus eadem vindicatur, n.720. p.201
Obiectum scientiæ mediæ tam directæ, quam reflexæ, num. 816. p.226
Directio scientiæ mediæ possibilis, à num.824. p.228
De facto existens, numero 916. pagina 253
Componitur cum libertate, à num. 848. p.234
Non tamen est Deo necessaria directio scientiæ mediæ, à numero 876. p.242
Aliqua scientia media necessaria est ad distributionem auxiliorum, à num.902. p.249
A Semipelagianismo nec cognita, n. 480. p.136
Scientiæ mediæ vocabulum scriptum, & approbatum à Nauarrete Dominicano, numero 345. p.92

Sixtus Senensis Dominicanus.

Augustinum quasi in foueam præcipitat, numero 477. pagina 135

Societas Iesu.

Vnica centuria 1500. Scriptoribus stipata, numero 361. pagina 96
Centum illlius Scriptores pro scientia media, numero 365. pagina 99

Stapletonius.

Stapletonius scientiæ mediæ perpetuò assistens, falsò citatur à Magistro Viues pro suis, num. 354. p.94

T

Perpetuus scientiæ mediæ fautor, & defensor S.Thomas, à n. 492. pagina 140

Thomistæ.

Negarunt Deo conditionatorum præscientiam, à numero 233. pagina 62
Qui Thomistæ neganerint prædeterminationes diuinas conditionatas, num. 327. p.88
Quinam negauerint etiam creatas, num. 328. ibid.
Quinam potius ambulauerint in magnis, & mirabilibus super se, Thomistæne, an Iesuitæ, à numer. 201. p.54

V

S. Vincentius Ferrarius.

Absque fundamento citatur à Magistro Viues pro scientia conditionatorum in decreto conditionato, num. 349. p.93

Viues

Viues Dominicanus.

Falsò imponit PP. Soario, & Vasquio, non explicasse dependentiam futuri absoluti à decreto, à numer. 70. pag. 20
Falsò iterum imponit, Quod res erit quia Deus apprehendit rem præsentem, quæ nunquam erit præsens, à num. 198. p. 53
Incautè exprobrat Soario ambulasse in magnis, & mirabilibus super se, à num. 201. p. 54
Thomistas ita diutius ambulasse in decreto prædeterminante, ex ipsis probatur, num. 203. ibid.
Deceptus in puncto controuersiæ de scientia media, à num. 232. p. 62
Falsò nobis imponit, Deum non efficere actionem nostram prout est à nobis, à num. 324. p. 87
Falsò asserit, Doctores Dominicanos constantes fuisse pro decretis prædeterminantibus, à num. 326. ibid.
Falsò iterum asserit, stetisse omnes Dominicanos pro scientia conditionatorum in decreto absoluto ex parte actus, & conditionato ex parte obiecti, num. 333. p. 89
Multos Dominicanos, & alios falsò allegat pro sua sententia, à num. 340. p. 91

Voluntas inefficax.

Dantur in Deo voluntates inefficaces, num. 755. p. 210

FINIS.

